7/7/1982

S. 1301 A

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. C. Pintz. sc.

NOVA ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATVRÆ CVRIOSORVM
EXHIBENTIA

EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIÆ
ET EXTERARVM REGIONVM
VIRIS
HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STVDIO
COLLECTA

TOMVS PRIMVS
ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. ÆN. XIII.
CVM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

NORIMBERGÆ,
Impensis WOLFGANGI SCHWARZKOPFII.
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCLVII.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
DOMINO DOMINO
FRANCISCO
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
PIO FORTI FELICI
GERMANIÆ HIEROSOLYMORVMQVE
REGI

LOTHARINGIÆ BARRIQVE

DVCI

MAGNO DVCI ETRVRIÆ

ET RELIQVA

CÆSARI OPTIMO MAXIMO IVSTISSIMO

INDVLGENTISSIMO

PATRIÆ PATRI DIVINITVS CONSTITVTO

SVMMO

RERVM SACRARVM ET LITTERARIARVM

TVTORI ET CONSERVATORI

BENE FELICITER ET AVSPICATE.

AVGVSTISSIME IMPERATOR

Quum, quæ DEI, rerum omnium Conditoris & Gubernatoris, immensa & singularis est clementia,

poſt felicem ſæculi unius decurſum, Academia Leopoldino-Carolina Cæſarea Naturæ Curioſorum, ſub indulgentiſſimo Glorioſiſſimorum Auguſtorum imperio atque regimine florens ac vigens, primam nunc Actorum novorum a ſe collectorum partem typis exſcribendam communesque in uſus divulgandam curaſſet: nihil inde prius & antiquius, nihilque magis curæ cordique habuit, quam ut eas laborum ſuorum primitias TIBI, AVGVSTISSIME CÆSAR, tanquam Numini tutelari ſuo, demiſſiſſimæ pietatis teſtandæ cauſſa, dedicaret, & tanquam publicum atque ſo-

ſolenne ſacrificium, pedibus TVIS advolutum, religioſiſſime devotiſſimeque offerret. Quo maiorem vero ex iſta rerum ſuarum conditione nacta eſt Academia noſtra felicitatem: eo etiam impenſiorem & largiorem fovet tenetque ſpem, fore, ut, quum ipſius membra, pro eo, quo poſſunt, ſtudio, ad perſcrutandam magis & indagandam Summi Numinis potentiam, benignitatem & ſapientiam, in rerum creatarum productione & conſervatione mirabiliter abſtruſam & inexhauſtam, contendant & allaborent, ſuasque meditationes bene rectеque penſitatas cum aliis com-

municare haud recuſent, neque etiam in eiusmodi occupationibus, contra præſcriptam ſymboli academici legem, otioſi haberi dicique velint, præſentem hanc qualemcumque operam TIBI, CLEMENTISSIME IMPERATOR, conſecratam, tanquam animi grati ſſimi devotiſſimique teſſeram, gratioſiſſimo clementiſſimoque vultu excipere digneris, eaque etiam, qua prius fruebatur, MAIESTATIS TVÆ præſentiſſima efficaciſſimaque tutela porro mactatam beatamque eſſe ſinas. Tanta igitur felicitatis exoptatæ ſpe gaudens recreata atque confirmata Academia noſtra ferventiſſimis

pre-

precibus votisque liberaliſſime ſuſceptis multiplicatisque efflagitabit DEVM, ut TE, INVICTISSIME CÆSAR, pacatis ubique temporibus Germaniæque tranquillitate reſtituta, ſummis bonorum divinorum generibus abundatiſſime cumulatum, proſperrimisque rerum humanarum felicitatibus auctum ornatumque & longiſſima annorum ſerie, ſine omni quarumcunque offenſionum genere florentem vigentemque atque fortunatiſſimo imperio, ſupra omnes priores maximos Cæſares & Auguſtos, beatum ſaluberrimisque in rempublicam privatamque conſiliis inſtru-

ctum esse velit iubeatque. Id quod submississimo animo precantur

SACRÆ MAIESTATIS TVÆ

humillimo obsequio devotissimi

Præses, Director, Adiuncti & Collegæ Academiæ Naturæ Curiosorum.

PRÆFATIO.

Postquam Academia nostra Cæsarea eam divinitus nacta est felicitatem, ut, inter armorum strepitum gravissimasque bellorum tempestates indefesso membrorum suorum studio & ardore singulari suffulta, novum in edendis vulgandisque laborum suorum monumentis inchoare sæculum bono cum DEO posset: statim in ipso huius Præfationis limine silentio præterire haud fas est, novum ei splendorem & eximium, faustis omnino cum auspiciis, conciliatum ex eo fuisse ornamentum, quod a Præside, pro ipsius indefessis curis studioque in res nostras singulari, felicissime tandem absoluta nec ita pridem in lucem publicam eruditorumque manus delata sit luculentissima instituti nostri academici Historia, dudum iam & sigillatim in III. & IV. Voluminis Actorum nostrorum Præfationibus sancte promissa intereaque avidissi-

me expectata; deinde etiam, quod SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS CAROLVS, Princeps regnans Lœvvenſteinio-Wertheimienſis & reliqua, Academiæ noſtræ albo nomen dare, pro ea, qua pollet, ſingulari clementia, haud gravatus ſit & dedignatus. Quod reliquum eſt, nihil amplius præloqui, noſtra referre videtur, niſi id, quod ad nonnullas pertinet mutationes ex neceſſitate ſuſceptas. Scilicet Academia noſtra in eodem, quod iam per totius ſæculi intervallum indeſinenter exſequuta eſt, inſtituto amplius quidem perſiſtit, & partim ad cognitionem rerum naturalium & creatarum, imprimisque humanæ naturæ eiusque infirmitatis & morboſæ afflictionis, confirmandam, vel pro viribus explicandam & emendandam, partim vero ad remediorum contra morbos detectorum vires eruendas, ſtabiliendas, communemque in uſum publicandas contendit; quod vero ad novas operum academicorum mutationes attinet, id ſibi omnino curæ dari exiſtimavit Academia noſtra, ut Nova ipſius Acta maiori nitidiorique chartæ, eorum in gratiam, qui eiusmodi venuſtatem externam deſiderant, ſufficiente exemplarium

rium copia impreſſa, & reliqua quoque, figuris diligentius artificioſiusque ornata, iam impoſterumque compareant. Quo conſilio quoque, figurarum imprimis rationem habentes, rogamus optamusque, ut auctores pro virili earum delineationes ſecundum naturam diligenter exprimendas accurent: quia ſine exemplari naturali eæ difficulter aut plane non emendari poſſunt. In ipſa denique operis fronte nonnulla adhuc immutare placuit, nimirum partim ut Acta *hæc, ad differentiam Actorum priori ſæculo vulgatorum* nova *dicantur, partim ut ipſæ partitiones non amplius nomen* Voluminum, *ſed* Tomorum *ſortiantur, ne cum prioribus, ſi citentur, tam facile confundi queant. Ex hac vero inducta commutatione ac differentia contingit amatoribus, qui prioris ſæculi Acta nondum poſſident neque ea ſibi facile comparare poſſunt, haud levis momenti commodum & emolumentum: ſiquidem præſenti collectione, quæ cum priori nullam habet exquiſitam connexionem, noſtra Acta denuo, ſi libet, ordiri poſſunt. Quemadmodum denique iis celeberrimis clariſſimisque viris atque ſodalibus, qui novæ huic collectioni ſuas conferre ſymbolas aut per-*

rex-

rexerunt aut cœperunt, iusta laus debetur grātesque publicæ aguntur: ita etiam cetera Academiæ nostræ membra rogantur & admonentur, ut pro sua quisque otii, virium & ingenii experientiæque ratione, priorum vestigia sequantur, & coniuncto studio florem & incrementum Academiæ nostræ, Glorioſissimorum Imperatorum præsidio suffultæ, gnaviter industrieque promovere & augere non omittant. Quod supereſt, illos, quorum communicata in hoc tomo nondum comparent, rogamus, ne id malam in partem interpretentur: nihil enim eorum publicationi impedimento fuit, quam huius tomi moles nimium adcreſcens. Stabunt ergo in limine tomi D. V. sequuturi.

)o(

I.

Continuatio
CATALOGI
Dnn. Collegarum Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum,

Ab anno 1754. usque ad annum 1756. in eandem receptorum.

Anno 1754.

Ordo receptionis.

584. Sereniſſimus Princeps ac Dominus, CAROLVS, Princeps regens Lœwenſteinio-Wertheimenſis, ſupremus Princeps de Chaſſepierre, Comes de Rochefort & Montaigu, Dominus terrarum Scharfeneck, Breuberg, Kerpen, Caſſelburg, Herbimont, Neufchateau, Roſenberg, Heubach, Weſeriz, Guttenſtein, Zebau, Hayd, Pernartiz, Skupſch, reliqua, Sac. Cæſar. Maieſt. Cubicularius, Sereniſſ. Electoris Palatini copiarum pedeſtrium ſupremus excubiarum Præfectus, Eques Ordinis Palatini St. Huberti, & Brandenburgici Aquilæ rubræ, reliqua. APOLLO SOTER.

585. Dn. D. *Franciſcus Lacroix Boiſſier de* SAVVAGES, Chriſtianiſſ. Reg. Galliæ Conſiliarius & Medicus, Profeſſor Medicinæ ordinar. in Monspelienſi Academia, Regiar. Societatum Scientiar. Londinenſ. Monspelienſ. Vpſal. & Stockholm. Sodalis. *Straton. II.*

Ordo receptionis.

586. Dn. D. *Claudius Nicolaus le* CAT, Anatom. & Chirurg. Prof. Regius, Nosocomii, l' Hotel de Dieu dicti, Chirurgus primarius, Academ. Scient. Parisin. Londinens. Berolinens. & Madritens. Sodalis, itemque Rhotomagens. Academ. Scient. Secretarius perpetuus. *Plistonicus IV.*

587. Dn. D. *Michael* MORGENBESSER, Reipublicæ Wratislavienſis Proto-Physicus & Collegii Medici Adsessor. *Dexius II.*

588. Dn. D. *Gerardus Liber Baro van* SWIETEN, Augustiss. Roman. Imperator. & Imperatric. a Consiliis, Comes Archiatrorum, Bibliothecæ Augustæ Præfectus, Inclyt. Facultat. Med. Viennens. Præses perpetuus, nec non Academ. Reg. Scientiar. & Chirurg. Parisin. itemque Instituti Bononiens. & Literator. incognitor. Sodalis. *Mithridates.*

589. Dn. D. *Ioannes Antonius Nobilis de* WOLTTER, S. R. I. Eques, Sac. Cæs. Maiest. CAROLI VII. piissimæ memor. & Sereniss. glorioſissime regnantis Electoris Bavariæ Consiliar. & Proto-Medicus, Facultatis Medicæ Ingolstadiens. & Nosocomior. militarium Inspector. *Marcus Artorius II.*

590. Dn. D. *Ioannes Christophorus* REINMANN, Civitatis Ducalis Rudolstadienſis & totius Provinciæ Physicus ordinarius. *Rufus III.*

591. Dn. D. *Rudolphus Augustinus* VOGEL, Medicinæ in Academia Georgia Augusta Gœttingenſi Professor publ. extraordinarius. *Philoxenus III.*

592. Dn. D. *Ioannes Christianus* IACOBI, Militum præsidiariorum Vinarienſium Medicus ordinarius. *Idmon III.*

593. Dn. D. *Henricus Ioannes Nepomucenus* CRANTZIVS, Artis obstetriciæ in antiquiſſima & celeberrima Vindobonen-

Ordo receptionis.

bonensi Academia publicus Regius Professor. *Clidemus II.*

Anno 1755.

594. Dn. D. *Daniel Gottlob* THEBESIVS, Consul & Physicus civitatis & Circuli Treptovienſis, itemque civitatis Greiffenbergenſis & Caminienſis in Pomerania. *Euriphon II.*

595. Dn. D. *Carolus Wilhelmus* SACHS, Poliater Wratislavienſis, Regiique Collegii medici & ſanitatis ibidem Adſeſſor. *Phoſphorus IV.*

596. Dn. D. *Gerhardus Andreas* MVLLER, Medicinæ Profeſſor publicus primarius in Gieſſenſi Academia. *Anaximenes II.*

597. Dn. D. *Philippus Henricus* BOECLER, Medicin. Prof. publ. extraordinar. & Logic. ac Metaphyſic. ordinar. in Academia Argentoratenſi, Electoral. Moguntin. Academ. Scientiar. utilium, & Regiæ Monspelienſ. Societat. Scient. Sodalis. *Heraclides III.*

598. Dn. D. *Balthaſar Ludovicus* TRALLES, Medicinæ Practicus Wratislavienſis. *Avenzoar II.*

599. Dn. D. *Petrus Immanuel* HARTMANN, Medicinæ Practicus Halenſis, & Academiæ Electoral. Moguntino-Erfurtenſis Scientiar. utilium Sodalis. *Menon.*

600. Dn. D. *Ioannes Michael* HOFFINGER, Vniverſitatis Viennenſis Membrum, Sac. Cæſar. Regiæque Maieſtat. conſtitutus Phyſicus in Tranſilvania, & Reipubl. Cibinienſis in obſtetricalibus Magiſter. *Philomuſus III.*

Ordo receptionis.

601. Dn. D. *Ioannes de* GORTER, Sacratiſſ. Ruſſorum Imperatricis, ELISABETHÆ I. Perſonæ Medicus ordinarius. *Olympus III.*

602. Dn. D. *David de* GORTER, Sacratiſſ. Ruſſorum Imperatricis, ELISABETHÆ I. Perſonæ Medicus ordinarius. *Euphorbus III.*

603. Dn. D. *Fridericus Ludovicus Chriſtianus* CROPPIVS, Illuſtris Reipublicæ Hamburgenſis Phyſicus ſecundarius. *Criton III.*

604. Dn. D. *Ioannes Chriſtophorus* WEINSCHENK, Potentiſſ. Reg. Boruſſ. Conſiliar. aulic. & Regii Collegii medici Magdeburgici Adſeſſor. *Philetes III.*

605. Dn. D. *Chriſtianus Sigismundus* ZEIDLER, Potentiſſ. Reg. Boruſſ. Medicus & Conſiliarius aulicus, ac in ſupremo Senatu medico Berolinenſi Adſeſſor ordinarius. *Zenon III.*

606. Dn. D. *Wolffgang Thomas* RAV, Sereniſſ. Elector. Bavar. in Comitatu Wieſenſteig, & Illuſtr. Reipublicæ Vlmenſis in oppido & territorio Geislingenſi Phyſicus provincialis. *Serapion III.*

607. Dn. D. *Fridericus Simon* MORGENSTERN, Medicinæ Practicus Magdeburgenſis, & Academiæ Electoralis Moguntino-Erfurtenſis Scientiarum utilium Sodalis. *Ariſtogenes III.*

608. Dn. D. *Ioannes Ludovicus* LOESEKE, Medicinæ Practicus Berolinenſis. *Leonides III.*

609. Dn. D. *Godofredus Henricus* BVRGHART, Medicinæ Practicus Bregenſis, & in Regio Collegio ibidem Profeſſor primarius, itemque Cæſareo-Regiæ Societatis Scientiarum Olmutienſis Sodalis. *Zoſimus III.*

Ordo

Ordo receptionis.

610. Dn. D. *Ioannes Carolus* HEFFTER, Medicinæ Practicus Zittavienſis, Monaſterii Mariævallenſis Phyſicus, & Lipſienſis Societatis artium liberalium Membrum honorarium. *Herodicus III.*

611. Dn. D. *Ioſephus* BENVENVTI, Medicinæ Practicus in illuſtri Luccenſi Republica. *Epicharmus II.*

612. Dn. D. *Theophilus Beniamin* FABER, Medicinæ Profeſſor publicus extraordinarius in Academia Tubingenſi. *Niceratus II.*

613. Dn. D. *Ioannes Chriſtophorus* HENNIKE, Celſiſſimorum Comitum Hohenloicorum, Bartenſteinenſis, Waldenburgenſis & Neuenſteinenſis, Conſiliarius & Archiater, Medicinæ Practicus Oehringenſis. *Hierax II.*

614. Dn. D. *Ioannes Fridericus* SCHREIBER, Anatomes & Chirurgiæ Prof. publ. Petropolitanus, & Imperial. Academ. Scientiarum ibidem Sodalis honorarius. *Alcmæon II.*

615. Dn. *Petrus* CARPZER, in illuſtri Hamburgenſi Republica Medicus & Chirurgus celeberrimus dexterrimusque. *Albucaſes II.*

II.

CATALOGVS

Dominorum Collegarum huius Academiæ, hactenus, quantum quidem nobis constat, demortuorum.

Ordo receptionis.

191. Dn. D. *Christianus* HORCH, Potentiff. Regis Borussiæ Consiliarius intimus & Archiater primarius, in supremo Senatu medico & Collegio Sanitatis Berolinensi Adsessor, †. d. 20. April. 1754. ann. ætat. 78.

370. Dn. D. *Ioannes Hartmannus* DEGNER, Civitatis Neomagiensis Physicus ordinarius, tandemque Scabinus & Consul, †. d. 6. Novemb. 1756. ann. ætat. 66.

417. Dn. D. *Hermannus Paulus* IVCH, Comes Palatin. Cæsar. Facultat. medicæ Erfordiensis Senior & Adsessor primar. Patholog. & Prax. Prof. publ. ordinar. Serenissimor. Saxon. Ducum, Vinariens. Isenacens. & Gothani, Consiliar. aulic. & Archiater, †. d. 15. Iul. 1756. ann. ætat. 80.

425. Dn. D. *Georgius Erhardus* HAMBERGER, Sereniff. Saxon. Ducum stirpis Ernestinæ Consiliarius aulicus, Physices, Chymiæ & Praxeos in Ienensi Academia Prof. publ. ordinar. Facultat. medicæ Senior, & Medicus provincial. Ienensis, †. d. 22. Iul. 1755. ann. ætat. 58.

452. Dn. *Fridericus Christianus* LESSER, Ministerii Evangelici Nordhusani Senior, Aedis St. Iacob. & Martin. Pastor, Regiæ Berolinens. Academ. Scient. Sodalis, itemque Societat. Teuton. Gœttingens. & Bremens.

Mem-

Ordo receptionis.

Membrum honorarium, †. d. 17. Septemb. 1754. ann. ætat. 63.

467. Dn. *Ioannes David* KOELER, Hiſtoriarum in Regia Gœttingenſi Academia Profeſſor publ. ordinarius, †. d. 10. Mart. 1755. ann. ætat. 72.

469. Dn. D. *Ioannes Nathanael* LIBERKVHN, ſupremi Collegii medici Berolinenſis Adſeſſor, & Regiar. Academiar. Scientiar. Anglicanæ & Pruſſicæ, Sodalis, †. d. 17. Decemb. 1756. ann. ætat. 46.

471. Dn. D. *Ioannes Valentinus* HARTTRAMFT, Medicus obſtetricius & Practicus Lipſienſis, †. d. 14. Auguſt. 1755.

477. Dn. D. *Henricus Godofredus* ZOPFF, Conſiliarius & Archiater Ruthenicus, ac Phyſicus provincialis Greitzenſis, †. d. 28. Februar. 1755. ann. ætat. 63.

555. Dn. D. *Caſpar Leopoldus* KIRCHSCHLAGER, Auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ, ELISABETHAE CHRISTINAE, glorioſiſſimæ memor. Conſiliarius & Archiater, †. d. 13. Maii 1755. ann. ætat. 49.

566. Dn. *Ioannes Ambroſius* BEVRER, Xenodochii Norimbergenſis ad Spiritum ſanctum Pharmacopœus ordinarius, †. d. 27. Iun. 1754. ann. ætat. 39.

577. Dn. D. *Ludovicus Godofredus* KLEIN, Celſiſſ. Comitis Erbacenſis Conſiliarius & Archiater, & territorii Erbacenſis Phyſicus ordinarius, †. d. 20. Iun. 1756. ann. ætat. 41.

578. Dn. D. *Ioannes Ioſephus* Nobilis de BERGER *a* SIEBENBRVN, Sereniſſ. Electoris Bavar. Conſiliarius & Archiater cubicularius, itemque Statuum provincialium pro Circulo Monachienſi Phyſicus ordinarius, †. d. 4. Ianuar. 1756. ann. ætat. 45.

CA-

III.

CATALOGVS

alphabeticus

Excellentiſſimorum Virorum, qui pro hoc Tomo I. obſervationes phyſico-medicas communicarunt.

Dn. D. *Ioann. Sebaſt.* ALBRECHT, Gymnaſii Caſimiriani academici, quod Coburgi floret, Philoſoph. natural. Profeſſor publicus ordinar. & Phyſicus Ducalis provincialis, Acad. N. C. ADIVNCTVS, d. *Panthemus.* pag. 1. 209.

Dn. D. *Carolus Auguſtus de* BERGEN, Hæreditarius in Roſengarten, Medicinæ in Academia Francofurtana ad Viadrum Prof. publ. ordinar. & Reg. Berolinenſ. Acad. Scientiar. Sodalis, Acad. N. C. *Philaretus II.* pag. 187. 336. *Append.* pag. 1.

Dn. D. *Ioann. Wolffgang. Fridericus* BOENNEKEN, Sereniſſ. Princip. regnant. de Lœwenſtein-Wertheim Conſiliar. aulæ & regiminis, Archiaterque primarius, ac Reipubl. Svinfurtenſis Phyſicus & Senator, Acad. N. C. *Baſſus II.* pag. 198.

Dn. D. *Ioannes Philippus* BVRGGRAVE, Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Principis Electoris Moguntini Archiater, & Poliater Francofurtenſis ad Mœnum, Acad. N. C. *Serenus II.* pag. 305.

Dn. D. *Salentinus Erneſtus Eugenius* COHAVSEN, Eminentiſſ. Electoris & Archiepiſcopi Trevirenſis Conſiliar. actual.

actual. intimus & Archiater primarius, Acad. N. C. *Cleombrotus II.* pag. 391. *Append.* pag. 189.

Dn. D. *Henricus Ioannes Nepomucenus* CRANTZIVS, Acad. N. C. *Clidemus II.* pag. 259. *Append.* pag. 73.

Dn. D. *Fridericus Ludovicus Chriſtianus* CROPPIVS, Illuſtr. Reipublicæ Hamburgenſis Phyſicus ſecundarius, Acad. N. C. *Criton III.* pag. 266.

Dn. D. *Henricus Fridericus* DELIVS, Sereniſſ. Marchionis Brandenburg. Culmbacenſis a conſiliis aulicis, Medicin. Prof. publ. in Erlangenſi Academia, & Regiar. Societ. Scientiar. Monspelienſ. & Rhotomagenſ. Sodalis, Acad. N. C. *Democedes II.* pag. 97.

Dn. D. *Joannes Bernhardus de* FISCHER, quondam Ruſſorum Magnæ Imperatricis, ANNÆ, glorioſæ memoriæ, Perſonæ Medicus, & per Ruſſias, medicas res dirigens Archiater, Acad. N. C. *Olympus.* pag. 284.

Dn. D. *Joannes Hermannus* FVRSTENAV, Medicinæ primarius & Oeconomiæ ordinarius Profeſſor in Academia Rintelienſi. pag. 113.

Dn. D. *Carolus Philippus* GESNER, Potentiſſ. Reg. Polon. & Elector. Saxon. in Tribunali rerum metallicarum Conſiliarius & Medicus aulicus, Acad. N. C. *Demoſthenes II.* pag. 183.

Dn. D. *Joannes Chriſtianus* IACOBI, Militum præſidiariorum Vinarienſium Medicus ordinarius, & Academ. Electoral. Moguntino-Erfurtenſis Scientiar. utilium Sodalis, Academ. N. C. *Idmon III.* pag. 228. *Append.* pag. 163.

Dn. Lic. *Chriſtian. Frider.* IOERDENS, Medicinæ Practi-

cus & Scholarcha illuſtr. Gymnaſii Curienſis in Variſcia, Acad. N. C. *Micon.* pag. 280.

Dn. D. *Gottlieb Henric.* KANNEGIESSER, Magni Ruthenorum Ducis Conſiliarius Iuſtitiæ, Medicinæ in Academia Kilonienſi Prof. publ. primar. & Collegii Chirurgor. Præſes, Acad. N. C. *Telamon II.* pag. 149.

Dn. D. *Ludovicus Godofredus* KLEIN, Celſiſſ. Comitis Erbacenſis Conſiliarius & Archiater, Civitatisque ac territorii Erbacenſis Phyſicus ordinarius, Acad. N. C. *Cteſias II.* pag. 85. 146.

Dn. D. *Chriſtophorus Fridericus* KVHN, Medicinæ Practicus Iſenacenſis, Acad. N. C. *Evelpides II.* pag. 107. 219.

Dn. D. *Georgius Chriſtianus* MATERNVS de CILANO, Philoſoph. natural. Medicin. & Antiquitat. græcar. atque romanar. Profeſſor, & Chriſtianei Altonenſis Director, Regiæ Societati Scientiarum Hafnienſi aliisque adſcriptus, Acad. N. C. *Menander II.* pag. 10.

Dn. D. *Fridericus Simon* MORGENSTERN, Medicinæ Practicus Magdeburgenſis, & Academiæ Electoralis Moguntino-Erfurtenſis Scientiarum utilium Sodalis, Acad. N. C. *Ariſtogenes III.* pag. 375.

Dn. D. *Godofredus Guilielmus* MVLLER, Medicinæ Practicus Francofurtenſis ad Mœnum, Acad. Nat. Cur. ADIVNCTVS, d. *Mundinus I.* pag. 241.

Dn. D. *Wolffgang Thomas* RAV, Sereniſſ. Elector. Bavar. in Comitatu Wieſenſteig, & illuſtr. Reipubl. Vlmenſis in Oppido & territorio Geislingenſi Phyſicus provincialis, Acad. N. Cur. *Serapion III.* *Append.* pag. 49.

Dn. D. *Joannes Chriſtianus* REINMANN, Civitatis Ducalis

lis Schwartzburgo-Rudolſtadienſis & totius Provinciæ Phyſicus ordinarius, Acad. N. C. *Rufus III.* pag. 289.

Dn. D. *Carolus Wilhelmus* SACHS, Medicinæ Practicus Wratislavienſis, Regiique Collegii medici ac ſanitatis ibidem Adſeſſor, Acad. N. C. *Phoſphorus IV.* pag. 141. 382.

Dn. D. *Franciſcus Lacroix Boiſſier de* SAVVAGES, Chriſtianiſſ. Regis Galliæ Conſiliarius & Medicus, Profeſſor Medicinæ ordinarius in Monſpelienſi Academia, Regiar. Societatum Scientiar. Londinenſ. Monſpelienſ. Vpſal. & Stockholm. Sodalis, Acad. N. C. *Straton II.* pag. 128.

Dn. D. *Joannes Daniel* SCHLICHTING, Medicinæ Practicus Amſtelodamenſis, Acad. N. C. *Nymphodorus II.* pag. 339.

Dn. D. *Gottwald* SCHVSTER, Regius & Electoralis Phyſicus Provincialis Chemnicenſis, Acad. N. C. *Sabinus II.* *Append.* pag. 139.

Dn. D. *Gottlieb Carolus* SPRINGSFELD, Sereniſſ. Marchion. Brandenburgo-Baruthini Conſiliar. aulicus & Archiater, Medicus aulicus Saxo-Ducalis, Phyſicus civitatis Weiſſenfelſenſis, Reg. Berolinenſ. Societat. Scientiar. itemque Teutonicæ Lipſienſis Sodalis, Acad. N. C. *Stantius II.* pag. 18. 366.

Dn. D. *Joannes Erneſtus* STIEFF, Medicinæ Practicus Wratislavienſis, & Societatum litterariar. Lipſienſis & Zittavienſis Sodalis, Acad. N. C. *Solon II.* pag. 348.

Dn. D. *Daniel Gottlob* THEBESIVS, Conſul & Phyſicus civitatis & Circuli Treptovienſis, itemque civitatum Greiffenbergenſis & Caminenſis in Pomerania, Acad. N. C. *Euriphon II.* pag. 60. 175.

Dn. D. *Balthaſar Ludovicus* TRALLES, Medicinæ Practicus

ticus Wratislavienſis, Acad. N. C. *Avenzoar II.* pag. 325.

Dn. D. *Chriſtophorus Jacobus* TREW, S. R. I. Nobilis, Sacr. Cæſ. Maieſt. Conſiliarius, Archiater, & Comes Palat. Cæſar. Sereniſſ. Marchion. Onoldino-Brandenb. Conſiliarius aulicus & actualis Archiater, Reip. Norimb. Phyſicus ord. Senior, Regg. Societat. Scientiar. Londinenſ. Berolinenſ. & botanicæ Florentin. Sodalis, Ephemerid. Acad. Cæſ. N. C. DIRECTOR. pag. 409.

Dn. *Remon de* VERMALE, Sereniſſ. Electoris Palatini Conſiliarius & Chirurgus primarius, Regiæque Pariſienſis Academiæ Chirurgorum Sodalis. pag 313.

Dn. D. *Rudolph. Auguſtin* VOGEL, Medicinæ in Academ. Georgia Auguſta Gœttingenſi Prof. publ. extraordinarius, Acad. N. C. *Philoxenus III.* pag. 127.

Dn. D. *Joannes Fridericus* WEISMANN, Sereniſſ. Marchion. Brandenburgo-Culmbacenſis Conſiliar. aulicus & Archiater, ac in Fridericiana Erlangenſi Academia Medicinæ Prof. publ. ordinar. Acad. N. C. *Phoſphorus III.* pag. 276.

NOVORVM ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM VOLVMEN PRIMVM.

OBSERVATIO I.

DN. D. IOANN. SEBAST. ALBRECHT.

Hæmoptyſis hypochondriaco-hæmorrhoidalis periodica, per XL. annos, ſine Phthiſeos labe durans, marasmo tandem ſenili terminata.

Hæmoptyſis iuniori ætati, procerioris ſtaturæ ſubiectis, plethoricis, nobiliori inprimis ſexui, ſive largiori excretione ſanguinis, ſive tranſitu in phthiſin, teſte experientia, funeſtus plerumque, interdum vero etiam valde acutus eſt affectus. Vidi enim, qui primo inſultu, ſine perpeſſa externa violentia, intra viginti quatuor horarum ſpatium, ex larga ſanguinis profuſione mortui ſunt. Memoria itaque di-

gnæ sunt rariores obſervationes, ubi ſubiecta quædam per plures annos ad ſenium usque ſine vitæ periculo, aut pthiſeos labe, ſuſtinuerunt hunc affectum periodice reverſum. Exemplum hoc probat viri, ſartoris annò 1686. nati, procerioris ſtaturæ, macilenti corporis habitus, in puerili ætate copioſas narium hæmorrhagias experti, in cuius corpore vaſa anguſta copiam ſanguinis vehunt, animi ſenſibilioris & ad iram inprimis valde proclivis, qui ab anno ætatis trigeſimo ſecundo ad præſentem usque vitæ progreſſum, quotannis bis, ter, quater, imo ſæpius, pro cauſarum occaſionalium frequentia, largiore ſanguinis profuſione per os, ſine vomitu, laboravit periodice, adeo ut morti nonnunquam proximus ſit iudicatus, attamen quoniam diætæ regulas exacte obſervavit & congruam medelam admiſit, adhuc ſemper validas periculi manus eluctatus eſt feliciter. Quæ ab hoc ægroto mihi relata ſunt, quæque ipſe per plures annos in eo obſervavi, nunc candide referam. Anno MDCCXII. menſe Februario, aulæis penſilibus parietibus in domo Sereniſſimæ cuiusdam Saxoniæ Principis adaptandis occupatus, infelici caſu de ſcala præceps datus, contuſione graviori hypochondrium dextrum læſit. Medicus aulicus a Sereniſſima Principe vidua gratioſiſſime commendato ægro opem tulit, tam externis reſolventibus, quam internis traumaticis, decoctis & aliis, ſub diverſa forma paratis, medicamentis, ita ut afflictus, ſine reſpiratione difficiliore, faciendorum ſibi demandatorum rite obeundorum plenam facultatem denuo acquiſiverit. Sed poſt quatuor menſes cum acceleratis paſſibus officiis vellet facere ſatis, accidit, ut rupturam quandam circa locum antea affectum ſentiret, mox vero copia ſanguinis, purulenta materia mixti, abſceſſus hactenus latentis ſigna evidentiſſima palam faceret. Medicus his quoque malis oppoſuit congrua auxilia. Tranquillus animo, corpore ſanus, aliquot tranſegit annos, ſed poſt trigeſimum ætatis ſenſit moliminum hæmorrhoi-

rhoidalium incommoda circa os ſacrum & in ano, nec non dolores preſſorios in hypochondrio dextro, quibus neglectis tandem poſt duos annos recruduit hæmoptoicus affectus, poſthæc ad ſenium usque periodice ſæpius, modo cum minori, modo cum maiori ſanguinis profuſione recurrens. Ab eo tempore, quo meis conſiliis uſus eſt æger, quæ obſervavi, ſic ſe habent. Poſtquam primum mali ſenſum circa os ſacrum & proxime in dorſo, nec non in inteſtino recto percepit, hic poſt aliquot dies ſurſum progreditur ad hypochondrium dextrum, ibique dolore preſſorio ægro fit moleſtus; hinc ſtridulo quaſi motu ægro perceptibili ulterius ad fauces, ſine reſpirationis difficultate, adſcendit. Sanguis nunc proxime, ſine vomitu, ut ſupra iam monui, erumpens neque adeo inſignis rubedinis, neque adeo ſpumoſus eſt, ac in aliis hæmoptoicis communiter obſervatur. Hunc itaque affectum *hæmoptoën hæmorrhoidalem hypochondriacam* eſſe denominandum nemo, qui accuratius perpenderit rem, dubitabit, ideoque ab eo tempore, quo curam huius ægri habui, irrito licet conatu, in eo fui occupatus, ut ad naturalem excretionis locum, hæmorrhoidalem nempe, ſeu ad inteſtinum rectum, ſanguinem luxurioſe ad ſuperiora depulſum, deorſum revocarem. Hunc finem ut facilius obtinerem, non ſolum pediluvia frequentiora, ſed etiam, circa tempora æquinoctiorum æque ac ſolſtitiorum, venæſectiones in pedibus in ſubſidium vocavi, ſubinde harum loco hirudines ano applicandas ſuaſi, in uſum vocatis ſimul clyſteribus emollientibus, additis Pilulis Becherianis, leniter ſtimulantibus. Uſum harum pilularum internum, alias in hoc affectu commendatiſſimum, plane non ferebat æger, ſed potius præſervative datæ, interpoſito pulvere antiſpasmodico, excitabant ſenſum recrudeſcentis mali, rhabarbarina vero & mannata alvum cum multo levamine & proſpero ſucceſſu ſemper leniebant. Porro ſub hac rerum conditione decocto aperiente paſſulato,

ex radicibus tarax. cichor. gramin. polypodii, pro temporis ratione, nunc cum aqua simplici, nunc cum sero lactis parato, neglectis omnibus adstringentibus, & potius simul in auxilium vocatis pulveribus temperantibus, antispasmodicis, diapnoicis, tam præservative, quam curative contra rebellem hunc affectum dimicavi.

Quodsi vero vel diutius continuaret excretio, vel fractis viribus largior hæmorrhagia periculum minaretur, addidi Corall. rubr. ppt. & Mass. pilular. de Cynogloss. aliquot grana, quibus excretio non suppressa, sed mitigata succesSive, per aliquot menses moram dedit. Interim tamen aliquoties factum, sicuti plerumque fieri solet, ut, si æger, salutari hoc remedio nimium confisus, crebriori eius repetito usu, quam præscriptum erat, rem agere conatus fuerit, asthmate satis gravi oppressivo tentaretur. Supra iam monui, diætæ admodum studiosum fuisse hunc ægrotum, sed ob sensibilitatem personalem ad iram valde proclivem; data itaque qualicunque etiam leviori huius affectus causa, vel denuo proritabantur motus, vel iam præsentium exacerbatio contingebat, vel denique transibant in dolores arthriticos, axillas, manus, genua, pedes, ipsamque diaphragmatis regionem vage infestantes, continuato tamen pulverum temperantium usu remittentes. Temperata hac methodo sine phthiseos labe ad senium usque pervenit æger noster, raro sane exemplo.

Idem hic æger chronicus asthmatico diuturniori affectu affligebatur mense Ianuario anni præcedentis, comite statu cachectico, qui tandem œdematosum corporis habitum producebat, in artubus non solum inferioribus, sed etiam superioribus, maxime vero in scroto & pene adeo increbescentem, ut iterata vice urinæ via paranda fuerit incisionibus in præputio. Sed tamen & hoc cessit usui Pulv. squillit. compos. & Radic. bryon. c. Roob ebuli, adeo ut plane nullum huius œdematis vestigium reliquum fuerit. Tandem vero,

tot

tot debellatis hoſtibus, incidit menſe Auguſto huius anni in febrem hecticam marasmoden, cui denique, malorum pertæſus, d. 10. Septembr. eiusdem anni ſuccubuit.

Olim retuli caſum clinico-forenſem, de ſymptomatibus graviſſimis ex contuſione hypochondrii dextri & lumbaris regionis bacillo tereti facta (*a*), inter quæ primarium erat ſanguinis, ſine vomitu, per os profuſio, præviis motibus convulſivis, ex dolore in regione hypochondriaca ante excretionem periodice ortis. Opere ſane pretium foret, ſi quis in hiſce & ſimilibus caſibus obviam derivationem ſanguinis in bronchia, & vias, per quas tranſit, curioſius rimari velit, quoniam omnem, niſi experientia adeſſet, fidem ſuperare videntur. De conſenſu hæmorrhoidum cum morbis pectoris, poſt illuſtrem quondam STAHLIVM, non nobis deſunt aliorum doctiſſimorum virorum obſervationes & ſcripta, v. g. *Mich.* ALBERTI *Diſſ. de Hæmorrhoidum anomaliis, Hal. 1717.* EIVSD. *Diſſ. de Hæmorrhoidum inſolitis viis, ibid. 1718.* & inprimis EIVSDEM *Diſſ. de Hæmorrhoidum conſenſu cum capite & pectore, ibid. eod. ann.* Vias autem ad bronchia usque nemo adhuc demonſtravit, ſed reconditæ manent cum abſceſſuum natura. De methodo autem, ſi placet, conferri meretur Illuſtris noſtri Dni Præſidis, *Andr. Eliæ* BÜCHNERI *Diſſ. de Hæmorrhoidum optima ſanandi methodo*, Hal. 1747. CICERO quidem *Libr. de Divinatione*, rerum eventa magis, quam cauſas quæri oportere arbitratur, contentus, etiamſi quomodo & quid fiat ignoret, ſi modo intelligit, quod fiat: Sed magis proficuum fore, ſi & hoc ſciamus, quis dubitabit? Aſt omnia ſcire Dei eſt: Omnia neſcire pecudis: Scientia cum ignorantia coniuncta & temperata hominis, effato LACTANTII.

(*a*) Actor. phyſico-medic. Acad. Cæſar. Leopold. Carolin. Vol. IX. Obſ. I.

Observatio II.

DN. D. IOANN. SEBAST. ALBRECHT.

Polypi bini cordis latentes variorum graviſſimorum ſymptomatum & tandem mortis cauſæ.

Latent ſæpius in corpore humano graviorum morborum & ſymptomatum, imo ipſius mortis cauſæ, perſpicaciſſimo etiam Medico, ob ſignorum in ſenſus incurrentium defectum, vix ac ne vix quidem evidenter perſcrutabiles, ut certi quid de illis aſſerere aut curam rei debite habere valeat, quasque poſt mortem ſola anatome, ſi eius facultatem habemus, ſero nimis proh dolor! manifeſtas reddit, ut ante illam factam ſola coniectura detineamur. In harum numerum merito veniunt ſæpe *polypi*, interioribus ſanguinis canalibus, modo proximius, modo remotius a corde, inhærentes. Interdum enim fieri poteſt, ut eo loco ſint poſiti, ubi nullum eorum indicium pathognomonicum, neque per pulſum cordis & arteriarum, neque per cauſas prægreſſas, neque per ſymptomata, neque per alios ſignorum fontes evidenter patet, ſed ſi quæ ſunt ſigna, certe aliis etiam cauſis & ſymptomatibus ſunt communia, v. g. lipothymia, reſpiratio difficilior & intercepta, anxietas, immo ipſa mentis alienatio. Rem exemplo, mihi quidem in praxi clinica obviam facto, nunc illuſtrabo.

Vir quidam iuvenis, mediocris ſtaturæ & corporis habitus, ſanguineus, roſei coloris cum fuſco leviter remixti, aſt, ſi animum conſideres, curis valde diſtractus, mercator, ætatis 39. annorum, rebus ſuis anxie nimis invigilans, noctu dieque, ſub prandio æque ac cœna, rationibus mercatoriis ducendis curis & negotiis pro acquirendo emolumento & avertenda imminente iactura nimium ſtudioſus, omnium difficultatum in laboribus & itineribus patiens, uxoratus, aliquot liberorum

pater,

pater, ante hos decem annos in itinere, ſub rigidiore brumali tempeſtate, conſtitutus, una cum equo, cui inſidebat, caſu præceps dabatur in foſſam cœnoſam, aqua repletam, ita ut, cum comitem nullum haberet, de vita anxie periclitaretur. Collectis tamen corporis animique viribus, poſt multos labores tandem ſub auxiliis ſummi numinis eluctabatur feliciter periculum imminens. Poſt aliquot dies ad ſuos reverſus conquerebatur de virium proſtratione, difficili & anxia reſpiratione, interpoſitis lipothymiis. In conſilium vocatus Medicus, ex relatione eorum, quæ prægreſſa erant, cauſas meditatus, interne analepticis, confortativis, nervinis, cum lenioribus diapnoicis remixtis aut iisdem interpoſitis, externe ſacculis ex herbis nervinis ac reſolventibus reſtituere ſanitatem adniſus fuit, non neglecta venæſectione in pede revulſoria. Res quoque votis reſpondit & feliciter ceſſarunt ſymptomata, ita ut rebus ſuis iterum præeſſe valuerit. Sed ante biennium denuo incidit una cum equo in aquam frigidam, unde non ſolum antiqua ſymptomata recruduerunt, ſed etiam nova acceſſerunt diuturna, malum hypochondriacum omnino ſimulantia, quæ proximo ſequente vere Selteranarum aquarum, & altero ſeri lactis uſu, interpoſitis tonico-nervinis, multum conſopiebantur, ita quidem, ut remotas Francofurtenſes ad Mœnum æque ac Lipſienſes nundinas, pro negotiis obeundis, frequentare potuerit. Sed diætæ negligentior tandem, ſudorum imprimis & tranſpirationis nocturnæ incurioſus, (media enim ſæpe nocte, ſudore madens, lecto relicto, in ſtabulum ad equum calcitrantem properavit, ibique diu ſatis moratus refriguit,) proxime præterlapſa æſtate aſthmate adfligebatur graviſſimo, quod a neglecta tranſpiratione profectum, pro ſpaſtico-convulſivo reputabatur, quoniam, absque omni ſibilo, gravius per intervalla adeo vehementer illum invadebat, ut nocturno inprimis tempore mortis periculum plus vice ſimplici minaretur. Itaque diapnoicis, nervi-

nis,

nis, resolventibus, confortantibus atque analepticis, item clysteribus revellentibus & stimulantibus res agebatur, non neglectis mitioribus evacuantibus rhabarbarinis & mannatis. Externe spina dorsi simul cum regione diaphragmatis oleo Caiéput aliisque linimentis balsamicis, prævia frictione, inungebantur, quibus factis venæsectio revulsoria in pede in subsidium vocabatur, horumque remediorum ope levamen aliquod, sed transitorium tantum, æger percipiebat. Paucis enim interpositis tranquillioribus diebus omnia in peius iterum ruebant, ita ut, anxietatibus admodum urgentibus mente alienatus, ex lecto impetuose prosiliret miser afflictus; sed mox mens rediit & consiliis suorum cessit æger, lectum repetens, in dextrum latus curvata spina, requievit, dulci somno refectus. Recurrente autem tam gravi symptomate tandem viribus fractis d. 22. Octobr. anni præteriti hora vespertina septima mors placida miseriarum fecit finem.

De polypi cordis præsentia sæpe quidem oriebatur suspicio, sed huic nunquam respondebat pulsus, debilior quidem, sed nunquam intermittens, atque sub graviſſimo etiam insultu tactu percipiendus. Defunctus ante discessum ex hac vita suis præceperat proprio motu, ut Medico post mortem facultatem darent inquirendi in morbi adeo gravis & immedicabilis latentem causam, quod etiam sequente die ante meridiem a me, propinquorum corona cincto, factum est. Quid observatum fuerit, nunc referam candide. Totum corpus adeo emaciatum veniebat in conspectum, ut in tunica cellulosa vix signa pinguedinis apparerent. Thorace aperto uterque pulmonum lobus a sanguine nigricante, in vasculis stagnante, marmoris instar variegatus, admodum gravis erat. Cor magnum, uterque eius ventriculus sanguine vacuus, ex dextro autem per arteriam pulmonalem polypus decurrebat, in basi unius digiti, totum vas occupans, septem transversorum digitorum longitudine, in progressu in plures ramificationes, maio-

maiores minoresque, terminatus. Ex ſiniſtro autem eius ventriculo alter polypus, diametri trium linearum tantum, ſed unius pedis cum tribus unciis longitudinis, per aortam ſuperato arcu deorſum decurrebat, aſcendente ramo omnino libero, qui, extractione abruptus, æque pro ramificationis ratione plurium pedunculorum ſigna dabat. Utriusque polypi, adhuc in ſpiritu vini adſervati, ſubſtantia erat alba, tenax, elaſtica, ſatisque validam ſuſtinens tenſionem. Hepar, infimæ cavitatis viſcus ſecretorium primarium, ponderoſum, tactu durum, ſcirrhoſum, pallidioris flaveſcentis coloris, in extremitate veſiculæ felleæ proxima nigredine conſpurcatum & quaſi aduſtum; ipſa vero hæc veſicula, naturalem ſuperans magnitudinem, bile craſſa, tenaci atro-virideſcente turgida conſpiciebatur. Ventriculus una cum inteſtinis, amiſſa omni fibrarum tonica elaſticitate, flaccidus & collapſus, & vaſa ſanguifera coronaria, gaſtro-epiploica, meſaraica, ſanguine nigricante infarcta tumebant. Craſſis inteſtinis inhærebant excrementa globuloſa, flatibus diſtincta, qualia, vivo adhuc ab ægro, poſt uſum in- & externorum evacuantium, crebrius erant excreta, viſui & tactui facile obvia. Lien cum ambobus renibus, tono deſtructo, flaccida ſaltem corpora, in minorem molem corrugata, referebant. Omnis ſanguinis maſſa plane corrupta erat; vaſa enim maiora vulnerata fundebant liquidum, aut, ſi mavis, amurcam, ſedimento potus Coffee colore ſimillimam, minora autem pallidum ſeroſum omni glutine orbum. His omnibus demonſtratis & viſu perceptis multum mœſtiſſimæ viduæ, parentum adhuc ſuperſtitum & cognatorum adſtantium dolor leniebatur. Ipſi enim facile iudicabant, latitantium eiusmodi concrementorum diſſolutionem per artem & medicamenta impoſſibilem plane fuiſſe.

(*Coburgo Halam miſſæ d. 12. Ianuar. 1754.*)

Obſervatio III.

DN. D. GEORGII CHRIST. MATERNI de CILANO.

De

Hydrocephalo poſt imperitum corticis Peruviani uſum repente exorto eoque lethali.

Adoleſcens ruſticus XIX. annorum, temperamenti melancholico-ſanguinei, inde a pueritia, usque in annum decimum octavum, ſingulis propemodum diebus narium expertus eſt hæmorrhagiam. Cum decimum ſextum ageret annum, hac moleſtia ſe liberare decrevit, ob eamque cauſſam pagi ſui barbitonſorem conſuluit, qui ſanguinis miſſionem ſuaſit, eamque, vena mediana ter per annum in brachio ſecta, adminiſtravit, idque per triennium ita fieri curavit. Vt vero potentius has ſanguinis verſus nares congeſtiones interverteret, incertis temporibus & æque vago conſilio, adhibito medicamento purgante, humores eduxit, quod, draſtica ſua vehementia, quatridui ordinarie excitare ſolebat diarrhœam. His autem artibus effectum eſt, ut color hominis non modo pallidus evaderet ac ſaturninus, ſed ipſe pariter corporis habitus & membrorum robur ultra conſuetum fieret debile, & agreſti homini minime conveniens. Vltimo anno, qui fatalem morbum antecedebat, fortuito factum eſt, ut & hæmorrhagiæ ceſſarent, ipſeque homo quæſtionis, ſua ſponte & neſcio qua incuria ductus, conſuetas ſanguinis miſſiones negligeret; quod tamen impune non tulit.

Etenim ſub finem veris cum iter paucorum dierum ſuſciperet maritimum, vomitu prius corripiebatur navigantium; deinde, ob inſuetas frigoris nocturni moleſtias, in febrem incidit *tertianam*, cum qua per dies quindecim colluctatus eſt, ſub-

ſubinde uſus remediis, quæ dici ſolent domeſticis, & quibus plus inerat ſuperſtitionis, minus autem noxæ: ob quam rem nec febris ſuppreſſa, nec alio quocunque modo mutata eſt. Octo paroxyſmos febriles iam perpeſſo, ſe tandem obtulit alius tonſor, qui intra quatriduum corticis Peruani uncias tres, ſine ulla corporis aut materiæ febrilis præparatione prius adhibita & præmiſſa, eidem exhibuit, febremque cito ſatis, at minus tuto fugavit.

Per dies *ſeptem* poſt febrim ſuppreſſam agreſtibus ſuis adhuc vacavit laboribus, quibus tamen admodum languide functus eſt, nec cibi appetens erat.

Die *octavo* in labio oris ſuperiori ſubito enata eſt puſtula, furunculo minori ſimillima, quæ die pariter *nono* eadem apparuit. Die *decimo* totum intumuit labrum. Die *undecimo* ſecutus eſt univerſæ faciei tumor. Die *duodecimo* idem tumor occupavit occiput ad collum usque, tanto ſui incremento, ut ægrotantis caput duplo maius appareret, & ſua latitudine, quæ *tredecim* erat digitorum mechanicorum cum dimidio, veri monſtri præberet imaginem.

Cutis *color* & *calor* ad ſenſum erant naturales; *pulſus* inſuper febrilis, *urina* rubens, ſine ſedimento; & *tranſpiratio* ſuppreſſa. Iſthæc excipiebat *alvi obſtructio*, iam inde a die *nono* affligens, & dolor etiam premens circa ſcrobiculum cordis. Obſtructioni levamen attulit enema die duodecimo iniectum, quod materiam nigram educebat copioſam, cadaveroſi fœtoris. Hydrocephali tumor, ut ſolet in hydropicis, in diem usque *decimum tertium* erat frigidus, mollis, & impreſſas foveas diu ſervans.

At hoc ipſo die in capite paſſim atque facie rumpebatur cutis, manabat ſerum, tumor ipſe fiebat dolorificus, æſtus inſuper totius corporis invaleſcebat, cum tumoris incremento, quod tantum erat, ut & oculos occluderet, & ipſa ſupercilia, prorſus diſparentia, opprimerentur; reliquum vero cor-

poris nihil referebat hydropici. Tonſor in hac calamitate ad draſticum purgans quidem confugit, ſed ſine ſperato effectu. Enemate ergo ſuccurrendum eſſe putavit, quod æque ac prius, materiam eduxit nigricantem & cadaveroſam, ſed morbi ſtatum in melius non mutavit: etenim eodem die tumor faciei antea pallidus, repente apparuit rubicundus, cum mentis alienatione & abolita facultate deglutiendi, unde die *decima quinta* capitis tumor obſcure rubens ſphaceli dabat indicia, ipſumque ægrum eadem nocte interemit.

Obſervatio IV.

DN. D. GEORGII CHRIST. MATERNI de CILANO.

De

Delirio periodico, ex alvi obſtructione, alternis ſemper diebus recurrente.

Virgo ſeptuaginta annorum, temperamenti melancholici, laborioſæ indolis, quæ omne vitæ tempus ſine morbis tranſegit, venamque ſecari numquam curavit, & anno ætatis quadrageſimo octavo ceſſantem menſium fluxum experta eſt, ob illatam ſibi iniuriam tantopere iracundia exarſit, ut animi ægritudo, cui nimium indulgebat, in veram tandem tranſiret melancholiam, quæ hoc modo ſe prodidit. In cubiculo ſuo incluſa, obambulando, ſuſpiria ducendo & ſublatis in cœlum manibus plangendo, triginta dies totidemque tranſegit noctes, ſine ſomno aut ullo quietis intervallo; prandium vero ab aliis paratum, cœnamque more conſueto aſſumſit, alvumque quotidie ſolutam habuit.

Iſthæc calamitas tandem circumſtantes familiaresque commovit, ut medendo huic malo animum adiicerent ægrotamque

que vi adigerent, ut, quantumvis obniteretur, venam ſibi in pede ſecari invita permitteret. Ad ſumenda tamen medicamenta nulla arte cogi poterat, nullisque minis moveri. Venæſectionis effectus tamen erat laudabilis: poſtridie enim non modo tranquille tranſegit tempus, ſed de præſenti etiam auxilio lætabatur. Noctu ſomnus ſecutus eſt per horas ſeptem continuas, placidus & nihil interruptus, qui adſtantibus ſpem fecerat ſubito recuperatæ ſanitatis. Expergefacta autem, næ! quantum non incuſſit terrorem ſingulis? Maniacæ enim erat ſimillima. Abſurda loquebatur omnia, irrequieta & propemodum furens, obambulando in cubiculo, totius diei trivit tempus, ipſamque noctem, usque ad horam matutinam *tertiam*. Tunc delaſſata, ſponte ſua conſedit in ſella, veſtes exuit, atque cubitum ivit. Obdormivit placide, & ſomno ſopita, usque ad horam *nonam* matutinam quievit. Sponte excitata, ſurrexit, bene memor prægreſſæ diei turbarum, quas riſit, & ſuam mirata eſt dementiam, qua, tum ſibi, tum aliis, citra ullam memorabilem cauſſam tantas creaverat moleſtias. Die hac transacta, hora nona veſpertina ad ſomnum ſe compoſuit, & in horam uſque quartam matutinam ſequentis diei perdormivit. Exſuſcitata autem furens, deſperabunda & quaſi muta, antiquum obtinebat, appetitu tamen nihil imminuto. Iuſto enim tempore prandium cœnamque ſumſit, circa horam tertiam matutinam alvum depoſuit & corpus quieti dedit. Finito ſomno circa horam nonam matutinam, ſurgens iterum mentis compos, affabilis & hilaris eſt, diei tempus tranquillo otio terit, iuſtoque tempore lectum repetit, ſomnum capit, uſque ad ſæpius indicatam horam tertiam matutinam, qua expergefacta, repente ſurrexit, totamque diem & noctis maximam partem delirans tranſegit, ſine tamen ieiunio. Hora tertia alvus ſolvebatur, & hoc facto, ſomno obruitur, qui continuat in conſuetam uſque horam nonam matutinam, qua

lectum deserit & optime sibi constans, contra morem, otio indulget, corpus vero bene nutritum nullo modo exercet.

Tempore lucidi huius intervalli, quando amici familiaresque monent, vellet omnino in illam incumbere curam, ut tanto malo per convenientem medicationem quantocyus iretur obviam, tunc subridens respondet: se utique esse sanam & medicamentis indigere nullis; imo vereri se, ne post medicamentorum usum iterum delirio corripiatur.

Alternis itaque diebus mentis compos est, deliratque, & alterum iam annum in eadem versatur calamitate, ordine, quem præscripsimus, prorsus non interrupto.

Observatio V.

DN. D. GEORGII CHRIST. MATERNI de CILANO.

De

Empyemate in vera pleuritide subnato, postea sponte rupto, cuius materia purulenta, una cum urina excreta est.

Iuvenis rusticus viginti octo annorum, quadratus & robustus, ceterum inde a iuventute semper pancratice valens, præterita hieme, certo die apud herum labori tantopere intentus, nimium quantum exagitavit sanguinem, ut totum corpus æstuaret & sudoribus quasi diffluere. At finito laborum penso, ominosa quiete usus subito refrixit. Hanc importunam refrigerationem illico excipiebant capitis dolor, languor universalis, & lateris dextri punctiones dolorificæ, cum copiosa pituitæ excretione, cui sanguis admixtus erat. Æstus præterea erat continens, cum delirio vehementiori. Miser sibi relictus, nullo medicamine levatus, nullius consilio adiutus,

tus, per octiduum ita colluctabatur, & ſimplicis aquæ potu refectus, pedetentim delirare ceſſavit, & die morbi decimo ſexto lectum reliquit. Eo ipſo autem in loco, in quo punctiones ſenſit, ſimul animadvertit tumorem ſeſe attollentem, quem tamen, ceu levius incommodum, initio ſprevit, & ſponte ceſſaturum ſperavit. Sed aliter longe res cecidit. Tumor ipſe augebatur in dies, una cum dolore comitante; reſpiratio fiebat impedita & difficilis, & hanc calamitatem, *poſt ſuperatam* iam pleuritidem, ad diem usque *decimum octavum* toleravit, quo ipſo die, poſt mediam noctem ſubito expergefactus, aliquid in pectore ſibi crepuiſſe & diſruptum eſſe credidit, quoniam ita ſe ſenſiſſe pro certo adfirmavit.

Reſpiratio ea ipſa nocte facta eſt expeditior, & ipſe tumor longe apparuit minor, dolorque, antea urgens, ſponte ceſſavit quidem, ſed noviſſima querela erat moleſtus ſenſus in pectore, tamquam ab aqua ibidem fluctuante excitatus. Die proxime ſequenti ſenſit æger ardorem in urethra inſuetum, dum lotium redderet. Sua ſponte igitur id conſilii cepit & aliquid urinæ in vaſculum, quod ad manus erat, exceptæ, in urbem miſit ad Medicum, qui in urina pus eſſe quidem vidit, ſed ex ulcere vel renum, vel veſicæ eſſe iudicavit. Potionem ergo diureticam miſit, qua adhibita, urina in tanta copia excernebatur, ut propemodum ſtillare vix ceſſaret, & dimidium ferme puris ſecum veheret. Sub his circumſtantiis ſæpe adfirmavit æger, ſe diſtincte intra corpus ſentire puris ex pectoris cavo deſcenſum, & ſecundum dorſi longitudinem eius manationem in infimum ventrem. Comperto ergo effectu tam laudabili primæ potionis diureticæ, etiam ſecunda & tertia exhibebatur, quarum uſu æger intra dies duodecim perfecte convaluit. Plures habemus caſus ſimiles; hunc vero noviſſimum cum publico communicare non piguit, ut vel iuniores diſcant, avorum noſtrorum obſervationes eſſe veriſſimas, hominis præter ea naturam eamdem,

&

& facti possibilitatem satis demonstrari per ipsos, qui contingunt, casus clinicos, licet viæ illæ, ex cavo pectoris in vasa emulgentia ducentes, ipsi naturæ sint cognitæ, nobis contra prorsus ignotæ. Bene omnino de Anatome corporis humani & re pathologica merebunt, qui in has vias inquirere, easque planissime detegere laborabunt: sine dubio, ipso ductu thoracico subtiliores esse nequeunt, qui tamen, quoties libet, inveniri potest.

Observatio VI.

DN. D. GEORGII CHRIST. MATERNI de CILANO.

De

Spasmo opisthotono lethali, ex nervi plantaris læsione orto.

Mercenarius, dum fabris lignariis præsto esset, operamque mercenariam illis navaret, inter gradiendum, dum ligna illis adportat, pede dextro in clavum ferreum fortuito impingit, eoque, quia in ligni frusto hærebat & verticaliter erectus erat, plantam induit, nervumque plantarem violenta punctione læsit. Consequens symptoma huius læsionis dolor erat acutissimus, & subito facta pedis & tibiæ monstrosa intumescentia, quam necessario excepit impotentia ambulandi. Sociorum itaque opera sublatus & domum deportatus est. Postquam decubuisset, situ horizontali, ut solent ægrotantes, in lecto cubare non potuit, sed spasmo violento opisthotono correptus, miserandum præbuit spectaculum. Capite nimirum in declivi locato, & pectore cum abdomine in altum elevatis, universa dorsi spina ita contrahebatur, ut cavum formaret arcuatum, quemadmodum delineata *Figura I. Tab. I.* ad vivum exprimit. Sequebantur quotidie convulsiones, cum

cum dolorum continuatione adeo pertinaci, ut ne opiatis quidem demulceri, nedum cohiberi potuerint. In ſtatu hoc conclamato & dira calamitate, in qua alvus obſtructa erat, urina vero parciſſime manabat, & ipſe ægrotus, & eius uxor, ardenti tenebantur deſiderio mortis, quæ tamen opinione diutius cunctabatur, & infelicis vitæ finem, die viceſimo ſexto morbi, tandem adferebat. In ſitu, quem delineavi, totidem diebus iacuit, atque in eodem etiam obriguit, nec ulla vi dorſum ita arcuatum deprimi, aut artus, ſpaſtice contracti, extendi & in ſitum decentem reponi poterant. Ob eam cauſſam loculum etiam conſueto altiorem parari neceſſe erat, quo cadaver inflexile condi & terræ mandari poſſet. Plebs tonſorum, quæ in artis chirurgicæ dedecus vivit, prodigium eſſe, clamitavit, & neſcio quas artes magicas & incantationes ſuſpicata eſt, ignara diviſionis & diſtributionis nervi iſchiadici ſeu cruralis poſterioris, ad plantas uſque pedum decurrentis, ibique varie diſperſi. Ignara etiam conſenſus nervorum, ob quem factum eſt, ut læſo ſemel, in ſua extremitate plantari, nervo iſchiadico, ipſa ſpinalis medulla adficeretur, univerſamque dorſi ſpinam & partes muſculoſas opiſthotono correptas, contraheret, atque ipſum motum humorum progreſſivum non turbaret modo, ſed etiam ſecretiones & excretiones ſalutares ſufflaminaret, atque ſpe lentius ægrotum inter tot immanes cruciatus tandem vita privaret.

(*Altona Halam miſſæ d. 18. Ianuar. 1754.*)

Observatio VII.

DN. D. GOTTLIEB CAROLI SPRINGSFELD.

Calculus vesicæ prægrandis, insueta hactenus via, incisa scilicet vagina uteri, ex vesica feliciter extractus.

Artis chirurgicæ peritis notum est, quotuplici via calculus ex vesica eximi possit. Diversæ hæ viæ, seu calculi extractiones, diversa quoque ab inventoribus, qui hanc vel illam commodiorem credebant atque tutiorem, indeque alteram alteri præferebant, obtinuerunt nomina. Orta sic est *Celsiana*, *Franconiana*, *Mariana*, *Raviana*, *Cheseldeniana*, *Foubertiana*, *Draniana* & *Cattiana* sectio, seu calculi extractio. Evolvat, qui harum differentias scire cupit, HEISTERVM (*b*), PLATNERVM (*c*) & GÜNZIVM (*d*).

Enarrabo iam historiam, ubi calculus quatuor fere unciarum, insueta, ni fallor, adhuc via, incisa scilicet uteri vagina, ex vesica extractus est. Fuit ægra, quæ hanc curationem sustinuit, nobilis quædam femina, generosissimi Domini de M. Sereniſſimi quondam Principis nostri arcis Præfecti coniux, totam per urbem ob hanc sectionem celebris. Tenella hæc femina, triginta sex annos nata, trium liberorum mater, anno 1737, qui matrimonii sextus erat, post puerperium ægre se habere cœpit. Conquerebatur inprimis de perpetuo ani tenesmo, quem creber & laboriosus ad urinam reddendam stimulus, & constans in perinæo dolor comitabantur. Hic

(*b*) *Institution. Chirurg. Part. II. Sect. V. Cap. 140. §. 6.*
(*c*) *Institution. Chirurg. §. 1362. & sqq.*
(*d*) *Observation. chirurg. de calculum curandi viis*, &c. Lipsiæ, 1740.

Hic etiam urinæ interdum occupabat iter, quod *urethram* nostri dicunt. Vrina crebro, sed exigua tantum copia reddebatur; suppressa autem nunquam fuit. Menstrua initio morbi iusto quidem tempore, admodum tamen parce fluebant, progressu morbi non amplius prodibant. Hæc excipiebat humoris albi glutinosi effluvium modicum, quod modo cessabat, modo redibat. Et quoniam ano cum vesica quoddam consortium est, etiam ille in consensum veniebat. Vasa enim hæmorrhoidalia, ob continuam egerendi cupiditatem, perpetuo irritata, mucosi quoque interdum nonnihil fundebant sanguinis, plerumque tamen inflata ac dura, extra anum cum dolore prominebant. His omnibus accedebat febris irregularis, vaga dicenda, qua ægra interdiu noctuque excruciabatur, artusque attenuabantur. Medicus ordinarius, quem in consilium vocaverant, ad fluxum hæmorrhoidalem præsertim respiciens, inordinato atque perturbato huic negotio, uti aiebat, reliqua tribuebat symptomata. Celebratissima igitur ad hunc finem adhibens remedia, omnem eo intendebat animum, ut fluxum hunc restitueret efficeretque regularem. Exhibebat pilulas balsamicas, pulveres nitrosos, infusa theeformia; imperabat venæ sectiones, pediluvia, clysteres; in usum vocabat fotus, unguenta, & quæ sunt reliqua: sed frustra omnia. Præstantissima enim ex hac classe medicamenta nec quidquam proficiebant, sed potius omnia in peiorem verti videbantur partem. Manentibus enim crebriori urinæ stimulo, anique tenesmo, vires in dies decrescebant, ac febris augebatur. Hæc minime eum in finem indico, ut culpam quandam in priorem coniicerem Medicum: sed ideo saltem refero, ut cognoscamus, quam facile sit, falli, magis tamen difficile, ab opinione, quam semel animo nobis finximus, discedere, aliisque assentire.

Ægra interea maritusque diuturnitatis curationis, quam per duos annos patienter tulerant, pertæsi, missum priorem

faciebant Medicum, meque anno 1740. in consilium vocabant. Invenio corpus emaciatum, febre depastum, continuisque vigiliis confectum. Examino omnia, mecumque observata accurate reputo: aliquid tamen certi de morbi natura nondum determinare audebam. Inter alia vero constans & dolorificus ani tenesmus, frequensque ad alvum deponendam stimulus, quem statim laborioſa vesicam exonerandi excipiebat cupiditas, attentissimum me faciebant. Tam frequenter enim illa ægrotam nostram afficiebant, ut die noctuque omni fere hora bis vel ter e lecto surgere cogeretur. Si enim remanebat, nec satis cito surgebat, paullatim & sine voluntate destillabat urina. Alvus semper cum dolore, multisque cum flatibus, odore tamen destitutis, reddebatur; id vero quod excernebatur raro merda, sed mucus albus tenax erat, & licet pauciſſima tantum egereretur copia, paululum tamen in eo levamenti erat. Vrina, si matella vitrea excipiebatur, quod multo cum labore fiebat, (profluebat enim plerumque sine voluntate,) albida erat, crassa, & quod in ea desidebat, mucus erat albus, cremori lactis similis, æmulus puris. In hoc nonnunquam aut paucus sanguis, aut quædam cruenta concreta observabantur. Tanta autem copia mucus ille, qui subsidebat, cum urina quotidie excernebatur, ut nulla colligeretur urina, cui non copioſe inesset; sed arenulæ vel sabuli ne tantillum unquam in illa reperiebatur, quamvis de eiusdem acrimónia valde conquesta sæpe sit ægra. Præter ea gravitatis cuiusdam in ea parte, quæ perinæum nostris audit, sensus erat, atque ea gressu, omnique motu augebatur Circa pubem interiores quoque partes interdum adeo dolebant, ut oras naturalium, manibus admotis, monente id iam Celso, præ dolore scabere crebro cogeretur. Aderat adhuc febris irregularis, quam dolor, interceptusque somnus & crebriores vigiliæ accendere & alere videbantur.

Post-

Postquam hæc omnia per octo & plures dies adspexi, atque mecum reputavi, de calculo in vesica cogitare cœpi. Quo accuratius enim modo memorata symptomata cum ceteris confero: eo certius de opinionis meæ veritate persuadeor. Meas ergo cum marito communico cogitationes, simulque ei declaro, si ipse & ægra se convincere vellent de eo, quod affirmarem, omnino necessum esse, ut fistula quadam ænea, quam Chirurgi nostri *catheterem* vocant, vesicam explorare ægrota permitteret. Recusat id quidem initio ægra, sed mariti precibus, propriisque doloribus commota, tandem consentit. Ut vero eo tutius in re tam ancipiti, qua fama periclitari posset, agerem, nec mihi ipsi nimis fidere viderer, suasor eis fui, ut peritum Chirurgum simul adhiberent. Cedit & in hoc nostris precibus misella femina. Adduco Dn. *Fr. G.* GÜNTHERVM, sereniſſimi nostri, dum viveret, Principis IOHANNIS ADOLPHI Chirurgum primarium, virum in arte sua exercitatissimum dexterrimumque (*d*).

Hic, quum fistulam exploratoriam, catheterem dicunt, admovet, & in vesicam demittit, quod facili fiebat negotio; feminis enim brevius simul & rectius, teste CELSO, urinæ iter est. Statim se obiicit calculus durus satisque magnus, quem etiam sonus, dum catheter in illum impingebat, eumque pulsabat, clare manifestabat: auribus enim distincte is percipiebatur. Ipse manum ad instrumentum adplico, & tactu se exhibet manui sensus ille singularis, qui facilius percipi, quam describi potest, quando fistula ad calculum offendit. De præsentia igitur calculi nunc satis convincimur, nec de eo ipsa amplius dubitat nobilissima ægra.

(*d*) Hic, post obitum Sereniſſ. Principis, Dresdam vocatus, inter Regis chirurgos receptus est, ubi præmatura morte obiit. Confer. *Commentarii de rebus in Scientia natur. & Medicin. gestis.* Vol. II. p. 180. qui eius memoriam, propter sua in Chirurgiam merita, adservarunt.

Nunc vero de curatione cogitandum erat. Statim mihi venit in mentem novum illud experiri lithontripticum, nuper in Anglia a *Iohanna* STEPHENS inventum atque detectum, quod omnia diaria litteræque eruditorum eo ipſo anno ſummis laudibus extollebant atque celebrabant, id quod etiam ægra & maritus adprobabant. In re tam ſpecioſa minime cunctor, ſed ipſe ſtatim paro medicamenta, pulverem ſcilicet, decoctum & catapotia, ſecundum præſcriptionem, quam celeberrimus quondam SCHVLZIVS in Diſſertatione de *Lithontriptico nuper in Britannia publici iuris facto*, Halæ 1739, pag. 9. dedit, & ex diario illo gallico, *Mercure hiſtorique & politique* deſcripſit. *Davidis* HARTLEY autem *Diſſertatio epiſtolaris de Lithontriptico a Iohanna* STEPHENS *nuper invento*, qua vera compoſitio huius continetur medicamenti, tunc temporis nondum in publicum emanarat: prodiit enim ſubſequenti anno clɔlɔccxli. Lugduni Batavorum. Compertus tamen ſum poſtea ambas has inter ſe prorſus convenire compoſitiones.

Facimus nunc periculum, & ægrota noſtra per tres continuos menſes eadem ratione his remediis utitur, ac in ſupra memorata diſſertatione præſcriptum eſt: obſervato ſimul neceſſario regimine ac victu. Hoc unicum, quod diffiteri non licet, in curatione mutavi; ægrotæ ſcilicet alternis diebus ut balneum temperatum & emolliens, ex tritici furfuribus, ſapone Veneto, & lacte paratum, durante curatione adhiberet, ſuaſi. Eiusmodi balneum nemo peritorum, uti perſuaſiſſimum habeo, iure reprehendet, imo potius mecum credet, hoc, dum fibras mollit & laxat, vias, quibus calculus aut arenulæ exire poſſent, aptiores & magis patulas reddere, in quo etiam ſpes me non prorſus fefellit.

Per tres hoſce menſes fere quotidie obſervavi, quæ noſtræ ægræ inter medicandum evenere. Verum enim vero nullam fere mutationem, neque ratione dolorum, neque intuitu

tuitu muci, qui tam per alvum excernebatur, quam cum urina reddebatur, atque in ea deſidebat, animadverti, niſi quod cum urina plus ſanguinis concreti, quam antea, exiret, & ægrota de maiori urinæ acrimonia conqueri, mihi quidem, videretur. Quod vero plurimum mutatum inveni, erat ſitus & locus calculi. Hic enim poſt tres hoſce menſes, certe ab uſu balneorum, ad veſicæ cervicem magis deſcenderat, ita ut ab urethræ exitu vix ad pollicis latitudinem abeſſet, ſtatimque immiſſo ſe obiiceret catheteri, imo tota calculi magnitudo digitis, in naturalia demiſſis, cognoſci poſſet. Mutatus hic ſitus de excidendo me faciebat cogitare calculo. Supra laudatum GÜNTHERVM denuo in conſilium voco, rem cum eo accurate perpendo, & de ſectione, quomodo inſtitui atque perfici debeat, inter nos convenimus. Generoſiſſima ægrota nobiscum concordat, & omnia patienter magnoque animo ſe ſuſtenturam eſſe promittit.

Igitur quum ultima experiri ſtatutum erat, antea per aliquot dies corpus præparabatur; modice aſſumebat molliores ſaltem cibos, aquamque bibebat. Venæſectionem minus neceſſariam iudicabamus: obſtabat enim ſumma debilitas. Alvum autem, aliquot horis ante ſectionem, leni eluendam curabamus clyſtere. Quum omnia, quæ ad eurationem credebamus neceſſaria, ad manus eſſent, ægrota ſuper lectum reſupina ita figurabatur, ut coxæ ſuper marginem lecti, cui pulvinar ſubiectum erat, collocarentur, calces vero, diductis prius feminibus, cruribus autem dein retractis, ſuper aptum ponerentur ſedile. Genubus tandem a marito, & femina forti, hunc in finem advocata, firmiter detentis, Chirurgus ſpecillum argenteum, flexile ſulcatum, oleo calido prius leniter unctum, in urinæ iter demittit, illud circumſpecte inter calculum & veſicam compellit, quo ſufficienter facto, id ſiniſtræ tradit, ſcalpello autem parvo falcato, quem *Biſtouri* Galli vocant, dextra prehenſo, interiacentem veſicam una

cum

cum vaginæ membrana ſuperiore ac interiore, quæ ibi multum extenuata erat, ſuper ſulcum ſpecilli, quantum ad calculi magnitudinem ſatis eſt, recta plaga incidit. Plaga facta, & ſpecillo extracto, tota facies inferior calculi *A Figur. 2. Tab. I.* in conſpectum veniebat. Hunc itaque forcipe, qua calculi evelluntur, & quam paratam tenebam, attrahere tentabat Chirurgus. Prehendebat igitur calculum a parte ſuperiore & anteriore *A.* Sed quoniam nimis mollis erat, frangebatur, fruſtumque forcipe prehenſum diſſiliebat, quod etiam *Tab. I. Fig. 2.* littera *C.* notatum eſt. Hæc animadvertens ſuadebam Chirurgo, ut forcipem ſeponeret dextræque manus digitis duobus, indice & medio, oleo prius unctis, intra vulneris oras & calculum demiſſis, ipſum eximeret; eosdem autem digitos ſiniſtræ manus in naturalia ſimul compelleret, intusque obiiceret, ne, quum adduci cœperit, calculus intus effugeret. Quæ quum faceret, facili negotio, licet non ſine dolore, calculum feliciter extrahebat. Proprium enim pondus eius, quo, inciſa plaga, expellebatur, & mucus, quo obductus & lubricus factus erat, eius exitum adiuuabant. Sic intra duo horæ momenta, quæ *minuta* noſtri vocant, ſectio & extractio calculi peragebantur, & miſella a periculoſiſſimo liberabatur hoſte. Sanguis, qui ex vulnere manabat, vix unciam pondere ſuperabat.

Inducebatur vulneri linamentum, aqua vulneraria tepida repletum, ſuper hoc linteolum duplex calidum imponebatur: omnia vero faſcia apta firmabantur. Collocabatur ægrota rurſus in lectum, ſubſternebantur lanei panni & linteum ceratum, ad id, quod ex veſica profluebat, excipiendum.

Proxima nox erat placidiſſima: per horas enim aliquot dormiebat tranquille noſtra ægrota, quæ felicitas per quatuor fere annos ei non obtigerat, quare ſequenti mane admodum ſe ſentiebat refectam. Obſervabat autem accuratiſſimam diætam tenuiſſimoque initio contenta erat victu. Proximo die

fere

fere eodem deligabatur modo, ita tamen, ut inflammationis ſimul haberetur ratio. Iniecto quoque clyſmate alvus eluebatur. Tertio die quum vulnus deligaretur, inveniebatur ſuper linteolo membrana lata carnoſa, arenoſa potius dicenda: parvis enim arenulis copioſe erat conſperſa atque fere tecta. Hæc per vulnus ex veſica, urina promovente, exciderat. Talem, ſub iisdem circumſtantiis, in calculi ſcilicet curatione, ex veſica inter deligandum excidiſſe, alios etiam obſervaſſe Chirurgos, me legiſſe recordor, quamvis locum nunc reperire nequeam. An hac membrana, ceu cyſtide, calculus incluſus fuerit? uti nonnulli volunt: an vero tunica interna fuerit veſicæ, quæ, calculo evulſo ſeparata erat? quod vero ſimilius mihi videtur, difficile dictu eſt.

Inflammatione nunc declinante & ad ſuppurationem vergente, imponebantur digerentia, pus moventia, interdum detergentia, mundificantia, tandem carnem alentia, balſamica, prout conditio vulneris poſtulabat, cavendo ſemper ne fiſtula relinquatur. Qua propter in fine curationis, quum vulneris oræ coire, propiusque ad ſe accedere animadverterentur, ſplenia comprimentia, faſciæque adſtringentes in uſum vocabantur, detenta ſimul flexili fiſtula in urethra, ut urinæ via monſtraretur. Sollicita hac cura effectum quoque eſt, ut præterlapſis tribus hebdomadibus vulnus perfecte glutinatum fuerit, urina quoque conſueto exiverit itinere; remanente nullo alio poſt curationem incommodo, quam quod, ob nimis dilatatam & forte extenuatam veſicæ cervicem, & inde labefactatum eius ſphincterem, urinam, ſi unciam pondere ſuperaret, difficulter retinere poſſet. Quare veſicam tempeſtive & crebro exonerare cogebatur, alias eidem imperare nequibat. Globulo quidem ligneo, cera obducto, cuius uſum HILSCHERVS (*f*) in urinæ incontinentia valde laudat, illi

(*f*) *Diſſertat. de Urinæ incontinentia ex partu, globulo ligneo curanda.* Ien. 1716.

illi ſuccurrere, malumque levare ſtudui, ſed parum commodi inde ſenſit, hinc illum rurſus abiecit.

De reliquo autem abſoluta curatione tam bene ſe habuit, ut etiam duos robuſtos ſanosque, ſecundo & quarto poſt curationem anno, enixa ſit filios, perfectæ omnino curationis certiſſimos teſtes, quos Deus cum matre generoſa diu incolumes ſervare velit. Nihil quoque umquam de calculo rurſus ſenſit, ſed prorſus libera ab omnibus illis fuit moleſtiis, quæ calculum excipere ſolent, illamque antea adeo excruciarunt.

Reſtat iam ut de calculi figura & pondere adhuc quædam dicam. Pendebat autem uncias tres cum ſex drachmis, poſtquam extractus fuit: nunc vero, ablatis per exſiccationem humoribus, pendet uncias tantum duas, de quo nemo mirabitur, qui *Acta Hafnienſia Thom.* BARTHOLINI (*g*) legit. Obſervavit enim hic, calculum, qui ſex unciarum pondus initio æquaverat, duas ſaltem uncias cum dimidia dein retinuiſſe. Ovatus noſter erat, albus, glaber, habebatque magnitudinem ovi gallinacei, cuius veram formam adiecta *figura 1. & 2. Tab. I.* exhibet. Eſt autem *A.* pars, quæ cervici veſicæ inhæſit, primumque in conſpectum venit: *B.* vero, quæ fundum repexit. *Figura 3.* inverſam calculi faciem repræſentat. Vtraque pars extrema rara erat, mollis ac fragilis, cavernulis diſtincta: corpus autem durius ac lævius, ſaxo ſimile.

An raritas illa calculi, quæ in *B.* notabilior erat, a virtute ſolvente remedii lithontriptici Anglicani deducenda ſit, merito quæritur. Sed ſi dicendum, quod res eſt aut fallor, aut uſus trimeſtris huius lithontriptici in ſolvendo hoc calculo fere nihil effecit. Quicquid autem ſit: fortaſſe felix huius ſectionis eventus occaſionem præbebit Chirurgis, in ſexu ſequiori hanc experiundi, præſertim quum plurimis careat periculis,

(*g*) *Actor. medicor. & philoſoph. Hafnienſ. Volum. IV. Anno 1676. pag. 193.*

culis, quæ reliquas calculi curationes ſecandique vias plerumque comitantur.

Similem caſum, quo uteri vagina ſimul inciſa fuit, apud Obſervatores, quos ego quidem evolvi, non invenio, niſi quis caſus, ubi calculus ex urethra exciſus eſt, huc referre velit, quorum multos apud Auctores deprehendo. Sed de his nobis non ſerimo eſt. Sic nuperrime modo Clariſſ. *Ioſephus* WARNER, Chirurgus, ad Illuſtr. Societatem Regiam Anglicanam (*b*) retulit hiſtoriam feminæ, per duos annos calculo veſicæ laborantis, cui urethram oblique ſurſum a dextro latere incidit, ad ipſius longitudinis dimidium, tumque forcipe prehendit calculum, illumque per partes extraxit. Ægra iam ab altero poſt ſectionem die retinere potuit urinam, & ſanitati integræ reſtituta eſt.

Sponte quoque ingentes ex mulierum veſicis, ob breve & laxum iter, calculos cum urina excretos fuiſſe, paſſim legitur. Pertinet huc præ omnibus ſupra memorati *Thom.* BARTHOLINI (*i*) hiſtoria, quam coronidis loco adhuc adiiciemus: *Minori*, inquit, *labore maiorem calculum veſicæ excrevit mulier pagana, quæ ruri degit in prædiolo Ioh.* LORENZI. *Per multos annos hunc carnificem circumtulerat mulier, intus forisque miſera, donec tandem, aucto lapidis in veſica pondere, incurvum corpus ægre ſuſtineret. Victa tædio Chirurgum convenit, qui ſine ſectione calculum extrahi non poſſe pronuncians, & feminam prognoſtico terret & pretio. Ne tamen nihil ageret, potionem vilioris pretii lithontripticam conceſſit, qua ſumta calculus ſe in ſinum pudoris provolvit, ex quo ipſa mulier, obſtetricante manu propria, ipſum protraxit: pendebat vero uncias ſex.* Magnum calculum a muliere ſponte excretum Hafniæ quoque vidit, &

(*b*) Philoſophical Tranſactions Volum. XLVII. for the Years 1751. & 1752. London 1753. Nr. 79.

(*i*) Loco citato.

in *Histor. anatom. rarior. Cent. I. Histor. 71.* annotavit. Conferri quoque merentur HANOVII *Seltenheiten der Natur und Oeconomie, Erster Band*, Leipzig 1753. pag. 145 & 146.

Observatio VIII.

DN. D. GOTTLIEB CAROLI SPRINGSFELD.

Animadversiones quædam botanicæ, a Ioann. Christoph. BUXBAUM, *Petropolitano, consignatæ, nondum vero publici iuris factæ.*

Nactus sum, Lector benevole! occasionem acquirendi nonnullas plantas exsiccatas, tam marinas, quam terrestres præsertim muscos, lichenes & gramina, quæ celebris ille, dum viveret, Botanicus Petropolitanus, *Ioann. Christoph.* BUXBAUM, in oriente collegit, suoque fratri, qui eum in Persiam usque comitatus est, nunc vero in vicinia nostra, patria sua, Wermsdorfii scilicet, commoratur, post mortem reliquit: a quo illa tandem obtinui. Inter gramina & muscos multa sunt exemplaria, originalia, si ita loqui liceret, dicenda. Sunt enim illæ ipsæ plantæ, quas delineatas atque depictas invenimus in eius Centuriis Petropoli editis, uti cuilibet patebit, si plantas exsiccatas cum depictis conferre velit; foliola enim omnia, etiam minima, inter se conveniunt: quo manifestatur, quod plurimas plantas, postquam siccatæ erant, depingendas curaverit.

Inter accepta fuere etiam quædam chartæ, manu b. Possessoris notatæ. Continentur autem his scriptæ nonnullæ animadversiones botanicæ, nondum editæ, futuro cuidam opusculo vel Commentariis Petropolitanis forte destinatæ.

In

In omnibus ſtilus, character, animus atque ingenium b. Buxbaumii elucent: itaque non dubitandum eſt, illas ab eo eſſe profectas. Quum vero has Botanophilis non prorſus inutiles fore perſpexerim, ſtatim mecum conſtitui publici illas iuris facere. Notulas, textui hinc inde ſubiectas, ego addidi, quare nominis mei litteris initialibus eas diſtinxi, ne pro Buxbaumianis habeantur.

Deſideratur in ordine Animadverſio *tertia*. Hanc, licet omnem adhibuerim curam, invenire non potuit frater: illam igitur eſſe deperditam, credendum eſt. De figuris etiam paſſim loquitur, ſed & hæ deficiunt. Superſunt equidem mihi adhuc quædam chartulæ, in quas Celeberr. Auctor nonnullas coniecturas, animadverſiones, atque notas manu ſua coniecit, ut adverſaria diceres, ſed quoniam plurima horum ita ſunt comparata, ut difficile ſit iudicatu, cui bono illa ſint conſignata, aut ad quem auctorem pertineant: placuit ea, ob exiguam aut plane nullam inde exſtectandam utilitatem, ſupprimere. Hæc ſunt, quæ præmonenda duxi. Vale L. B. mihique fave. Scribebam Weiſſenfelſæ, IV. Calendar. Februar. clclocclIV.

ANIMADVERSIO I.

De

Chenopodio.

Confuſionem Autorum in quibusdam Chenopodii ſpeciebus recte notat Vaillantivs in *Botan. Pariſ.* quam minus commode inter ſe conciliaſſe videtur. Chenopodium enim Pes anſerinus I. Tab. deſcribitur a Tabernaemontano quod rubros proferat fructus, hinc patet (uti & figura optime indicat), hoc idem eſſe cum Chenopodio, folio laciniato, coma purpuraſcente T. I. quod & coma vireſcente variat, licet

Tovrnefortivs ceu diverſas ſpecies tradat. Neque ceu ſynonymon poteſt adiungi Chenopodium latifolium, minus ramoſum, florum petiolis longiſſimis, ex foliorum alis confertim naſcentibus *Cat. Hall.* Sed hoc eſt Chenopodium ſpicatum folio triangulari dentato *Botan. Pariſ.*

A quo non niſi ætate videtur differre Chenopodium ſylveſtre Opuli folio *Botan. Pariſ.* aut certe ad Chenopodium coma purpuraſcente Ivss. pertinet.

Et Chenopodium Stramonei folio *Botan. Pariſ.* revera nihil aliud eſt, quam Pes anſerinus II. Tab. quod clare figura Tab. demonſtrat. Error mihi videtur latere in Chenopodio folio ſinuato candicante Ivss. ex quo duas feciſſe videtur ſpecies; magnitudine enim mirum variat, hinc varietatem maiorem pro Chenopodio Pede anſerino II. Tab. habuit, quod aliis diiudicandum relinquo; hoc certum eſt, Chenopodium Stramonei folio eſſe Pedem anſerinum II. Tab.

Chenopodium folio oblongo integro Dill. *Cat.* varietas Chenopodii fol. ſinuat. cand. Quo autem omnis confuſio tollatur, dabimus hic aliquot Chenopodii ſpecierum figuras (*quæ vero, prout antea monitum fuit, hic deficiunt*).

TAB. fig. I. Atriplex Sylveſtris folio ſinuato candicante C. B. cuius figuram iam propoſuit Tab.

Fig. I. Eiusdem varietas minor, & hanc videtur intelligere Tab. nomine Atriplicis ſylveſtris 2.

Addimus hic adhuc figuras aliquot Chenopodii, & Atriplicis ſpecierum partim novarum, partim nondum bene depictarum, quas Botanicis non ingratas fore arbitror. Prima eſt:

Chenopodium humile, calycibus purpureis, inſtar ſtellæ expanſis.

Chenopodium maritimum (*k*).

Eſt

(*k*) An Chenopodium maritimum Cent. V. Tab. XLII. p. 22? *Springſf.*

Eſt Blitum maritimum - - - - - cuius, quia nondum bona proſtat, hac occaſione Figuram dabimus.

Atriplex maritima.

Figura Bavhini peſſima, hinc meliorem dare placuit. Dicit Vaillantivs Atriplicem ſylveſtrem folio ſinuato candicante C. B. non eſſe Chenopodii, ad quod retulit Tovrnefortivs ſed Atriplicis ſpeciem. Forſan hanc aut ſequentes plantas pro dicta C. B. Atriplice habuit. Atriplex Lovitienſis *Corvini*, ſemine anguloſo, *Barrel.* eſt Atriplex folio deltoide procumbens male delineata.

ANIMADVERSIO II.

De

Muſcis quibusdam minus cognitis.

Multum debet Muſcorum Hiſtoria eleganti operi Vaillantii *Bot. Pariſ.* (*) ubi plurimæ illarum ſpecies, quarum figuræ hactenus incognitæ, niride delineantur. Minime tamen putandum, illum totam Muſcorum exhauſiſſe Hiſtoriam; plurimæ adhuc reſtant ſpecies, in quibus deſcribendis & delineandis utilem navare poteſt Botanicus operam; nos aliquot hic recenſebimus & figuris illuſtrabimus.

Muſcus minor, lanuginoſo ſimilis, capitulis erectis.

Creſcit in ſaxis campeſtribus & ſcopulis ceſpitoſus, inſtar Muſci lanuginoſis capitulis cernuis, niſi quod maior & altior. Cauliculi ramoſi, foliis tenuiſſimis brevibus incanis cincti. Capitula erecta turgidiora, pediculis non adeo longis inſidentia.

Muſcus arboreus, apocarpos foliis pennatis.

Cauliculos profert partim in corticibus arborum repentes & arcte hærentes, partim erectos; foliis cinguntur latiuſculis acutis, pennatim diſpoſitis, crebris & ſibi ſuperincumbentibus.

(*) Et plus Hiſtoriæ Muſcorum Io. Iac. Dillenii Oxon. 1741. 4. maj. editæ. *Trew.*

bus. Intra hæc naſcuntur capitula oblonga ſecundum caulículorum longitudinem crebra. Tota planta ex viridi albicat. In Ingriæ arboribus imbricatim naſcitur.

Mentionem fecimus ſupra *Botanici Pariſ.* VAILLANTII, quod elegantes Muſcorum dederit figuras, in quas nonnullas notas hic dare ad incrementa rei herbariæ non erit inutile.

Muſcus paluſtris ad Fontalem I. B. accedens, minor.

Folia in acutum mucronem deſinunt, ſupinæ ſaltem caulículorum parti adhærent, unde quaſi pennatus apparet. Longius repit & capitula emittit falcata, brevi calyptra tecta. In palis ligneis, aquas ſupereminentibus, capitula vidi Septembri.

ANIMADVERSIO IV.

De

Fungis lac acre manantibus.

Horum una occurrit ſpecies apud antiquiores Botanicos, qui C. B. Fungus albus acris. Recentiores ut & hac in parte aliquid adderent, plures fecerunt ſpecies, plures tamen ſine neceſſitate, uti ex ſequentibus patebit. Quoniam nempe noſter Fungus albus acris iunior umbilicatus eſt, margines intro flectuntur eleganter villoſæ, imo colore rufeſcente ſæpe ſpectabilis occurrit. Inde oritur Fungus non veſcus - - *El. Pruſſ.* & Fungus lacteſcens piperatus rufus, VAILLANT. *Bot. Pariſ. p. 61.* Antiquioris oræ ſurſum flectuntur & in maximam ſurgit molem, hinc Fungus lacteus maximus infundibúli forma VAILLANT. quo & referatur Fungus lacteſcens prægnantiſſimus eiusdem.

Capitulum ſuperne ſæpius fuſcum occurrit, inde Amanita piperata fuſca, lacteo ſucco turgens DILLEN. *Cat. p. 179.*

Dan-

Dantur tamen Fungi lacte acri manantes revera a Fungo albo acri C. B. diſtincti, quorum nos in regionibus ſeptentrionalibus, propter longas pluvias fungorum valde feracibus, duas obſervavimus ſpecies. Prior eſt Fungus minor, lacte acri turgens, lividus, ſolidioris texturæ, fungus mediæ magnitudinis, coloris lividi, interdum ad cœruleum, interdum ad rubrum vergentis.

Lamellæ albicant, denſiſſime poſitæ & anguſtæ, oræ capituli in iuniore introrſum flexæ, pediculus longior, capitulum exacte ſphæricum & planum. In pinaſtretis oritur Auguſto. Altera ſpecies ab hoc differt. Capitulo maiore minus circinato, coloris lateritii & pediculo breviore. Gregatim naſcitur Octobri.

Fungus albus acris C. B. diligenter colligitur a Ruthenis, quo magna dolia implent & ſale condiunt, gratum deinde præbet cibum tempore ieiunii. Hoc tamen multo delicatior eſt eodem modo paratus Fungus pileo lato orbiculari flaveſcente C. B. a quo non differt Amanita lateritii coloris, croceo ſucco turgens DILLEN. *Cat.* licet modo p. 178. & 179. laudatus DILLENIVS ceu diverſas tradat ſpecies.

ANIMADVERSIO V.

De

Fungis poroſis (l).

Plures Fungorum poroſorum a recentioribus Botanicis enumerantur ſpecies, quæ tamen ad 2. vel. 3. reduci poſſunt ſpecies. Mirum enim variat pro diverſo anni tempore, tempeſtate pluvia vel ſicca; his ſi addantur varii capituli colores &

(*l*) Confer, quæ de fungis poroſis leguntur Centur. V. pag. 7. & 8. *Springsfeld.*

& pro ſpecie diverſis habeantur, facile ad numerum x. excurrunt, uti videre eſt apud DILLEN. *Cat.* & *Botan. Pariſ.*

Ad duas poſſe fungos poroſos referri ſpecies ſupra dixi. Horum prior eſt Fungus Auguſti menſis C. B. licet adhuc dubium moveri poſſit de Fungo poroſo craſſo, quem inſtar Cepæ ventricoſum nominat & pro ſpecie diverſo haberi poſſet, ſed revera non eſt. Revera autem diverſa ſpecies eſt Fungus poroſus, cuius figuram dat TOVRNEFORTIVS, *Inſtit.* Serius enim provenit & iunior in peculiari membrana (*m*) latet, ut nihil dicam de viſciditate & poris in adulto maioribus, nec non pediculo breviore. Huius ſynonymon feciſſe TOVRNEFORTIVS Fungos pernitioſos ſub pinu habitantes I. B. teſtatur VAILLANT. *Bot. Pariſ.* noſter tamen in Laponia & Ruſſia editur.

Occurrit adhuc Fungorum poroſorum ſpecies minus veſca, quæ appellari poteſt Fungus poroſus coriaceus (*n*) albus; adnaſcitur truncis arborum reſectis pediculo ſesquiunciam aut duas uncias alto, tenui & tenacis ſubſtantiæ; huic capitulum inſidet, duarum unciarum latitudine, tenue & coriaceum, prona parte poroſum. Pediculus non in medio, ſed circa oras inſeritur. Datur huius varietas ſuperne purpurea (*o*); vid RAII *Hiſt.*

Occurrit in *Botan. Pariſ.* figura Fungi poroſi craſſi maximi lutei laceri, pedunculo longiſſimo vireſcente, ſed accurate refert Fungum erinaceum T. 14. f. 6. 7.

ANIM-

(*m*) Eadem dicit de Fungo poroſo autumnali viſcido. Centur. V. Tab. XIV. pag 7. *Springsf.*

(*n*) Eſt fungus poroſus tenuis coriaceus, Centur. V. Tabul. XV. figur. I. deſcriptus. *Springsf.*

(*o*) Confer. Figur. II. præcedent. Tabulæ. *Springsf.*

ANIMADVERSIO VI.

De

Fungis.

Fungorum ſpecies plures recenſentur ab Auctoribus, ſed in magna confuſione, partim quia harum accurata deſcriptione & figuris Botanice adhuc caret, partim quia colore, magnitudine & tempore naſcendi valde variant, & incautis pro diverſis ſpeciebus imponunt. Hinc unicuique ſpeciei fungorum peculiares addendæ ſunt notæ, quibus inter ſe differunt, neglecto colore & magnitudine; accuratæ quoque dandæ ſunt figuræ, alias confuſio, Botanicis hactenus familiaris, nunquam tollitur.

Diſtinguuntur vulgo Fungi in eſculentos & noxios, qui quibus notis diſtingui poſſint, a nonnullis traditur, ſed notæ omnes incertæ & fallaces ſunt. Examinabimus paulo curatius notas, quas tradunt *Ephem. Nat. Cur. Decur. I. Ann. II. Obſ. LIV.* ubi primo pro noxiis reiiciuntur, qui in locis putridis, fœtidis, fimoſis & venenoſis naſcuntur, & maxime circa illas regiones, ubi varia animalium venenoſorum habitacula ſunt. Sed in eiusmodi locis omnes fere eſculenti fungi proveniunt; quid enim delicatius nobis Fungo campeſtri, *Champignon*, C. B. qui in fimo & ſterquiliniis naſcitur, & ſi in campis aut pratis occurrit, etiam ſtercori & fimo originem debet? Imo fungi venenati & eſculenti eodem loco mixti naſcuntur. Secundo pro noxiis reiiciuntur Fungi, qui coloris nigri, cinerei & miniati ſeu cinnabrini ſunt, punctulis ſeu maculis diverſisque coloribus in ſuperficie hinc inde dotati, & marmoris varii inſtar. Sed hæc omnia falſa eſſe ſatis probant Fungus rugoſus ſeu cavernoſus ſive Merulius C. B. Fungus umbilicum referens variegatus C. B. Fungi rufeſcentes ſylvarum eſculenti I. B. aliique plures, quos ſine noxa videmus comedi.

Idem quoque valet de illa Fungi noxii nota, quam quidam tradunt, si Fungus cito in putrilaginem abeat; hoc enim unica nocte fieri observavi in Fungis Augusti mensis, C. B. qui ab omnibus salubres censentur, sed tempestate calida per noctem repositi, in putrilaginem verminoso-fœtidam resoluti mane reperti sunt. Patet itaque, nullas certas prostare notas, quibus fungi noxii agnosci possint, præter usum & consuetudinem, & mihi videtur, longe plures fungorum species innoxie devorari posse, quam nobis hactenus in usu fuerunt. Hinc est, quod Fungi, qui in hoc vel illo loco comeduntur, in alio pro noxiis habeantur, uti id probare possum exemplo fungi camp. fungi erinacei, qui a Germanis in deliciis habentur, a Ruthenis, magnis alias fungorum æstimatoribus, reiiciuntur. Agaricus hepatis facie nobis esculentus a LAESELIO *Fl. Pr.* fungis non vescis adnumeratur.

Figuras hic dabimus aliquot fungorum, quæ vel nondum prostant apud autores, aut, si sunt, minus bonæ, sit itaque

I. *Fungi dumetorum ex uno pede prodeuntes, C. B. p. 374.*

Vulgatissimus est fungus, cuius IV. differentias tradit *C.* BAVHINVS. Lamellis albicantibus, luteis & fuliginosis variat. Huc pertinere videntur Amanita fasciculosa pileis magnis, planis, orbicularibus, luteis DILL. *Cat. p. 186. 187.* Amanita fasciculosa, primum ex rufo flavescens, postea pallescens eiusdem p. 186. Fungi plures ex uno pede a prunorum radicibus enati RAI. *H.* Fungus multiplex parvus luteus pileolo molliter convexo Cimel. Reg. VAILL. *Bot. Paris. p. 68.* Fungus glutinosus colore aurantio *Bot. Paris.* ubi Tab. XII. fig. 8. 9. delineatur; glutinosus est tempestate pluvia.

ANIM-

ANIMADVERSIO VII.

De

Lunaria.

Lunariæ nomen relinquimus plantulæ, quæ illud antiquo iure obtinet, nempe Lunariæ botryti I. B. illique adiungimus plantas cum illa convenientes habitu & facie. Minus enim probandi videntur Tovrnefortivs aliique recentiorum Botanicorum, qui noſtram Lunariam Oſmundæ accenſent & ſub Oſmundæ nomine omnia fere capillarium plantarum genera, quæ adeo ſollicite alias diſtinguunt, confundunt. Novam Lunariæ ſpeciem collegi in Ingria foliis plantæ cuiusdam umbelliferæ ſimilibus, hinc dicitur

Lunaria minor folio Cicutæ.

Folia varie inciſa Cicutam vel aliam huius generis umbelliferam imitantur, ex luteo viridia, cum racemo ſeminifero cum vulgari convenit. Exhibet Moris. Lunariam folio Cicutariæ Americanam, a qua noſtra diverſa foliis & pediculo racemiferi egreſſu, quas differentias figura indicat. Circa pagum Hatſchenam ad margines lacuum ibi frequentium occurrit Iulio, ſed rarius invenitur, bis enim ſaltem reperire potui.

Lunaria folio Matricariæ a Breynio Cent. I. deſcripta non differt a Lunaria I. B. quæ variat foliis ramoſioribus & minus ramoſis vid. Icon Clvsii.

Lunariæ huius, uti & vulgaris, maiorem & lætiorem proventum non vidi, quam in Ingriæ, Careliæ & Livoniæ pratis montoſis & apricis, ubi facile reperitur & toto Iulio & Auguſto occurrit, ut hic non opus ſit cum Dillenio hanc vocare plantulam brevioris ævi.

ANIMADVERSIO VIII.

De

Graminibus Cyperoideis.

Dabimus hic figuras & deſcriptiones aliquot Cyperoidum, nondum apud Auctores Botanicos occurrentium. Hoc tamen addimus, nos nequaquam hos obtrudere pro plane novis, ſed poſſunt horum nomina aut deſcriptiones iam exſtare, ſed incertæ & dubiæ, quas figuris illuſtrare rei herbariæ utilitatem maximam confert. Sit itaque primo

I. *Cyperoides altiſſimum gracile, ſpicis exiguis aculeatis longe diſtantibus* (*p*).

Pertinet ad Cyperoidea ſpicis floriferis caſſis deſtituta ſeu Scirpoides Ivss. & a congeneribus differt culmis tenuiſſimis debilibus triquetris, intra faſciculos foliorum longiſſimorum naſcentibus. In ſummo globuli aliquot exigui, ex granis aliquot acuminatis conflati, cuius infimæ foliolum capillariæ tenuitatis ſubiectum eſt. Viridia ſunt illa capitula - - - - - - in ſcrobibus ſylvarum uliginoſarum luxuriat æſtate in Ingria.

II. *Cyperoides elatis ſpicis rotundis ſpadiceo-viridibus.*

Præ aliis Cyperoidibus hoc peculiare habet, quod ſumma ſpica inferiore parte ſit florifera, ſuperius ſeminifera, quale quid etiam interdum obſervatur in Cyperoide ſpica pendula breviore T. I. Huic ſpicæ ſubiacent plerumque duæ ſpicæ ſeminiferæ, fere globoſæ, ex ſquamis ſpadiceis, linea viridi diſtinctis, conflatæ, fere unciali ſpatio diſtantes, quarum ſingulæ foliolum ſubiectum eſt, reliquus culmus nudus eſt. Ex Cyperoidibus ſpicis caſſis deſtitutis novum conſtituit genus Ivssiev, in *Barall.* obſ. n. 1254. quod ſcirpoides vocat, ſed minus com-

(*p*) Confer. Centur. V. Tab. LXII. pag. 33. *Springſf.*

commode; ſunt enim inter illas quæ interdum ſpicas floriferas proferunt, licet plerumque iis deſtituantur; adnotavit hoc SCHEVCHZERVS de Gramine Cyperoide ſpica e pluribus ſpicis mollibus compoſita RAI. Quo & pertinet Cyperoides anguſtifolium ſpicis ſeſſilibus in foliorum alis TOVRNEF. *Inſt.* & ego obſervavi in Cyperoide marit. cuius figuram vide in LÖSEL. *Fl. Pr.* Noſtrum occurrit in pratis uliginoſis Ingriæ.

III. *Cyperoides humile, ſpicis habitioribus hirſutis* (*q*).

Spica in ſummo culmo unica, florifera ex integro, una vel duæ proximæ ſuperiore ſaltem parte floriferæ, ſubiectis ſeminibus; an Gramen ſpicatum foliis & ſpicis hirſutis mollibus C. B. Pr. noſtrum eſt Gramen Cyperoides piloſum TAB. ubi icon minus bona eſt & ſpica florifera male expreſſa.

IV. *Cyperoides minus anguſtifolium ſpicis parvis globoſis fuſcis.*

Occurrit in pratis udis, foliis fere capillaceis inferius culmum cingentibus. In ſummo culmo ſpicæ communiter tres rotundæ, e ſquamis ſpadiceis conflatæ, quarum ſuperior in quibusdam florifera plerumque vero deeſt.

APPENDIX.

Appendicis loco quasdam deſcriptiones adiiciemus plantarum, prout illas in chartas coniecit b. Poſſeſſor. Fortaſſe alicui Botanicorum illæ adhuc utiles eſſe poſſunt.

Rubus humilis flore purpureo (*r*).

Deſcri-

(*q*) Confer. Tab. LXIII. p. 34. *Springſf.*

(*r*) Depingitur hæc planta *Centur. V. Tab. XXVI.* ſed foliis anguſtioribus, quæ in noſtra latiora ſunt, uti videre eſt, ſi hanc figuram cum illa comparamus. Optime convenit cum Rubo caule unifloro foliis ternatis LINNÆI *Flor. Lapponic.* p. 162. Tab. V. fig. 2, ubi exactiſſima deſcriptio legitur. *Springſf.*

Deſcribitur a CORNVTO in *Hiſtor. Plantarum Canad.* Rubi ſpecies flore purpureo, qui ipſi Rubus odoratus dicitur, cuius figura videri poteſt apud PLVKENETIVM, valde diverſus a noſtro. Differt etiam noſter a Rubo Alpino humili non ſolo floris colore, ſed & flore maiore & ſpecioſiore, quoddam Geranium batrachoides æmulante, & bacca magis compacta. Creſcit copioſe in ſylvis Ingriæ circa littus, qua itur ad Peterhoff; floret Iunio. Frequens quoque in Ingriæ ericetis Chamæmorus *Cluſii* ſeu Rubus paluſtris humilis T. I. cuius baccas in deliciis habent incolæ & Ruthenico idiomate *Maruſchka* vocant, & melle conditas ſervant. Similes quoque ad uſus adhibent baccas Vitis Ideæ fructu rubro, *Bruſniza* ipſis dictas, nec non baccas Oxycocci, quas & potui ipſis familiari, *Quas* dicto, indunt, quo ipſi acidum ſaporem conciliant.

Alſinaſtrum T. I.

Protuli hanc plantam ceu nondum deſcriptam in *Comment. Acad. Scient. Petrop.* ubi *Potamopytyn* vocavi. Poſtea inopinate cognovi ex VAILLANT. *Bot. Pariſ.* eſſe Alſinaſtrum folio Gallii T. I. vix credidiſſem, niſi ſcirem VAILLANTIVM ab ipſo TOVRNEFORTIO huius plantæ notitiam hauſiſſe. Quæ enim convenientia cum Alſine, a qua Alſinaſtrum non niſi calyce monophyllo differre notavit. Ex noſtra deſcriptione longe diverſus apparet character, hinc neſcio an noſtra forſitan a TOVRNEFORTII & VAILLANTII ſpecie differat. VAILLANTIO enim microſcopio opus erat, ego vero & florem & capſulam & ſemina, ſicut nudis oculis conſpexi, delineata dedi; florendi quoque tempus non convenit; circa Conſtantinopolim ego collegi Majo, VAILLANTIVS Auguſto circa Pariſios, hinc puto ipſum plantam æſtu corruptam non in ſuo vigore, quod eius figura indicat, vidiſſe. Merito itaque diverſum ab Alſinaſtro genus hæc planta conſtitui, quo TOVRNEFORTIVS & VAILLANTIVS ex ignoratione veri characteris retulerunt.

Fun-

Fungus ramoſus niger compreſſus, apicibus albidis Raii.

Ceraſis reſectis eorumque radicibus putreſcentibus adnaſcitur uncialis & altior, externe nigricans, hirſutus, medulla albicante farctus, ſuperius in ramos dividitur, quorum apices albicant & pulverem de ſe ſpargunt. vid. Raius. An ſpecies ultima Agarici T. I. conſule MORISON. H. O.

Stachys minor valde tomentoſa, ſpica Veronicæ.

Radix fuſca aut nigricans, inferius parum fibroſa. Caulis erectus dodrantalis, obtuſe quadrangulus, incanus & tomentoſus, quem cingunt folia longa acuminata, margine integro prædita, parva ſalicis folia referentia, albicantia, valde lanuginoſa, ſemper duo oppoſita. In ſummo ſpica florum purpureorum, denſæ ſpicæ Veronicæ ſpicatæ minoris ſimilis. Inveni inter plantas ſiccas ex Siberia allatas.

Gramen pratenſe purpureum ariſtatum, purpuraſcente ſpica.

Radix fibroſa, culmi pedales & altiores, geniculo uno aut altero non longe a radice diſtincti, hirſuti, folia caulem inſtar vaginæ cingunt parum hirſuta, quæ ubi explicantur & a culmo exſtant, duas uncias longitudine non ſuperant; ſpica unciam cum dimidia longa, gracilis, cuius ſtructura ſequens: Alternatim adnaſcuntur axi denticulato folliculi uniglumes ariſtati, ſeminis avenæ fere figura, ad quorum baſin duæ ariſtæ longæ, calycis vice fungentes.

Videtur eſſe Gramen Typhynum, ſpica conoide ſtriata, culmo violaceo BARREL. *Icon. 21.* no. 1. Pertinet ad Gramina ſpica ſecalina ſpuria Sch.

Agaricus ſquamoſus, marginibus luteis.

Membranaceus & tenuis eſt, ſuperne hirſutus, murini coloris, interne lævis & fuſcus, eleganter luteus, quando iunior ex ligno prodit, quem colorem deinde in antiquiori oræ

ſervant. Criſpus eſt inſtar Fungi meſenterici Herb. & imbricatim adnaſcitur Alnorum truncis reciſis Autumno.

Fucus minimus roſeus.

Dichotomiam obſervat lineam dimidiam latus, in medio craſſus, marginibus vero alatis pellucidis criſpis, interdum in extremitatibus ſerratis, uncias duas altitudine non ſuperat. Color elegans roſeus, qui, ſi diu in aqua dulci maceratur, albeſcit. Collegi inter fucos & algas ad littus eiectas in mari Balthico, non longe a Roſtock, ad Oſtia Varnæ, quæ *Vernamunda* dicitur.

Planta paluſtris ad Potamogeton accedens ſeminibus umbellatis.

Vid. Plvkenetii *Phytograph.* & Rai deſcriptio Algæ cuiusdam ſeminiferæ in *Hiſt. Plant.* Hæc ſi noſtra non eſt, nova planta eſt, quæ radice fibroſa limo adhæret, & aquæ perpetuo ſubmerſa erigitur inſtar Potamogetorum, ſed denſe naſcitur, inſtar Confervæ; caules rotundi, tenues, fere capillares, albicantes, geniculis intercepti, circa quæ duo folia graminea, aliquot uncias longa, lineæ trientem lata. Ex quibusdam geniculis pariter exit pediculus, aliquot lineas longus, qui ſuſtinet parvum iulum, vagina foliorum pellucida circumdatum, ex multis globulis albicantibus, ſuperficiem inæqualem facientibus, conflatum. Hic parvus iulus vero nihil aliud eſt, quam embrio ex floribus imperfectis, & globuli iſti apices ſtaminum referunt. Vagina folioſa deinde rumpitur & iulus explicatur in umbellæ formam, quam umbellam conſtituunt ſemina incurva, acuta, unguibus avium, ſeu Muſci cuiusdam terreſtris capitulis ſimilia, nucleo albo fœta. Hos flores & ſemina ſub aqua profert, nec inſtar Potamogetorum exit; novum conſtituit genus; in ſcrobibus paſſim circa Varnamundam prope littora.

Muſcus

Muſcus ſtellaris humilis, capitulis nudis, ad apocarpos accedens.

Denſis naſcitur ceſpitibus, plerumque cauliculi ſemunciales aut altiores, ramoſi, foliis cincti latiuſculis acutis, in medio carinatis, ad Muſcos ſic dictos ſtellares accedentibus, læte viridibus. In ſummis ramis conſpiciuntur capitula oblonga rotunda, ſi iuniora, per maturitatem dehiſcentia, brevi pediculo, qui tamen intra folia occultatur ita, ut apocarpos appareat, nixa in corticibus ſalicum, capitula maturat Octobri & Novembri. Multum accedit ad Muſcum Petiv. B. niſi quod capitula nuda, & quod omnibus partibus minor, folia quoque latiora.

SCHOLION.

His ad prelum iam paratis, cel. D. D. Springsfeld mecum communicanda curavit novem ſpecimina ſicca *Lunariæ*, unumque Rubi, a Buxbaumio olim collecta, chartæque adglutinata, humaniſſime petens, velim procurare, ut ea, quæ figuris hucusque in publicum editis ad amuſſim haud reſpondeant, delineentur, huicque obſervationi addantur. Huic petitioni lubens meritoque obtemperans, evolvi opera Botanicorum, quæ mihi ad manus fuerunt, vel ſaltem in mentem incurrerunt, quæque, & quidem primo Lunariæ ſeu Oſmundæ generis plantas huc pertinentes ſiſtunt delineatas (*s*),

(*s*) Sunt autem ordine chronologico 1) Fvchsii Hiſt. Stirp. p. 482. 2) Eivsd. Kreuterbuch cap. 183. 3) Eivsd. Icones pag. 27 . 4) Bockii Kreuterb. p. 344. 5) Eivsd. ſeu Tragi Kreuterb. a Sebizio editum p. 719. 6) Eivsd. Nomenclatura a Kybero edita p. 914. 7) Loniceri Nat. hiſt. T. p. 77. 8) Eivsd. Kreuterb. in variis edit. p. varia. 9) Matthioli Comment. in Dioſc. cum figg. minor. p. varia. 10) cura C. Bavhini p. 647. 11) cum maioribus figg.

quarum figuræ cum speciminibus Buxbaumianis studiosius collatæ de sequentibus me certiorem reddiderunt.

Ex novem indicatis Lunariæ speciminibus secundum nomina adscripta, 1) unum est *Lunaria vulgaris*, 2) unum *Lunaria racemosa*, 3) duo pertinent ad *Lunariam racemosam folio multifido C. B. & Breyn.* 4) quatuor ad *Lunariam foliis Matricariæ*, 5) unum sistit *Lunariam Cicutæ foliis.*

I. Quod ad Lunariam vulgarem attinet (quam alii minorem, alii botrytem, alii racemosam, COLVMNA vero Επιμήδιον appellant) ex supra citatis auctoribus 1) plane eandem figuram (more tunc temporis vulgari, quo eadem norma ad varia

figg. edit. German. Prag. 1553. p. 375. 12) Latin. Venet. 1565. p. 903. 13) LOBELII Hist. p. 482. 14) EIVSD. Icones p. 273. 15) DVRANTE Herbario p. 266. 16) CAMERARII Epitome p 645. 17) EIVSD. Kreuterb p. 380. 18) DALECHAMPII Hist. Lugd. p. 1313. 19) TABERNÆMONTANI Kreuterb. p. 413. 20) EIVSD. Icones p. 137. 21) COLVMNÆ Φυτοβασανος p. 81. 22) ex Edit. PLANCI t. 18. 23) CLVSII Stirp. Pannon. p. 511. 24) EIVSD. Hist. p. CXVIII. 25) VFFENBACHII Hortus sanitatis seu DVRANTIS Herb. Ital. in Germ. linguam versum p. 540. 26) HORTVS EYSTETT. O. arb. & frut. vern. F. 3. f. 3. 27) DODONÆI Pempt. p. 139. 28) GERARD Herball enlarged and amended by THOM. IOHNSON p. 405. 29) PARKINSON Theatr. p. 507. 30) CHABRÆI Stirp. Sciagraph. p. 544. 31) Io. BAVHINI Hist. III. p. 710. 32) I. I. BECHERI Parnass. med. p. 413. 33) VERZASCHÆ Kreuterb. p. 523. 34) ZWINGERI Kreuterb. edit. pr. p. 784. post. 948. 35) MVNTING Aardgew. p. 726. 36) EIVSD. Phytogr. t. 208. 37) MORISON Hist. Ox. III. S. XIV. t. 5. f. 1-4. 38) BREYNII Cent. I. p. 184. t. 93-95. 39) PETIVER Pterigraphia Amer. 40) PLVMIERII descript. des Plantes Amer. 41) EIVSD. traité de Fougeres de l'Amer. s. tract. de Filicibus Amer. 42) SLOANE Voyage to the Islands Madera, Barbados &c. Vol. I. p. 71. 43) SALMON Herbal p. 724. 44) BARRELIERII Plantæ per Gall. Hisp. & Ital. obs. t. 252. 45) GARIDEL Hist. de Pl. d'Aix. t. 78. 46) BLACKWELL Herbal t. 420. 47) MORAND Hist. Stirp. t. 5. f. 5. 48) WEINMANNI Phytanthoz. t. 673. fig. e, f. f.

ria adhibebatur opera) exhibent LOBELIVS, CLVSIVS, DODONEVS, GERHARD, PARKINSON, 2) aliam, & quidem duplicem differentis ſtructuræ, ſed iterum eiusdem normæ (quæ ab vno typographo ad alterum migravit) CAMERARIVS, VFFENBACHIVS, BECHERVS, VERZASCHA, ZWINGERVS, 3) aliam FVCHSIVS, huicque ſimillimam quidem, attamen imminutam, vel leviter mutatam, TRAGVS, LONICERVS, CHABRAEVS, I. BAUHINVS, 4) aliam MATTHIOLVS in omnibus editionibus, etiam a C. BAVHINO evulgatis, iterumque ſimillimam, ſed multo maiorem in poſteriori edit. Germ. & Venet., imminutam vero vel leviter mutatam DVRANTES, DALECHAMPIVS, TABERNAEMONTANVS, SALMON, 5) aliam, ſed ſemper differentem, reliqui auctores. Ceterum omnes hæ figuræ in eo conveniunt, quod ſingula planta ſimplicem producat caulem, circa eius ferme medium unico folio pinnato veſtitum, pone quod procedit caulis adhuc ſimplex, usque dum terminatur in ſpicam ramoſam florigeram & ſeminiferam. In omnibus porro ſingulæ pinnæ latis craſſæ & carnoſæ delineantur & deſcribuntur, anguſta baſi petioli in modum adhærent coſtæ, deinde in latum ita expanduntur, ut interius utrimque, præcipue in inferiori latere, excavatæ, exteriori vero in ambitu magis minusve convexæ repræſententur, adeoque lunulam quaſi referant. Differunt autem hæ figuræ non ſolum magnitudine omnium partium, verum etiam & folii & ſpicæ florigeræ ſtructura diſpoſitioneque. *Magnitudine* ordinariam normam præcipue excedit icon Fuchſiana ſtirp. Hiſt. lat & germ. (quæ eadem eſt, inter Icones autem in octava forma editas ad ſtatii normam imminuta reperitur,) & apud MATTHIOLVM edit. germ. & lat. poſter.; quæ vero figura, cum minoribus prior. edit. collata, ſecundum omnes partes pro lubitu tantum aucta videtur. *Folii pinnarum* paria, monente ill. HALLERO Stirp. helvet. p. 131, numerantur plerumque octo novemque cum impari coſtam claudente: *tria* tantum cum impari oſtendit

WEINM. fig. alt. f; *quatuor* sine impari CAMERAR. fig. min.; *sex* cum impari COLVMNA, & WEINM. fig. f; *septem* FVCHS. LOBEL. & H. EYSTETT.; *decem* sine impari MATTHIOL. Confusum coniugationum ordinem exhibent MATTHIOL. CAMERAR. fig. maj. MORISON. BARREL. GARIDEL, MORAND, BLACKWELL, *sex* vel *septem* coniugationes referentem. *Pinnarum figuram* securis instar nimis artificiose effictam cum *margine ubique integerrimo* sistit MATTH. & WEINMANN. in utraque fig. f. Earum *totum marginem integrum*, sed exterius circa medium notabiliter *prominentem* repræsentat LOBEL. CAMERAR. fig. mai. COLVMN. BARREL. BLACKWELL; externum marginem *leviter incisum* seu *dentatum* CAMERAR. fig. min.; *penitus crispum* MORAND; nunc profunde *cordis in modum incisum*, nunc *trilobatum*, nunc etiam *rotundum*, ceterum *non dentatum* FVCHS; *frequentius incisum* H. EYSTETT. & MORISSON; penitus *laciniatum* GARIDEL. *Spica florigera eiusque rami* pariter vario modo delineantur; rami in omnibus figuris citatis ex utroque caulis latere excurrunt cum summo caulem terminante, ita tamen, ut in aliis magis simplices, in aliis iterum in minores ramos divisi, nunc per coniugationes quasi ordinati, nunc magis dispersi, nunc quasi paralleli, nunc magis erecti, nunc nutantes compareant. *Numerus* eorum quoque variat: *tria* vel *quatuor paria*, milii paniculæ quasi in modum collecta & nutantia, repræsentat LOBELIVS; *quatuor* laxe dispersa cum primo pari longissimo iterumque valde ramoso FVCHSIVS; *totidem* cum intercurrente uno alterove ramo impari paullulum erecta WEINMANN; *nutantia* BARREL; *quinque* paria parallela MORAND; *quinque* vel *sex*, sed minus coniugata, parallela MORIS. CAMERAR. fig. mai; magis erecta fig. min; *septem* parallela COLVMNA; *septem vel octo* parallela MATTHIOLVS; confuse ordinata BLACKWELL; *novem* parallela GARIDEL.

Etsi

Etſi ex collatione harum figurarum ſæpius citatarum facile patet, non omnes pari induſtria atque accuratione paratas eſſe; nullum tamen propter fidem, quam plurimi earum auctores merito conſequuti ſunt, ſupereſt dubium, quin ſingulæ ad naturale exemplar delineatæ, adeoque variationes, notabiles etiam, vel ſoli vel tempeſtatis, vel etiam ætatis adiumento productæ ſint. Quum vero Buxbaumianum exemplar præcipue parvitate ſua ab omnibus differat, haud penitus ſupervacaneum duxi, eius delineationem Tab. II. fig. 1. repræſentare.

Hac data occaſione opportunum mihi videbatur, ad magis illuſtrandas has varietates, Buxbaumianis ſpeciminibus alia adhuc ſubiungere ex meo apparatu. Primum ſuppeditat collectio plantarum ſiccarum copioſiſſima æque ac ſtudioſiſſima b. D. D. Io. Ge. Volkameri, filii, quam haud ita pridem mihi comparavi. Siſtit illud tab II. fig. 8, & inſignis eſt altitudinis, qua Fvchsii atque Matthioli figuris parum cedit, alio licet modo ſtructum. Oſtendit præterea coniugationes haud ubique regulares folii pinnarum, quarum margo leviter tantum inciſus ſeu dentatus eſt; ſpicæ florigeræ pariter ramos non coniugatos, paullulum erectos, ſingulos vero, præcipue inferiores, in ramulos laterales ſubdiviſos, denique, quod ſingulare & præternaturale eſt, inter ſecundam & tertiam folii pinnarum coniugationem ramulum peculiarem ſimplicem florigerum ſigno * indicatum. Ut de genuino eius ortu ab omni dubio me liberarem, ſolvi hoc folium a nexu cum charta glutine facto, atque non ſolum oculo armato illum exploravi ramulum, verum etiam aqua folium hoc maceravi ad omnem nexum præternaturalem ſolvendum: ſed utroque examine certiſſimus factus ſum, hunc ramum veram folii coſtæ ſoboleſ eſſe. Ita de rei veritate convictus, operæ pretium fore duxi, huius folii averſam partem fig. 9. omni accuratione delineatam in publicum producere, & ſimilem Camerarii obſervatio-

vationem (de qua mox plura) roborare. Figuræ 10. 11. 12. 13. tab. II. factæ ſunt ſecundum ſpecimina abs me iuvene adhuc, in patria collecta. Figuræ 10. & 11. ſe diſtinguunt caule florigero ſupra folii inſertionem ultra dimidium bifido, ea tamen differentia, ut fig. 11. utriusque caulis diviſi unum tantum latus, & quidem exterius, fig. 12. vero utrumque ramis coniugatis ornatum ſit. Utrumque præterea ſpecimen folii pinnas ſatis regulariter coniugatas, prius tamen eas valde a ſe invicem ſeparatas earumque marginem externum in medio præcipue eminentem, poſterius vero pinnas magis iunctas & ſibi invicem incumbentes, marginemque per totum ambitum externum leviter tantum inciſum exhibet. His inſignibus differentiis non obſtantibus, eas tamen nonniſi pro varietatibus tantum Lunariæ vulgaris accidentalibus habendas eſſe, quilibet facile cognoſcit.

Num autem fig. 12. 13. peculiarem ſpeciem haud conſtituat, aliis diiudicandum relinquo: pinnarum certe nimis diſtincta figura oblonga, earumque frequentiſſima & profundiſſima æque ac ubique ferme æqualis inciſio ad petiolum uſque continuata, & in utroque exemplari eadem, hoc indicare mihi ſaltem videtur, licet hæ pinnæ pariter, ac in vulgari hunaria, ſimplici tantum coſtæ, & quidem per regulares quatuor coniugationes cum impari coſtam claudente, adhæreant. Eandem figuram vel deſcriptionem apud alios nondum reperi. Valde ſimilis quidem ei eſt icon *Lunariæ racemoſæ minoris Adianti folio Breyn. p. 183. t. 93.* quæ in montibus Caſſubiæ provenit, tam raro autem, ut Breynio duæ, aliique una duntaxat inde obvenerint. Hæc autem icon non ſolum magnitudine omnium partium noſtram multum ſuperat (quæ ſola differentia ſpecificam notam haud conſtituit) verum etiam caulis in folium unicum & ſcapum ſeminiferum profunda diviſione, &, quod primarium eſt, pinnarum irregulariter combinatarum profundis laciniis harumque manifeſtis ſubdiviſionibus

nibus (quapropter hic auctor eas cum foliis Capilli veneris ſeu Adianti foliis Coriandri comparat) haud leviter differt. Eiusdem iconis levis imitatio reperitur apud Moris. H. Ox. III. S. XIV. t. 5. f. 2. & deſcriptio p. 594. n. 2. ex Breynio. Longe alia vero facie gaudet *Lunaria elatior Adianti albi folio, duplici ſpica Sloan. p. 71. n. 1.* quæ eſt, illo ipſo interprete, *Adiantum ſaxoſum floridum Plum. Pl. Amer. p. 29. t. 43.* quæque figura eadem iterum, ſed magis elaborata, occurrit in eiusd. tr. de Filicib. t. 158. ubi & p. 135. nominatur *Osmunda Filiculæ folio maior*, ut & eius imitatio, ſed multum imminuta, proſtat in Petiverii Pterigraph. t. 9. f. 1. ubi in Catal. præfixo n. 167. vocatur *Osmunda Adianti nigri facie.* Ceterum, num noſtra planta propterea, quod unico tantum & ex ſimplici coſta conſtructo folio gaudeat, pro varietate tantum Lunariæ vulgaris habenda ſit, (cuius ſententiæ examen huc non pertinet) cuiusvis arbitrio relinquo, & hac occaſione id tantum moneo, in diſſertat. cuius inſcriptio *Adumbratio Floræ*, a. 1754. Aboæ ſub præſidio Kalmi ventilata, & in Nov. litt. Gœtting. (*Gœtting. Anzeigen*) a. 1756. p. 469. recenſita, eius auctorem aſſerere, eo in caſu, ubi incertum eſt, num differentia cuiusdam plantæ pro varietate tantum, an pro ſpecie diſtincta habenda ſit, conſultum ſibi videri, poſterius tamdiu ſtatuendum eſſe, uſque dum prius probetur. Hac ſententia ſuffultus mea exemplaria fig. 12. & 13, ſalvo aliorum iudicio, pro peculiari agnoſco ſpecie, *Oſmunda* (nomine receptiorum generico) *folio unico pinnatifido, pinnis oblongis frequenter profundeque inciſis* nominanda; qui vero eandem pro varietate tantum *Lunariæ Matricariæ folio Breynii Cent. I.* t. 94. (de qua n. III. & IV. plura) haberi velit, ei potius ſubſcribo. Sed redeo in viam.

II. *Lunaria ramoſa Buxbaumii* tab. II. fig. 2. etiam ſingularis eſt, & ſub tali conformatione nondum, quantum ſcio, depicta; quum vero a vulgari non differat, niſi multiplicato

ſupra folium caule florifero, utpote quorum, præter primarium & ordinarium, adhuc duo laterales minores ex ipſa folii ala ſurgunt, hæc quoque pro vulgaris tantum varietate habenda erit, præcipue quum toto habitu reliquo ab illa haud recedat. HORTVS EYSTETT. quidem caulem florigerum pariter tripartitum pingit; ſed, quantum ex hac figura colligi poteſt, diviſio hæc non ſigillatim ex ala folii procedit. Præterea, quum huius operis auctori non inſolitum fuerit, partes ſtirpium multiplicare, & ſpecioſiores, quam natura profert, repræſentare, dubium adhuc ſupereſt quo uſque hæc figura legitima cenſenda ſit. Proſtat autem alia adhuc figura Lunariæ ramoſæ apud CAMERARIVM Epit. p. 644, & Kreuterb. p. 308. nomine *Lunariæ rarioris*, quæ figura eadem reperitur apud VFFENBACH. p. 41. eodem nomine, & BECH. p. 413. VERZASCH. p. 523, nomine Lunariæ anglicæ; ZWING. p. 785. 948. nomine *Lunariæ racemoſæ maioris*, & C. BAVHIN. in eius editione MATTH. p. 647. nomine *Lunariæ minoris ramoſæ*, quæ vero figura imitatio tantum prioris, atque, more imitatorum vulgari, inverſa eſt. Auctor ergo huius figuræ ſingularis eſt CAMERAR., qui Epit. l. c. teſtatur, plantam hanc in Anglia inveniri, eumque ipſam delineari iuſſiſſe, ut aliis quoque herbarum inveſtigatoribus hæc varietas innoteſceret. Notandum autem eſt, RAIVM Hiſt. T. I. p. 127. aſſerere, ſe eam nunquam inveniſſe, nec ab aliis inventam audiviſſe in Anglia, quod ulterius confirmat EIVSD. Synopſ. method. ſtirp. britan. edit. tertia (a DILLENIO adornata) p. 128. ſeq. ubi nimirum huius plantæ nulla prorſus fit mentio. Reliqui præterea Angli ſupra citati eam pariter tacent, ſi excipias IOHNSONVM in Commentario ad GERARDVM & MORIS. III. p. 594: ſed hic propriam obſervationem non allegat, &, citato C. atque I. BAVHINO, eam vulgaris tantum Lunariæ varietatem declarat; ille vero p. 406. ſolummodo ad CAMERAR. provocat. Diſtinguit autem ſe hæc icon magnopere a vulgari, quod unus cau-

lis

lis quatuor ornatus eſt foliis alternatim poſitis, & quatuor ſpicis florigeris, inter hæc iterum alterno ordine productis, licet nec foliorum pinnæ, nec ſpicarum diſpoſitio ramoſa, ab eiusdem auctoris Lunariæ vulgaris figura maiore ullo modo diſcedat. Id unicum adhuc obſervandum eſt, eandem figuram ad coniugationem pinnarum primam ſecundi folii exhibere peculiarem ramulum florigerum ſimplicem ex ipſa folii coſta ortum, eodem ferme modo, quo nos talem fig. 9.* repræſentavimus. Addo hic, huius plantæ figuram, procul dubio a CAMERARIO mutuatam, ſed rudiori minerva & folio ſecundo cum ramulo florigero extraordinario reſciſſo, repræſentatam inveniri apud CHABRAEVM p. 545, quæ ipſi *Lunaria botrytis minor polyphylla* audit, atque hanc eandem apud I. BAVHINVM III. p. 711. nomine *Lunariæ botrytis minoris multifoliæ.* Nec reticere poſſum, eiusmodi figuram etiam occurrere apud MVNTINGIVM t. 208, nomine *Lunariæ botrytis maioris ramoſæ*, qui præterea eius exemplar p. 726. tam prolixe deſcribit, ac ſi illud præ manibus habuerit, & ipſemet coluerit. Differt tamen hæc icon non ſolum foliorum coſta latiſſima, alata, & pinnarum margine excavato, verum etiam ſpicis florigeris maximis & ramoſiſſimis. Huius imitationem tantum eſſe figuram WEINMANNI t. 673. fig. e, eodem nomine inſcriptam, in expoſitione p. 301. b. eius A. ipſe profitetur, & tamen hæc icon haud leviter ab illa recedit. Tandem mentio adhuc facienda eſt *Lunariæ ramoſæ Cluſii*, quæ vero huc non pertinet, ut ex ſequentibus patebit.

III. & IV. Quibus notis ſpecificis diſtinguenda ſit BVXBAVMII *Lunaria racemoſa multifido folio C. B. pin. p. 355. n. III.* quam ſiſtit Tab. II. fig. 3. 4. ab eiusdem *Lunaria Matricariæ folio* fig. 5. 6. ego, ex ſiccis ſaltem exemplaribus, perſpicere nequeo; num vero hoc vel illud nomen iisdem competat, diſquiſitione adhuc opus habet, quia earum figuræ apud alios occurrentes notabilem differentiam exhibent. BVX-

AVMIVS ipſe in ſua Animadverſ. VII. ſuperius p. 37. producta, bLunariæ folio multifido C. B. nullam prorſus facit mentionem, &, dum paullo poſt Lunariam Matricariæ folio recenſet, addit, eam, quam BREYN. Cent. I. deſcribit, non differre a Lunaria I. BAVHIN. hancque variare foliis magis minusve ramoſis, qua in re ad CLVSIVM ablegat. Citata deſcriptio BREYNII, quæ nomine *Lunariæ racemoſæ minoris Matricariæ folio* proſtat, l. c. p. 184. refert, eam montium Caſſubiæ etiam eſſe incolam, ibique copioſe creſcere, ac eius exemplaria omnia onuſta fuiſſe cauliculis magis curtis, quam vulgaris, racemis brevioribus, magisque ramoſis, foliis itidem brevioribus plures in lacinias anguſtiores diſſectis, Matricariæ haud imparibus, quam deſcriptionem t. 94. duabus figuris illuſtrat, tandemque quærit, an ſit *Lunaria minor rutaceo folio C. B. pin.* Hæ BREYNII figuræ ambæ ſiſtunt caulem ſimplicem ex radice ſurgentem, unico folio ornatum. Folio, circa medium circiter caulis & paullo infra ſpicam florigeram adnato, intuitu totius plantæ magnitudinis ſatis amplo, ad ſimplicem coſtam adhærent in uno exemplari tres, in altero quinque vel ſex pinnarum coniugationes irregulares cum impari extrema, quæ pinnæ tam longæ & latæ ſunt, ut folium ramoſum repræſentent; ſunt autem oblongæ profundiſſimeque in anguſtas partes diſſectæ, quarum apices, paullo latiores, iterum bis terve leves inciſuras oſtendunt; ſpica florigera pariter ampla ex tribus conſtat ramis, qui, quum ex ramis lateralibus iterum compoſiti ſint, triplicem quaſi ſpicam conſtituunt. C. BAVHINVS ſuæ Lunariæ rutaceo folio plura non addit, quam quod ſit *Lunaria botrytis πυγανόφυλλος Iungerm. in Cat. Altd.*; CASP. HOFMANNVS vero, qui IVNGERMANNI Catalogum recenſuit, l. c. hoc nomen pariter ulterius non explicat, quam quod quærat, an ſit *Lunaria πολύφυλλος Thalii*, quam vero C. BAVH. ſynonymis addit ſuæ Lun. racem. multifido folio, &, dum MAVR. HOFFMANNVS in Flor. Altd. delic. ſylv. hanc plan-

plantam recenſet, eique Lunariam rutaceo folio C. B. tanquam ſynonymum iungit, monet ſimul, eam a vulgari in eo tantum differre quod folia habeat rutæ modo diviſa, adeoque πολύφυλλος non ſit. THALIVS ipſe in ſylva Hercyniæ (quæ adnexa eſt CAMERARII Horto med. & philoſ.) p. 74, ſuæ Lunariæ, in montium quorundam iugis ſummis circa Andersbergum primo ſtatim vere copioſe inventæ, tribuit coliculos (aſparagos intelligo) ferme palmares ex radice ſigillatim prorumpentes, in brachia gemino latere iterum brachiata deductos, inter quos thyrſulus exoritur racemoſus, quæ nota vel ſola multum differt a Breyniana icone, ut & a Lunaria rariori Camer. cuius ſupra p. 50. mentionem feci, ad quam tamen eandem retulit I. BAVH. III. p. 712. b. Quod ad I. BAUHINI Lunariam attinet, quam cum Breyniana Matricariæ folio eandem eſſe iudicat BUXBAUMIUS, eſt illa procul dubio *Lunaria botrytis ramoſa Sileſiaca*, quo nomine eam l. c. p. 711. b. deſcribit & depingit, cuiusque figuram plane eandem, ſed absque ulla deſcriptione, eodem tamen nomine, antea iam propalavit CHABRAEUS p. 545. b. & cuius mentionem quoque fecit CAMERAR. Hort. med. & phil. p. 91. Ex BAUHINI deſcriptione patet, *pediculum ſeu caulem florigerum, iubatis racemis* (qui irregulariter diſpoſiti & erecti pinguntur) *ornatum, ſeſquipalmarem, & craſſiuſculum, & foliorum ſitum numerumque longe* (a Lunaria procul dubio vulgari) *diverſum eſſe, ſiquidem* (ſunt verba auctoris) *pediculus ſextantalis* (quinque tantum diviſiones in figura apparent) *craſſitie eius, qui racemum ſuſtinet, nudus in tres abit pediculos minores* (figura quinque indicat) *quorum ſinguli rurſum tripartiti* (quam diviſionem figura non manifeſtat) *folia ſuſtinent falcata forma* (neque hæc forma ex delineatione apparet: repræſentant enim pinnæ potius figuram oblongam in apice obtuſo ſubinde leviter inciſam) *& poſitu Lunariæ vulgaris* (per coniugationes ſcilicet regulares ſecundum figuram quatuor vel quinque)

minora, subinde per marginem serrata. Addo, iconem hanc ostendere alterius folii ad caulis florigeri ortum e regione opposita enati, sed abscissi, vestigium, adeoque collata descriptione caulis florigeri nudi, hac nota cum THALII descriptione, nullatenus vero cum BREYNII figura descriptioneque convenire. Ceterum hanc suam & illam CLUSII plantam, quam BUXBAUMIUS quoque citavit, eandem esse, BAUH. declarat. Describit autem & delineatam sistit eam CLUSIUS nomine *Lunariæ minoris ramosæ* Stirp. Pannon. p. 510. & Hist. p. CXIX, quæ eadem ex eodem desumta reperitur apud GERARD. p. 406. Ex descriptione discimus, *hanc plantam nasci in altis Silesiæ montibus, dodrantalem esse, statim a radice unam aut alteram foliorum alam sive folium prodire ramosum* (prius folium, altero distinctius delineatum, quatuor ramorum sistit paria cum impari in summitate; alterum folium plures ramos, sed non pari ordine) *multifidum* (scilicet, secundum figuram, ex multis pinnis trium vel quatuor coniugationum cum impari compositum) *multis foliis* (i. e. pinnis) *vulgari Lunariæ minori fere similibus sed longioribus & crassiusculis crebrisque incisuris divisis* (similitudo ergo non consistit in figura falcata seu lunari, ad mentem I. BAUH., cuius vestigium nullum in hac etiam delineatione apparet, sed tantum in pinnarum dispositione simili crassiorique compage) *colore sicut illa viridi dilutiore præditum: secundam foliorum alam, uti teneriorem & postremo natam, tenui quadam, sed rara admodum lanugine pubescere videri succulentioremque esse prima.* His additur, *ex eius* (sc. secundi folii, quod, testante figura, cum primo prope radicem proxime iunctum est) *quasi utero secundum radicem emergere cauliculum* (cuius repræsentatio in icone deficit) *pinguem & succulentum, sustinentem multifidam spicam & maiorem, quam vulgaris, alioqui admodum similem &c.* quibus subiungit, *inter plantas, quas accepit, unam fuisse, quæ ternos cauliculos florum plenos produxerat.*

Ante

Ante quam ulterius progredior, moneo, plane aliam plantam nomine *Lunariæ elatioris Matricariæ folio ſpica duplici* proſtare apud SLOANE vol. I. p. 71. n. II. tab. 25. fig. 6. Ut enim taceam, huius caulem florigerum ultra pedis altitudinem aſcendere, & circiter paullo infra eius dimidium in duos abire, quorum ſummitas exiguis ramulis flores ferentibus, & quidem uno tantum in latere, onuſta eſt; folium unicum quidem infra caulis diviſionem adhæret, & duodecim pinnarum ordines, nunc alternos, nunc coniugatos, cum impari repræſentat; ſed hæ pinnæ, præſertim inferiores (pededentim enim apicem verſus minores fiunt) omnibus figurarum hactenus citatarum pinnis longe maiores, iterum coniugato ordine, quino plerumque, cum impari, diſpoſitæ, tam profunde diſſectæ ſunt, ut ſingulæ peculiare folium compoſitum referant, quæ porro diviſionis partes valde anguſtæ hinc inde iterum leviter inciſæ conſpiciuntur, qua diviſione hæc planta cum illa Matricariæ folio Breynii proxime quidem convenit, ſed reliquo habitu & ab hac & ab aliis ſpeciebus valde differt: num compages, ut in aliis ita dictis Lunariis, notabili craſſitudine gaudeat, in deſcriptione annotatum haud eſt. Hanc Matricariæ folio Lunariam SLOANE & *Oſmundam molliter hirſutam & profunde laciniatam* PLUMIERII tr de filic. p. 138. t. 162. (cuius eadem ferme icon ſed iterum multum imminuta & inverſa occurrit in PETIVERII Pterigraph. t 8. f. 16, & in catal. præfixo n. 165. *Oſmunda villoſa* nominatur) an ſecundum LINNAEUM Spec. Pl. p. 1065. n. 6. pro ſynonymis agnoſcere debeamus, utriusque figura & deſcriptio inter ſe collatæ, haud leve movent dubium.

Ex hactenus allegatis deſcriptionibus atque figuris facile patet, auctores valde variare in indicanda planta, cui Lunariæ vel folio Matricariæ BREYNII vel multifido C. B. nomen com etat. Ipſe C. BAUHINUS Lunariam ſuam memoratam, illamque ramoſam Sileſiacam Camerar. Hort. med. & phil.; bo-

botrytin polyphyllam Thalii, & minorem ramoſam Cluſ. pro una eademque declarat, & qui Thalii ac Clusii deſcriptionem atque huius inſuper figuram inter ſe comparat, omnino nullam ſpecificam differentiam inveniet; qui I. Bauhini Lunariæ Sileſiacæ (quæ procul dubio illa ipſa Camerarii eſt, licet hic eam nec deſcripſerit nec delineaverit) deſcriptionem & effigiem confert; hanc etiam pro eadem agnoſcet; qui denique Breynii figuram t. 95. C. B nomine publicatam ſimul examinat (creſcit autem hæc planta apud Gedanenſes in quibusdam locis arenoſis, ut p. 185. monet, ceterum autem nullam deſcriptionem addit, ſed tantum ad illam Clusii atque I. Bauhini provocat) hanc tantum differentiam deprehendet, quod hæc figura ſpicam florigeram ſpecioſiorem & ex ramis iterum ramoſis compoſitam, nec non foliorum amborum pinnas evidentius inciſas repræſentet, ubi tamen adhuc notandum, hanc æri, illas vero ligno tantum inciſas eſſe.

Si nunc cum his comparantur ſpecimina Buxbaumiana Tab. II. fig. 3. 4. 5. 6. delineata, me iudice, omnium folia ramis ſuis pinnisque cum Lunaria multifido folio C. B., ſecundum Clusii, I. Bauhini, atque Breynii figuras, penitus, cum illa Matricariæ folio Breynii vero minime convenire, in eo autem & ab illa differre, quod ipſi cauli fructifero unicum tantum folium Buxbaumianis ſpeciminibus adhæreat, & ſolummodo in illo fig. 3. delineato alterum adhuc folium prope caulis ortum accedat. Quum ergo hæc varietas a nullo auctore, quantum ſcio, annotata eſt, propterea atque præterea, quia hæc omnia ſpecimina citatis figuris multo minora ſunt, eorum figuras in publicum producere & ulteriori Botanicorum ſcrutinio commendare minus dubitavi.

V. *Lunaria folio Cicutæ Buxbaumii* t. II. fig. 7. prorſus ſingularis ſpecies mihi videtur, cuius etiam folium, quantum ex ſicco exemplari cognoſcere potui, multo tenuioris compagis eſt: reliquas differentias figura exacte repræſentata ſatis do-

docet. PETIVER. quidem Pterigr. Cat. n. 170. *Lunariam Cicutæ folio* etiam recenſet, eiusque effigiem t. 9. f. 3. exhibet, quam LINNAEUS Spec. pl. p. 1065. n. 11. *Oſmundam ſcapo radicato paniculato, fronde ſupra decompoſita* appellat, eiusque ſynonymum facit *Oſmundam Filiculæ folio alteram Plum.* tr. de filic. p. 138. t. 161, quæ omnino figuræ Petiverianæ reſpondet; ſed, qui utramque figuram huiusque deſcriptionem confert, primo ſtatim intuitu deprehendet, hanc longe aliam eſſe quam Buxbaumianam; præter inſignem enim altitudinem foliorum & ſcapi fructiferi ad pedis altitudinem aſcendentem, ſcapum ex radice nudum ſigillatim ſurgentem protrudit, foliaque ramoſa & decompoſita offert. Neque etiam Buxbaumianum ſpecimen ullam ſimilitudinem habet cum *Lunaria botryti elatiore virginiana pinnulis tenuiſſimis & Cicutariæ in modum diviſis Moriſ. III. p. 595. n. 5.*, cuius iconem ſiſtit Sect. XIV. t. 4. n. 5. ſiquidem folia plurà, coniugata, caulem ambiunt, longe aliter præterea conſtructa.

Coronidis loco addo, eos, qui ad mentem BUXBAUMII ſuſtinent, Lunariæ botrytis ſpecies, ut genere differentes, ab illis Oſmundæ recentiorum ſeparandas eſſe, ne quidem ex habitu externo hanc ſententiam probare poſſe, niſi ad magnitudinem inſigniter differentem & compagem forte in omnibus Lunariis ita dictis craſſiorem (ubi tamen Lunaria Cicutæ folio ſupra deſcripta iam excipienda videtur) confugiant, quas tamen notas ſolas recentiores, ut genericas, non amplius agnoſcunt. Certe *Lunaria multifido folio C. B.*, quod ſupra probatum eſt, æque ac plurimæ Oſmundæ ſpecies thyrſum fructiferum a foliis nudum, & e contrario *Oſmunda lanceolata & ſubtiliter ſerrata Plum.* tr. de filic. t. 156. *Oſmunda hirſuta Lonchitidis folio* t. 157. *Oſmunda Filiculæ folio minor* t. 158. *Oſmunda Aſphodeli radice* t. 159. *Oſmunda molliter hirſuta & profunde laciniata* t. 162, vel ſolum folium cauli-

num, ad thyrſi fructiferi ortum adnatum, vel, præter hoc, plura folia radicalia exhibent.

* * *

Quod ad *Rubi humilis flore purpureo*, cuius ſupra p. 39. mentio facta eſt, ſpecimen communicatum attinet, cel. D. D. Springsfeld in nota addita recte iam monuit, Buxbaumium quidem eodem nomine hanc ſtirpem delineatam iam exhibuiſſe Plantar. minus cognitar. Cent. V. t. 26, eam autem iconem folia repræſentare multo anguſtiora, quam ſpecimen ſiccum exhibet, hoc vero optime convenire cum *Rubo caule unifloro foliis ternatis Linn.* Fl. Lapp. p. 162. t. V. fig. 2. His addo, Buxbaumii deſcriptionem l. c. p. 13. huic Rubo magis reſpondere quam figuram, quæ eius folia non ſolum potius digitata & in quatuor partes anguſtas ad petiolum usque diviſa, verum etiam has quoque partes ubique profunde inciſas ſeu dentatas refert; quare ſuſpicio mihi oritur, hanc iconem plane incongruo loco inſertam eſſe, dum toto habitu ſuo nimis ab hac ſtirpe recedit. Siccum eius exemplar, quod Tab. III. f. 1. repræſentat, penitus reſpondet deſcriptioni *Rubi trifolii, humilis, non ſpinoſi, ſapore & odore Fragariæ fructu rubro polycocco, Rubo idæo ſimili Meſſerſchm.*, quæ legitur apud Io. Ammanvm Stirp. rarior. imp. Ruthen. p. 185, ſi excipias caulem non penitus rectum, nec ſimplicem, ſed ad ſecundum folium ramoſum, adeoque non uniflorum ſive in ſummitate ſingularem tantum fructum (floris enim hic nulla mentio fit) ſuſtinentem. Non dubitat Ammanvs quoque, quin hic & *Rubus humilis flore purpureo Buxb. Cent. V.* ſit idem; ſed quæ de eius figura monenda ſunt, iam adduxi. Pariter etiam pro ſynonymo agnoſcit *Rubum caule unifloro foliis ternatis Linn. l. c.*, cuius definitio & elegantiſſima icon non parum quidem recedit ab exemplari noſtro, ita ut harum intuitu notabilis differentia notanda eſſet; ſed eiusdem ill. A. deſcri-

deſcriptio, more ſuo accuratiſſima, l. c. p. 163. omne dubium ſolvit: ibi namque docet, ramos communiter nullos obſervari, raro tamen unicum imperfectum (ex eodem, quo floris pedunculus oritur, ſinu) inter pedunculum & petiolum egredi, nunquam tamen eundem perfectum ſe vidiſſe; floris petala porro naturali ordine ſemper eſſe integra; ſe tamen variationem corollæ laciniatæ notabilem reperiſſe in Lapponia, ubi ignis ante aliquot annos mirum in modum devaſtaverat omnia, quæ petalis inſtruebatur laciniatis, quare hanc varietatem præ naturali in citata figura delineandam curaverit. Qui plura de hac Rubi ſpecie ſcire deſiderat, evolvat reliquos auctores l. c. allegatos, & conferat LINNAEI Flor. Suecicam n. 412. noviſſ. edit. n. 448, ubi paucis mutatis, nominatur *Rubus* (Arcticus) *foliis ternatis, caule inermi, unifloro*, & character ſpecificus breviter nervoſeque additur, qui iterum indicat, ramos eſſe rariores, ſimplices, breviores, axillares, plerosque ſteriles. Quo magis ergo exemplar Buxbaumianum ſiccum hanc variationem declarat, eo minus dubitavi, quin eius accurata icon curioſis grata foret. Hæc enim non ſolum floris petalorum integrorum formam repræſentat, verum etiam non unum ſed duos ramos extraordinarios ſiſtit, quorum alter ſolus & proprio foliolo ſimplici ſupra eius medium cinctus ex ala ſeu axilla folii ſecundi, alter cum floris perfecti pedunculo iunctus iterumque, & quidem duobus propriis foliolis ſimplicibus cinctus, ex ala tertii folii prodiit, & floris petalorum prorumpentium veſtigia haud obſcure manifeſtavit. Præterea LINNAEVS addit, hos ramos eſſe breviores; alter vero in noſtro exemplari floris pedunculo, penitus nudo, multo longior eſt. Folia inſuper, quæ figura ſua deſcriptioni Linnæanæ priori penitus reſpondent, in noſtro exemplari alio ordine apparent, quam citata deſcriptio refert, ubi inferiora minima, media maxima, ſumma mediæ magnitudinis dicuntur. Denique ſquamulæ foliaceæ, (quas idem loco citato

deſcribit, poſteriori vero ſtipulas vocat) duæ oppoſitæ, ovatæ, conniventes, & erectæ, minimæ, ad quodlibet geniculum caulis petiolo connexæ, e quibus petiolus ad angulum acutum exit; primum quidem folium ita ordinatas manifeſtat, reliqua duo vero earum unam tantum; forſan autem non ex naturalis ſtructuræ variatione, ſed ex ſpeciminis conſervatione vitiata oſtendunt.

Tandem adhuc moneo, *Rubum odoratum Cornuti*, cuius BVXBAVMIVS mentionem fecit, PLVKENETIVM nec deſcripſiſſe, nec delineaſſe, ſed eius nomen tantum mutaſſe ita, ut ab ipſo Almag. p. 325. appelletur, *Rubus idæus maximus Americanus non ſpinoſus, flore roſeo, fructu compreſſiori;* eius vero deſcriptionem & iconem nomine ſimplici *Rubi odorati* ipſum iam CORNVTVM Plant. Canad. hiſt. p. 150. propalaſſe.

D. CHR. IAC. TREW.

Obſervatio IX.

D. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Pomeraniæ ulterioris fons medicatus Polzinenſis.

Borealis regionis terræ quidem non adeo multis & variis, ac meridionales, ſcaturiunt fontibus mineralibus & medicatis; attamen haud prorſus iisdem ſunt deſtitutæ, eorumque quosdam fovent haud ignobiles, de quibus rumor tantummodo non ad exteras uſque gentes eſt delatus, quoniam inſignis aut verus eorundem uſus ſcriptis nunquam, vel non ſatis digne celebratus. Iure igitur D. *Günth. Chriſt.* SCHELHAMERVS, in deſcriptione itineris ad inſulas maris Balthici, quæ in *Ephemer. N. C. Dec. III. Ann. IX. & X. pag. 158.* exſtat, dudum conqueſtus eſt de hiſtoriæ naturalis defectibus illic locorum ab ipſo annotatis. Cuius aſſerti teſtis eſt Pomerania ulterior,

quæ

quæ præter egregias Salinas in littore maris Balthici æque, ac in interioribus provinciæ reperiundas, fontes quoque poſſidet medicatos, martiali elemento largius, ac alii uſu & ſcriptis celebriores, imbutos. Ex illis primum innotuit ad præfecturam regiam pertinens vici *Gültzovienſis*, quem ob virtutem aquæ ſingularem aſſeribus probe muniendum curavit in arce ibidem tum temporis reſidens Epiſcopus Camminenſis, Dux CROIA, & cuius fontis, ceu medicati, obiter mentionem facit celeberrimus quondam Pomeraniæ noſtræ Medicus, Electoris Brandenburgici Archiater & Conſul Colbergenſis, TIMAEUS a GÜLDENKLEE in *Caſuum medicin. Libr. VI. Caſ. 3.* aquæ tamen huius elementa perhibens varia, ſed plurimum aliena. Non ita multo poſt alius quidam fons ſalubris ortu, ut fertur, miraculoſo inclaruit non procul a *Polzino*, oppido Pomerano, Poloniæ & Neo-Marchiæ vicino, qui brevi magnam famam ſibi comparavit, atque ob eximias, quæ in omnium ore fuerunt, medendi facultates quotannis ab ægrotantibus, ipſoque Curlandiæ Duce FERDINANDO, Anno 1712. frequentatus eſt, in hunc uſque diem multo uſu celebris. Illius oppidi ac ævi Eccleſiaſtes, TITELIUS, ann. 1693. ſcripto quidem ſcaturiginem, elementa & virtutes tunc præſtitas huius fontis divulgavit, verum pro genio temporis & virium ſuarum modulo fabuloſa, vera & falſa miſcens. Operæ igitur haud leve pretium fore autumo, ſi huius aquæ medicatæ genuina principia, vires medicas per XXIV. annos a me annotatas & verum uſum hic indicarem, cum in horum Actorum *Vol. X. Obſ. 61.* inſignem ex eius balneo utilitatem iam prædicaverim.

Polzini omnis regio eſt montoſa & frugum admodum ferax, eiusque ſolum mineris martialibus abundat: ideo in oppido æque, ac eius agris paſſim proveniunt aquæ martiales, quæ ochra largiter depoſita, ac ad radices montium omnes conſpectui ſe offerunt. Verum non omnes ex æquo minerali

pollent principio; efficaciores enim & multo usu probatiores sunt duæ scatebræ prope sylvam vastam Polzinensem in valle ad rivum, *Wucher* dictum, quarum alia ultra, alia cis ripam illius rivi reperiunda & paullulum isthinc aliæ duæ noviſſime detectæ sunt, quæ omnes aliquot modo passus a se invicem distant, ubi exstructa sunt quatuor balnearia. Hisce accedit aquæ egregiæ martialis vena, in Pastoris illius oppidi horto saliens, atque hospitum oppidanorum usui admodum commoda.

Quæ hi fontes fovent, principia, experimentorum probatissimorum testimonio sunt martiale levi ochra connexum & volatile sulphureum, quæ utraque aqua limpidissima continentur. Martiale constituit crocus martis ex ochra eluendus, isque, utpote natura elaboratus, admodum tener & laudabilis, cuius plus minusve immixti gallæ in pulvere admixtæ aquam arguunt, primum purpureo, mox ex atro purpureo, & denique penitus nigrescente colore tinctam. Volatile sulphureum manifesto se prodit odore & sapore, quin illo experimento, quo aqua per unam alteramve horam in vase aperto sepositа, & tum examini subiecta, graveolentis odoris ac austeri saporis multum perdidit, nec a gallis admixtis adeo cito & intense, ac recens hausta, tingitur, quod huic aquæ commune est fatum cum Pyrmontana. Præter hæc principia alcalinum quoddam aquam nostram fovere docet syrupi violarum admixtio, qua leviter virideſcentem illa induit colorem: sed hoc non alcali fixum sal ideo esse vel inde colligo, quod post evaporationem librarum eius duarum medicarum sedimentum, pondere granorum duodecim superstes, neque salini saporis esset; neque grana V. eius, in aquæ communis uncia dimidia soluta, adfuso violarum syrupo intensius viridem, ac primo experimento, colorem efficerent, quam ob rationem alcalinæ tantum terræ id tribuendum esse iudico, cuius fidem facit oleum tartari per deliquium aquæ nostræ instillatum,

quam

quam ſine ebullitione facit turbidam: ſedimentum vero, cuius ſupra facta eſt mentio, acriter ebullit cum oleo vitrioli. Horum mineralium vehiculum eſt aqua limpidiſſima atque aſpectu puriſſima, vel media æſtate frigidiſſima, ſed hyeme multo temperatior, cuius ſcatebra nullo frigore congelatur, quin potius tepet.

Uſus horum fontium magis eſt externus, quam internus; ideo, quod aquæ hæ eodem, quo Pyrmontanæ, modo in quantitate potandæ plurimorum ægrotantium ventriculum onerent, &, niſi ſufficiente corporis motu præcautum, frigore & pondere graviter offendant. Balnea igitur tepida eodem, quo Freyenwaldiæ Marchicæ & Lauchſtadii Martisburgici, modo, e cocta & frigida commixta aqua parantur, atque iisdem ſimili, ac illic, ratione labris balnearis inſidentes utuntur. Notatu autem maxime dignum eſt, quod aqua Polzinenſis ut mineralium ingredientium quantitate, ita balneum eius efficaciæ præſtantia multum ſuperet balnea modo memorata. Anno 1733. in itinere ad thermas Carolinas Freyenwaldenſe balneum examini ſubieci atque eius aquam vel ad odoris & ſaporis ſenſum, ut & experimento cum gallis inſtituto, noſtra debiliorem, &, ſi menſuræ locus, tertia mineralium parte carentem deprehendi. Par fere ratio eſt Lauchſtadienſis balnei, cuius facultates anno 1751. præſente fratre meo, Medico Halenſi, exploravi, illudque minus Polzinenſi & ne quidem Freyenwaldenſi æquiparandum, noſtro autem Gültzovienſi omnino æquale ad ipſum fontem deprehendi; ſapor enim & odor multo levior erat, & gallarum mixtura lente cyaneum, tandem atro-purpureum, ciebat colorem.

Quæ cum ita ſint, balneum noſtrum Polzinenſe in omnibus morbis, in quibus memorata balnea ab aliis celebrantur, uſus omnino eſt præſtantioris atque effectus præſentioris, quem & ipſi advenæ, qui modo dictis balneis quondam uſi ſunt, in no-

noſtro ſæpius perceptum libere profeſſi ſunt. Inſignis autem utilitatis eſt primo in externis corporis vitiis atque afflictionibus, ut contracturis, ariduris partium, a cauſa interna aut externa ortis, paralyſi, ſcorbuticis doloribus, podagra eiusque ſociis, tam præſervandis, quam retropulſis revocandis, quibus afflictos nunquam fere exoptato effectu deſtituit; notabile enim de his eſt, quod, ſi novitii per unum alterumve annum, præmiſſa & ſubiuncta corporis decenti præparatione, ſoſpitalis huius aquæ lavacrum præſervandi cauſa ſubeunt, languidis artubus non tantum illico priſtinum vigorem reſtituant, ſed &, niſi per omne, bene multum tamen vitæ tempus a diro malo immunes degant; veterani contra longe mitiores inſultus, ac non adeo crebro tolerent, quoties balneum hoc ſunt ingreſſi. Deinde in morbis chronicis, qui ex atonia viſcerum & generis nervoſi infirmitate natales ducunt, ut malo hypochondriaco, hyſterico, cachectico & œdematoſo corporis ſtatu, paſſionibus hæmorrhoidalibus, potiſſimum in ſuppreſſis, quas ſæpius reſtituit, hæmorrhoidibus, tam egregiam tamque cito, tuto ac iucunde fert opem, quanta ab internis ſolum remediis raro exſpectanda, nedum brevi obtinenda; ut adeo potiori, quam *Ioh. Frid.* Henckelii Lauchſtadienſe balneum, iure *Bethesda portuoſa* noſtrum poſſit vocari. Præterea in ophthalmia ſeroſa, eaque inveterata, ſabulum e fontis fundo hauſtum, parumper calefactum atque linteo involutum, oculisque applicatum, præpollet effectu exoptatiſſimo. Ne vero in extollendis huius balnei virtutibus in adulationis aut lucri forſan inde captandi ſuſpicionem incidam, multiplici experientia edoctus una cum attentis, qui balnea huius indolis frequentant, Medicis affirmo, quod in morbis chronicis plurimis, potiſſimum generis nervoſi affectibus, non, niſi decenti balneorum eiusmodi uſu, integra & durabilis reparari poſſit valetudo.

Soſpi-

Sospitalis noſtri balnei modus operandi, e quo facilis conceptu eſt effectus eius præſtantiſſimus, in eo conſiſtit, quod ſtrictas ac exſuccas partes relaxando, laxas & enervatas roborando, humorum circulum per omnes corporis partes æqualem præſtando & promovendo, eo ipſo autem lentos & ſtagnantes humores in eundem circulum cum reliquis adigendo atque ſe- & excretiones omnes adiuuando, potiſſimum agat; qui laudatus effectus non in externis modo eſt corporis partibus, ſed ad ipſa quoque viſcera penetrat, quæ recenſitorum malorum ſedem conſtituunt. Quantis enim viribus in totum corpus agat balneum noſtrum, nunquam non experiuntur ii, qui, alias valentes & robuſti animi, forte otii conſumendi cauſa, bis in die balneum ingrediuntur, & tantum inde artuum languorem, quantum gravi labore fracti, aliquantiſper ſentiunt. E quibus operationibus, utpote quæ balnei noſtri elementis reſpondent, finis a perito Medico obtineri poteſt cuivis morbo aptiſſimus atque ægris deſideratiſſimus. Non ſilentio tamen prætereundum eſt, quod hic, ut in aliorum balneorum, aut aquarum medicatarum uſu, medicinæ cuilibet morbo convenienti locus utplurimum ſit commodus, ac eadem præparato, ut decet, corpore ſimul in auxilium ſæpius vocetur, at illa nunquam ſola tantum præſtet, quantum balnei cauto & neceſſario uſu adiuta.

Obſervatio X.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Superfœtatio.

Fœmina honeſta, vicinæ urbis incola, triginta circiter annorum, ſanguinei temperamenti & habitus corporis ſpongioſi, cum tertia vice uterum moleſte admodum ferret, con-

gruo tempore, sed multo cum labore, enixa est filiolam vitalem: nihilominus dolores partus urgebant atque abdomen solito more minus collapsum deprehendebat obstetrix, licet secundinæ infantis nati integræ prodierint. Tumor in utero, vel externo tactu sese manifestans, ob dolores perseverantes molæ residuæ suspicionem haud levem in adstantibus concitabat; verum elapsis multis horis, sub continuantibus partus doloribus, alter fœtus, suis ipsius involucris investitus, cum placentula ad omnium stuporem in lucem emittebatur, qui trium vel quatuor circiter mensium, flaccidus & vita paulo ante orbatus videbatur. Puerpera non nisi ex largiori lochiorum fluxu iacturam virium solito maiorem patiebatur.

SCHOLION.

Raro rariora utique sunt superfœtationum exempla, in quibus tantum non omnibus colligendis gratum cuilibet otium fecit *Georgius Franck de* FRANCKENAV, in *Satyr. med.* 13. Quo abstrusius autem est generationis negotium, eo difficilior conceptu atque explicatu est superfœtationis casus. Ideo non pauci dantur Medici, nec infimi subsellii, qui veram superfœtationem in dubium vocare aut prorsus negare multis ex rationibus malunt. Conf. FRANCKENAV l. c. & ZACCHIAS *in Quæst. med. leg. Lib. I. Tit. 3. Quæst. 3. & 4.* Est utique contra solemnes naturæ leges miraculum quoddam, de quo tamen Autorum probatissimorum fide certo constat, ideoque non est, de quo prorsus diffidamus, ut pluribus docuit modo laudatus FRANCKENAV. Ab eorum tamen partibus stare haud ambigo, qui perhibent, multa superfœtationis notata exempla non esse revera talia, sed gemellorum, quorum alter præpollens alteri plus æquo alimenti materni subtraxit, atque hunc, ut incremento, ita & viribus spoliavit, ut, validiore in lucem edito, imbecillior moram quandam in utero nectere coga-

cogatur, teſte HAGENDORNIO in *Obſ. med. Cent. 3. Hiſt. 4.* Si itaque paucis horis vel aliquot diebus interiectis duo partus fœtuum, corporis robore modo leviter differentium, contingunt, ac vitales ſunt, nullus eſt dubitandi locus, quin gemelli ſint uno eodemque tempore concepti quidem, ſed qui unam eandemque nutrimenti copiam non obtinuerunt; licet & hi quandoque aliquot dierum periodo diverſum habere poſſint conceptionis momentum, ſi quando vera datur ſuperfœtatio. Noſtro in caſu autem veram adfuiſſe ſuperfœtationem, fidem facit omnem fœtus partu ſecundus, utpote qui magnitudine & robore partium adeo diſtinctus a primo fuit, ut nullo modo coætaneus & gemellus fuerit habendus. Quod perfectus & vitalis fœtus inſtante partu vel in eo ipſo alterum multo debiliorem occiderit, eiusque præmaturum partum procuraverit, argumento eſt huius immunitas ab omni corruptionis labe, qua alias & matrem & contubernalem in maius diſcrimen adduxiſſet. Mirum omnino & modus fiendi conceptu difficilis eſt, qui elapſo non aliquot modo dierum, ſed & menſium ſpatio nova, eaque ſecunda, conceptio contingere poſſit, dum uterus fœcundo ſemine irrigatus mox claudit internum orificium, ac, embryone iam formato, vix locum concedere poteſt novaturienti ſemini, ut ei neque porta, neque facilis via pateat. Cum vero de veritate facti certo conſtet, ea non eſt ex opinionibus, ſed ex ipſo facto diiudicanda & rationes inde depromendæ ſunt; ideo in eandem cum *Franco de* FRANCKENAV l. c. ire placet ſententiam, quod nempe os uteri internum poſt conceptionem non adeo coarctetur, quin novo concubitu referari & quibusdam in caſibus priori conceptioni nova aut altera ſuccedere poſſit. Ad ſuperfœtationem autem efficiendam non ſemper tantum mares, quantum fœminas, conferre, experientia mihi eſt perſuaſum; nam aliquot mihi notæ ſunt fœminæ, quæ gemellos peperunt, quarum mariti ſuccis, corpore & viribus, ut & in noſtro

caſu, minus valentes, attamen omni iure veri patres habendi; omnes vero & ſingulæ hæ coniuges ſunt ſanguineæ, ſuccu-lentæ atque in optimo ætatis flore conſtitutæ: hinc ex magna gravidarum ſalacitate uterum denuo reſerari & hac ratione duplicem diverſo coitus tempore conceptionem fieri poſſe, cum SENNERTO & ZACCHIA l. c. non adeo impoſſibile mihi videtur. ARISTOTELES in *Hiſtor. animal. Lib. VII. cap. 4.* circa finem ait: *Mulier & equa omnium maxime animalium gravidæ coitum patiuntur: cœtera, ubi gravida fuerint, fugiunt mares, ea ſcilicet, quorum natura ſuperfœtare more leporis recuſat; verum equa nunquam ſuperfœtat, ſed magna ex parte unum tantummodo generat. At vero in muliere raro quidem evenit, ut ſuperfœtet, ſed factum tamen aliquando eſt.* In ſequentibus modum ſuperfœtationis & partum ideo duplicem idem delineat noſtro caſui ſimillimum. De equa ſuperfœtante memorabile exemplum annotavit RIEDLINVS in *Lin. med. Ann. I. menſ. Iul. Lin. 25*, ubi equa ex omnium opinione gemellos edidit, alterum vitalem atque etiam tunc ſanum, alterum imbecillem admodum, mollem & ſtatim poſt partum exſtinctum, quem ſtabuli Bavarici præfectus ex inſpecto libro, in quo tempus admiſſionis equarum notatum, ſuperfœtatum cognovit, dum equa intra ſex hebdomadum ſpatium bis marem admiſerit. Cum igitur in animalibus quadrupedibus, quæ gravida coitum amant, ſuperfœtatio obſervetur frequentior, non eſt, de quo in humano genere prorſus dubitaremus, quamvis ex multis rationibus, quarum præcipue traditæ ſupra ſunt, raro rarius contingat. Nonne contra naturæ leges datur quandoque conceptio tubaria? Sed omnem fere fidem ſuperat fœtum pariens fœtus recenter excluſus, cuius miraculi autor eſt *Gabr.* CLAVDERVS in BONETI *Medic. Septentr. Part. 2. in analect. p. 996.* Cuius ſexus noſter fuerit ſuperfœtatus fœtus, ob incuriam obſtetricis, clanculum iuſſu patris eum ſepelientis, haud potui comperire.

Obſer-

Obſervatio XI.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Partus continuo numeroſus.

Inter ſpectabiliſſima & digna, quæ ab oblivione vindicentur, naturæ opera non omnino infimum eſt, quod anno 1728. in Pomerania noſtra ulteriore evenit, ubi in pago *Kruckenbeck* dicto, qui ad *Kerſtinum*, feudum & domum natalem pie defuncti S. R. I. Comitis *de* MANTEVFFEL, pertinet, ruſtica, nomine *Sophia Bunnen*, *Martini* LOHCKII coniux, primis matrimonii duobus cum dimidio annis exactis, undecim liberos terno partu edidit, & primum quidem die 4. Septembr. dicti anni quater geminos, ante partum modo mortuos, ac ſequentis anni die 20. Mart. ter geminas filias, easque viventes & ſacro baptiſmate purgatas, enixa, non ita multo poſt quater geminos abortu perdidit. E vivis natis nulli diuturna fuit lucis uſura; verum, qui illos ſubſecuti ſunt ſingulo partu, tres liberi etiamnunc vivis annumerantur omnes. Priores quater geminos, magnitudine æquales & fœtui ſeptimeſtri æquiparandos, Paſtor illius loci, rerum naturalium curioſiſſimus, b. M. WAGENSEILIVS, in ſpiritu vini poſteritati conſecravit inter alia, quæ multo ſtudio collegerat, curioſa naturalia æque, ac artificialia.

SCHOLION.

Non prorſus inaudita, ſed modo rariora, ſunt exempla ter & quater geminorum, rariſſima plurium, quos octo ſimul editos recenſet *P.* BORELLVS, in *Obſ. Cent. II. Obſ. 44.* & RHODIVS in *Obſ. Cent. III. Obſ. 56.* qui præter SCHENCKIVM in *Obſ. Lib. IV. Obſ. 162.* multus eſt in colligendis partus multiplicis exemplis. Similem fere noſtro caſum quater gemi-

norum annotavit HAGENDORNIVS in *Obſ. Cent. III. Hiſt. 8.* & notabile ibidem, quod bini eorum, annum ætatis ſextum iam agentes, integra uſi ſint valetudine, eo, quod quidam horum rarius aliquot dierum, nedum annorum vita fungi ſoleant, ut & in noſtro caſu contigit. Ter geminos a matre lactatos & ultra annum viventes producit RIEDLINVS in *Lin. med. Ann. 6. menſ. Sept. Lin. 15.* Verum raro rarius eſt partus, qualis noſter fuit, continuo & ter quidem numeroſus, cuius pauca ſuperius memoratis obſervationum collectoribus vel nulla conſtant exempla. Quæ cum nihilominus ſint, partus hicce præter ſolemnes naturæ leges numeroſior, haud omnino leve argumentum conferre videtur ad confirmandam veræ quandoque ſuperfœtationis exiſtentiam; etenim, ſi conceptionis modum aliquando excedere & ſolito plures fœtus ſimul in utero materno alere naturæ integrum eſt, quidni prægreſſæ conceptioni aliam in quibusdam caſibus ſimul addere & conceptionis tempore aliquando ludere eidem liceat, ſuffragium ferente experientia?

Obſervatio XII.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Partus ſeptimeſtris vitalis.

Hic Treptoæ ad Regam coniux pudica ſeptimo a celebratis nuptiis vix elapſo menſe pariebat filiolum, eumque vitalem, qui, cum ſacro baptiſmate eum cito initiandum, ob imbecillitatem, mater curaret, Clero ſuſpicionem anticipati parentum concubitus, pœna tum uſitata notandi, haud levem iniiciebat: verum, inſtituta recens nati inſpectione, is deprehendebatur corpore admodum parvo, tenero & molli, manibus ſurſum ad faciem applicatis, pedibusque retractis eundem, ac in utero materno, ſitum cum oculis clauſis perpe-

tuo

tuo ſervans, nec vocem edens, nec ſtercora reddens atque in capitis cute pilis carens, ita, ut concepta ſuſpicio protinus evaneſceret. Tenellus admodum natus, mammis admotus, ne quidem papillam ore capere, multo minus ſugere valebat; hinc, neceſſitate urgente, mater ſollicita quotidie lactis vaccini, recens mulcti, aliquot parva cochlearia tepide ori, quod ipſa aperiebat, ingerebat, quo natus vitam aleret. Primo vix parum lactis deglutiebat, verum repetito ſæpius experimento tandem illud capiebat, huic nutricationis modo adſuefactus, ſed magis mutus, quam piſcis. Mater hyberno, quo pepererat, tempore diu in ſinu, noctu poſt fornacem inter lateres calidos pannis laneis involutum natum fovebat: peracto puerperio œconomiæ ſtudioſa eundem interdiu ſine ulla moleſtia intra mammas geſtabat. In hoc ſtatu perſeverabat infantulus præmaturus eo uſque, dum nonum vivendo fere compleverat menſem geſtationis, quo teneram vocem, levemque & crebriorem artuum motum edebat, atque alvo & veſica excrementa egerente uberiori tunc alimento inhiabat. Verum, licet vel ſex annorum eſſet, infantulus animo & corpore manebat, nec ſolus pedibus inſiſtere atque ambulare valebat, humi tantummodo ſerpens; crura enim ipſi erant admodum vara &, cum ſtare geſtiret, ſibi invicem ſuppoſita; infimorum pedum articuli laxi & plus æquo mobiles in alterutram partem nutabant, corpori ferendo impares, atque urinam & feces alvi præter voluntatem mittens, ut corporis, ita & animi viribus carere videbatur. Duodecimo tandem ætatis anno transacto multam navabat operam, quo grallis ſuffultus incedere, & vix quidem, diſceret: denique plurium annorum beneficio vigeſimo anno proximus unius baculi ope ambulabat, verum infirmo atque deformi pede, dum in inceſſu alterum pedem alteri e transverſo præponit. Iam vigeſimum quintum ætatis annum ſuperans ſolus quidem,

ſed

sed etiamnunc genubus curvis ex transverso incedit, imberbis & corpore admodum tener, magnitudine puerulo æquiparandus.

SCHOLION.

Casus hic, non adeo frequenter obvius, in gratiam Medicorum & ICtorum curatiori studio annotandus, eo, quod in praxi medico-forensi sæpius utrique, plurimum tamen ICti, graviter hallucinantur, ac in speciosum matrimonii favorem omnem fere partum septimestrem, quandoque simulatum & furtivum, non modo pro vitali, sed & pro iusto ac legitimo declarare nulli dubitant, ad effatum HIPPOCRATIS & ARISTOTELIS ceu ad oraculum provocantes. Sed quam graviter fallant & fallantur, optime & solide docuit BOHNIVS *de Offic. Med. dupl. cap. 5. pag. 617. sq.* quod scilicet hic, ut in pluribus casibus, plerumque a particulari ad universale aut individualiter tantum argumententur. Quod HIPPOCRATIS autoritas de partus humani & vitalis terminis admodum fallax sit, apparet ex eius genuino Libro *de Partu septimestri Sect. 2. n. 39. seq.* dum ait: *Porro mulieribus de partubus fidem derogare non oportet, dicunt enim &c.* Hinc, nimia in mulieres fiducia & credulitate deceptus, partum septimo, nono, decimo atque undecimo gestationis mense vitalem, sed octavo minime talem nasci posse pronunciat. HIPPOCRATIS auctoritate sine dubio occœcatus in eandem ivit sententiam ARISTOTELES l. c. & de *Generatione animalium Lib. IV. cap. 4.* incertum plane partus humani terminum perhibens, cum tamen, experientia teste, naturalis terminus humani partus æque, ac numerus, certo certior sit, nisi a particulari ad universale argumentari velimus.

Quam frivole & temere autem sæpius partus septimestris pro revera tali & legitimo habeatur & declaretur, suo iam

ævo

ævo teſtatus eſt *F.* FIDELIS, de *Relation. Med.* Lib. 3. Sect. 7. cap. 6. *Si*, inquiens, *qui partus ita prodit in lucem, iuſtæ magnitudinis, nec adeo imbecillus fuerit, hunc mihi ante ſeptimum menſem natum fuiſſe, nemo perſuadebit: quando, & qui etiam ſeptimo naſcuntur, imbecillos prodire ſatis conſtat.* Paulo infra fœtum ſeptimeſtrem exiguo & quaſi imperfecto corpore editum idem deſcribit, cuius evidentia ſigna, noſtro apprime conformia, omnium optime tradidit magno iudicii acumine pollens BOHNIVS l. c. *pag. 619.* ut & Celeberrimus HEBENSTREIT in *Anthropolog. forenſ. Sect. II. Cap. II.* prorſus aliena vero atque inſufficientia BORELLVS *Cent. I. Obſ. 71.* HIPPOCRATES l. c. *Sect. I.* docet, plurimos ex partubus ſeptimeſtribus perire; & paulo infra ait: *Sunt autem ex his ſeptimeſtribus, qui etiam ſuperſtites manent, ex multis pauci.* Ratio, quam præter alias nullius fere valoris venerandus ille ſenex atque ipſa experientia ſuggerit, eſt imperfecta & nimis tenera corporis conſtitutio, quam noſter ſeptimeſtris omnibus modis ſatis ſuperque in hunc usque diem monſtravit. Admiratione & notatu quam maxime dignum eſt, quod noſter ſeptimeſtris conſuetis naturæ legibus adeo adſtrictus vixerit, ut eundem, ac in utero, ſitum membrorum, quin excretiones naturales ad nonum uſque menſem retinuerit, licet lacte per os ingeſto æque, ac reſpirando vitam ſuſtentaverit miſeram, id quod non niſi nimiæ fibrarum debilitati & laxitati tribuendum cenſeo. Inde autem pariter ſat prægnans argumentum petendum eſſe duco, quod certus & naturalis terminus partus humani ſit nonus menſis, atque hanc ob rationem ex ſeptimeſtribus pauciores ſint ſuperſtites. Notabile inſuper eſt, quod mater recens nato admodum tenero eandem curam & cultum præſtiterit, quem de partu ſeptimeſtri refert ARISTOTELES *l. c. lit. f.* Quod noſter ſero nimis vires eundi acquiſiverit, & partui eius præmaturo, coniunctæque debilitati partium & atrophicæ cuidam, quam e victu contra-

xerat, corporis constitutioni tribuendum erat, utpote quæ extremos artus ea, qua opus est, nutritione privabat, eosque deformiores atque inceſſui ineptiores reddebat. Cum autem intempestivi atque imperfecti partus signa non in teneræ modo, sed & adultæ ætatis annis manifesta atque conspicua sint, mirum, quod Facultas Medica Lipsiensis Ann. 1628. interrogata: An partus, annum iam vivendo transigens, septimestris aut octimestris etiamnunc dignosci possit? negaverit, teste eodem BOHNIO loc. iam cit. Novi virum iam quinquagenarium, qui partus est septimestris, animo quidem multum valentem, sed corpore admodum tenero, parvo atque imbecilli præditum, ita, ut ex eo non solum colligi possit, sed & ex instituta cum germano fratre comparatione liquido appareat partus eius præmaturus. Par ratio est cum virgine nobili, septimo mense nata, iam XVI. annorum, sed puellæ XII. annorum æquiparanda. Erroris itaque aut vanæ credulitatis accusandus videtur PRIMEROSIVS *de Vulgi erroribus*, quando *Lib. II. cap. 19.* affirmat: *Vidi varios, qui mense septimo nati dicebantur, eosque non infirmos sed alacres & robustos.*

Observatio XIII.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Terminus parturiendi gravidis utplurimum certus.

Incerta quidem est partus conditio pluribus, docente PECHLINO *Lib. I. Obs. 26.* ut & fallacia graviditatis signa Medicis æque facile, ac mulieribus expertis quandoque imponunt; verum non adeo & semper incertus partus terminus, uti multis cum PLINIO & PRIMEROSIO l. c. sine ratione sufficiente persuasum est. Plurimæ fœminarum graviditatis initium, conceptionem, supputant a retentione menstrui fluxus; sed cum idem

idem primo aut altero menſe, licet parcior, redeat, calculi huius rationes haud raro fallunt minus expertas atque incurioſas, ita, ut ne harum quidem conteſtationi & relationi fides ſemper a prudenti & conſcientioſo Medico ſit habenda, notante RIEDLINO *Ann. I. menſe Apr. Lin. 10.* Nec raro falluntur fœminæ eo, quod non eadem, quæ quondam, conceptionis ſentiant ſigna atque incommoda, in ſingulo graviditatis ſtatu utplurimum variantia, ut ideo, a quo tempore rationem ducant, dubiæ ſint. Silentio præteribo eas, quæ nonnunquam per dimidium vel totum geſtationis tempus menſtruorum fluxum plus minusve parciorem experiuntur, atque ideo de graviditate ne per ſomnium quidem cogitant. Rariſſimæ ſunt eæ, quibus conceptio ſine menſium fluxu, & partus ſine lochiis ex omni voto contigit, de quibus vid. RHODIVS *Cent. III. Obſ. 54.* item mulier, quæ nunquam paſſa eſt menſes, niſi gravida, de qua *Ephemer. N. C. Dec. I. Ann. III. Obſ. 348.* Sermo & locus hic tantummodo eſt de iis, quæ ordinariis & conſuetis naturæ legibus concipiunt, ſanæ, nec ex ſtatu quodam morboſo ſanitatis aut graviditatis offenſam paſſæ. De his & ego & mulieres, quæ a me edoctæ ſunt, nunquam fere non obſervarunt, quod partus terminus naturalis inciderit in eosdem dies, quibus menſium fluxus fuit ſolemnis, atque ultimo aut prorſus emanſit, aut ſolito parcior apparuit. Hinc iunioribus, quæ menſes circa novilunium utplurimum fluentes habuerunt, partus ſemper fere aut imminente, aut in ipſo novilunio contigit nono geſtationis menſe, interdum dimidio decimi completo. Adultiores, quarum plurimæ circa plenilunium utero purgantur, parientes idem ipſo cum plenilunio ſunt expertæ. Quæ computatio raro exceſſit integrum decimum graviditatis menſem, niſi iis in caſibus, quibus fœminæ aut morboſæ, aut a fine noviſſimi fluxus menſium iam gravidas ſeſe factas eſſe æſtimantes, æquo citius computum inceperunt. Hoc de futuri partus termino

prognosticon raro me destituit, nisi variis ex causis accidentalibus partus acceleratus vel retardatus fuerit, sed potius eventus utplurimum respondit.

Cum hac occasione consuetam mensium periodum e mulieribus gravidis explorandi sæpius copia mihi facta fuerit, tantum non in omnibus, pro ætatis ipsarum ratione, supra commemoratam comperi, ut fidem fere indubiam faciat illius Poëtæ dogmati: *Luna vetus vetulas, iuvenes nova luna repurgat.* Idem de partus termino prognosticon, utplurimum experientia confirmatum, annotavit ETTMÜLLERVS in *Operibus,* ac ulteriori observationi commendavit. Aliæ, earumque plurimæ, mulieres a motu fœtus, primum in utero percepto, dimidium gestationis computare solent; verum quam facile & hoc signum variis ex causis haud raro imponat, testis est experientia, cum motus embryonis & matris & sui ipsius robori debeatur, mater autem nonnunquam, inprimis valetudinaria, spasmodico-flatulentos in abdomine motus sentiat, quos præposterе fœtui tribuit. Et licet hæc gestationis computatio expertas atque attentas mulieres non fallat, experiere tamen plures, partus terminum non exactius illi gestationis dimidio, quam potius ipsis familiari menstruæ purgationis periodo respondisse. Rationem huius termini explicaturus non a vero aberravero, si illam ex ipsis solemnibus naturæ legibus petitam trado, quibus ea in quamplurimis fœminarum circa lunæ phases sanguinem mittit menstruum, aut retentum medicamentis sollicitata restituit. Hinc si fœtu iam formato & maturo humores vitales in gravida partui proxima redundant, atque in vasis uteri ad summum fere gradum dilatatis stagnant, orgasmo, qui naturæ solemnis est, circa periodum menstruam suborto, illi præter alias, in fœtus maturi mole & motu reperiundas rationes, uteri fibras nervoso-musculares ad spasticas stricturas irritant, adeoque eo ipso causam partus maturi æque, ac in aliis casibus abortus, subministrant. Sed

ut

ut effato SENECAE natura sui iuris, nec ad leges humanas componitur, aut semper ex formula respondet, modo properat, modo præcurrit, modo lenta & remoratur; ita eam quandoque in partus non minus, ac mensium periodo observanda ludere vel prorsus aberrare comperimus: nihilominus tamen & in physicis, & in medicis, regula ex eo, quod utplurimum fit, deprompta, constantem tuetur valorem.

Observatio XIV.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Optima iteratos abortus præcavendi remedia.

Mulier omnem morbum, ob uterum, bis patitur. Et sane, si ullus, graviditatis status a principio usque ad finem plurimarum afflictionum ferax, nec periculi sæpius geminati expers. Coniuges procreandæ sobolis studiosos nonnunquam spes iam de eo concepta plus vice simplici fallit, quin abortu iterum iterumque repetito sollicitos prorsus destituit. Plurimos & quidem priores, qui contingunt, abortus tertio gestationis mense accidere semper fere experimur, & si eorum, præsertim ex internis causis ortorum, terminum paulo curatius attendimus, eum cum consueta alias menstrui fluxus periodo utplurimum ingruere observatur, idem annotantibus RIVERIO *Cent. I. Obs. 53.* & *Frid.* HOFFMANNO in *Med. System. Cap. de abortu §. 3.* Innotuit mihi generosa quædam matrona, quæ, ter quaterve continuo abortum tertio semper graviditatis mense passa, variis probatissimisque remediis, sed incassum, utebatur, subsequentibus denuo duobus abortubus: tandem ex consilio Medici V. Snem, sero nimis dilatam hucusque, altero graviditatis mense iam exeunte instituendam in brachio curavit; verum nec hoc probatæ fidei remedio immunis præstabatur a duobus succedentibus abortubus, ita,

ut omnem prolis suæ unquam vitalis spem atque animum abiiceret, succis & viribus exhausta. In consilium adhibitus alter Medicus in causam tot continuo subsecutorum abortuum, oppositis licet optimis præservandi remediis, attentius inquirebat, eamque non nisi summam uteri fœcundi atoniam esse optimo omine inde colligebat, quod gravida vel ex levi corporis motu dolores lumborum atroces, abortus imminentis prodromos, sentiret, & circa finem secundi, vel utplurimum medium tertii mensis, cum sanguine prorumpente fœtum perderet. Hinc idem autor suasorque fuit, ut ipsa, simulac de graviditatis statu certior esset, lectum peteret & corpus admodum debile quieti per plurimos gestationis menses traderet, multo, quo fieri posset, studio omnem & levem corporis motum omittens, tertio autem quovis mense ineunte sanguinem e brachii vena modicum mitteret, ac, quæcunque sanguinis orgasmum ciere possent, fugeret. Cui denique consilio obtemperans, læta duarum, etiamnunc viventium, filiarum mater bino puerperio facta quidem est, sed sanitatis, ex octo abortuum calamitatibus continuo perpessis labefactatæ, iacturam nunquam reparare valuit, multis pathematibus hypochondriaco-hystericis perpetuo afflicta.

Scholion.

Notabilis est hic casus eo, quod liquido doceat, non tantum plethoram semper, quantum uteri atoniam ad frequentiores abortus conferre, atque ideo V. Snem, eamque repetitam, neque fidum, neque unicum semper esse abortum præservandi remedium, ut multis persuasum est. Solam enim uteri atoniam nostro in casu causam toties iterati abortus extitisse, vel inde liquet, quod nostra ultimo gravida fere exsucca fuerit, & quoties aut obambulando, aut vecta curru, paulisper motum corporis susciperet omnium opinione minime culpandum, toties

ties abortus prodromos, ipſumque abortum experta ſit. Irrita igitur fuerunt remedia omnia, quæ modo quantitatem humorum & motum temperando egerunt, nec proximam abortuum cauſam ſubmoverunt; ob tonum enim vaſorum & fibrarum muſcularium uteri deſtructum & languidum, ſanguis ac reliqui humores, tardo atque impeditiori progreſſu ibidem circulum abſolventes, & ſub motu corporis debilitati, in maiori copia illuc delati, ſtagnationem, dolorum in lumbari regione cauſam, ſubierunt, atque ideo vaſa diſtendendo uteri fibras ad ſpaſticas criſpaturas æque, ac ipſa vaſa eiusdem minima, cum embryonis placentula continua, ad rupturam ſollicitarunt, unde facilis & frequens abortuum origo. Conſilium itaque fuit optimum, ut noſtra gravida primis potiſſimum menſibus omnem, quoad fieri poſſet, in erecto corporis ſitu motum vitaret, eoque præcaveret, ne humores in laxa uteri compage accumularentur atque ad ſtagnationem ſubeundam diſponerentur. Inde autem duo momenta in uſum practicum ſunt annotanda: primo qualem utero poſt frequentiores abortus curationem, iterumque gravidæ mulieri vitæ & regiminis rationem inſtituendam debeamus; dein quam facile peccare poſſint artifices, qui nimium ſpei atque auxilii in largiori, eaque repetita, gravidarum V. Sne collocant, ideoque deſtructo viſcerum tono easdem leviori quandoque ex cauſa ad abortiendum diſponunt, quo fundamento nititur atque explicandus eſt Hippocratis Aphoriſm. 31. Sect. V. *Mulier uterum gerens ſecta vena abortit, eo magis, ſi maior fuerit fœtus.* Id quod notabili caſu illuſtrat Riedlinvs *Lin. med. Ann.* 2. *menſ. Apr. Lin.* 14.

Obſer-

Obſervatio XV.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Largior & repetita in gravidis Venæſectio infantum imbecillium cauſa.

Inter indicantia, quæ Venæſectionis uſum exigunt, principem tenet locum plethora, gravidasque plethoricis iure eſſe annumerandas, nullus eſt, qui dubitet. Sed cum non omnis plethora ſit moleſta & morboſa, dantur gravidæ, & quidem e plebe quam plurimæ, quæ nunquam ſanguinem mittunt, at nihilominus lætum ſubeunt puerperium, earumque infantes, quos pariunt, corpore robuſto ac obeſo, facie bene colorata & vivida præditi obſervantur. E contrario eadem curatius inſtituta obſervatione pluries compertum eſt, gravidas, quæ aut moris iam recepti, aut advérſæ valetudinis cauſa venam plus vice ſimplici ſecandam curarunt, liberos edere parvulos, teneros nimis, imbecilles & pallidæ, utplurimum, faciei, variisque morboſis adflictionibus & gravius & frequentius obnoxios, quorum plurimi primis infantiæ annis fatis cedunt. Nec matrum plus minusve robuſtas corporum conſtitutiones in culpa horum natura differentium liberorum ſolummodo eſſe, vel inde patet, quod eædem, quibus Venæſectio minus curæ eſt, licet ſint corporis gracilioris ac infirmioris, tamen carnoſi & plenioris habitus, incremento æque, ac magnitudine corporis reliquos ſuæ ætatis ſuperantes liberos; aliæ contra, corpore maiores & robuſtiores, V. Sni autem crebriori aſſuetæ, parvulos, debiles & pallidos utplurimum pariant. Non immerito igitur largior atque aliquoties more tantum recepto & ſine ratione prægnante repetita in gravidis miſſio ſanguinis accuſanda eſt imbecillioris plurium infantum naturæ; id quod pariter confirmant ſuo exemplo feminæ, quæ gravidæ quacunque ex cauſa hæmorrhagiam

rhagiam V. Sne tempeſtiva cohibitam, aut ſolito diutius menſium fluxum paſſæ, ut & frequentiori abortu quondam enervatæ liberos maturo quidem partu, ſed debiles & prioribus editis teneriores enituntur. Idem iam probe mecum annotarunt RIVERIVS *Cent. I. Obſ. 53.* de fœmina, cui ob conſueti abortus imminens periculum ſingulo menſe, & quidem ſepties, vena ſecta eſt, & quæ filium in fine noni menſis peperit bene habitum atque vitalem, ſed pallidiuſculum; ut & HAGENDORNIVS in *Obſ. Cent. II. Hiſt. 94.* de fœmina per totum geſtationis tempus menſtruata, & filiolam quidem vitalem, ſed puſillæ ſtaturæ & virium exiguarum enixa. Ratio huius eventus in aprico & promtu eſt; cum enim fœtus non niſi ex ſanguine materno incrementum & robur capiat, non poteſt non ex illo nimium per V. Snes aut excretiones naturales profuſo decrementum nutrimenti & virium pati, quod & ipſæ ſuo corpore teſtantur gravidæ pluriumque liberorum matres, quæ quondam obeſæ & vivaces iam marceſcunt & langueſcunt præter ætatis rationem. Quantum quoque ſanguinis miſſio crebrior & largior, aut modo intempeſtiva, ad deſtruendum viſcerum tonum faciat, attenti practici haud raro animadvertunt iis in caſibus, in quibus, urgente ſpaſmorum hypochondriaco-hyſtericorum ferocia, ſanguinis miſſio ad levandum graviorem paroxyſmum uſitatum quidem, ſed ipſis ægris infidum eſt remedium, dum magis inde labefactato partium tono ii plerumque citius & gravius in eundem vel alium periculi pleniorem morbum recidunt, potiſſimum valetudinis integræ reſtituendæ minus ſtudioſi, uti hydropem inde metuendum eſſe monet *Rich.* MEAD, in *Monitis & præcept. med. Cap. V. de aſthmate.* Immo nec deſunt alii teſtes, qui, etiamſi plethorici & V. Sni adſueti, ex modica tantum ſanguinis profuſione ventriculum mox rebellem appetitumque proſtratum ſentiunt, quorum aliquot notabiles caſus memoriæ prodidit RIEDLINVS *Lin. med. Ann. II. menſ. Ian. & Maio, Lin. 13.*

& gravidas omni iure plethoricas, tuto V. Snem omittere poſſe, idem autor cum *Stalpartio van der* WIEL teſtatur *Ann. IV. menſ. Mart. Lin. 10.* Cautius itaque cum ſanguine humano mercandum, neque is temere, neque timide eſt mittendus.

Obſervatio XVI.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Cura recens natorum corporis & animi formatrix.

Mores animi temperamentum corporis ſequi, experientiæ ac HIPPOCRATIS teſtimonio conſtat. Hinc parentibus id quam maxime curæ cordique eſſe deberet, ut liberis ſuis mens ſana ſit in corpore ſano. Sed quam incurie cum iisdem recens natis, matres potiſſimum, agant, omnis dies docet. Ere itaque fore exiſtimo, ſi quosdam hic notarem errores, quotidiano more commiſſos, eosque tantos, ut corporis æque, ac animi vires atterant, niſi prorſus exſtinguant in tenellis. Primus & princeps, qui a parentibus haud raro committitur, error occurrit in lactatione, cuius officium aut matres ipſæ, diætæ ac animi affectuum intemperantia indies peccantes, ſuſcipiunt, aut tædio lactationis ductæ meretricibus concredunt, vix ulla ſanitatis aut morum ratione habita, ut inde tenelli primis ætatis menſibus non raro valetudinis, ni mortis, ſubeant diſcrimen, vel, hoc forte ſuperantes, cum ipſo lacte corrupto nutricum mores & vitia, vix educatione aliquando emendanda, imbibant. Notæ mihi ſunt aliquot familiæ liberis numeroſæ, in quorum fere ſingulos nutricum, quibus uſi ſunt, virtutes, mores & vitia corporis propagata fuerunt ex ipſorum parentum confeſſione, qui inſimul, quod quidam illorum ſumme obſtinati animi & prorſus degeneres ſint, cum

qua-

quadam admiratione conqueſti ſunt, cum tamen omnibus una eademque ſit vitæ origo, inſtitutio & diſciplina. Nec levem pariter corporis ac animi labem infantuli inde contrahunt, ſi matres & gravidæ & lactantes, vel nutrices, inebriantium & ſpirituoſorum potuum uſu nimis delectantur, utpote qui, ut temporis mora adultorum, ita promtius tenellorum corpora atque ingenia adeo deſtruit, ac hebetat, ut illi infantibus ſimiles perpetuo ſtupore torpeant, hi vero corpore teneriores, infirmiores, animoque ſtupidi evadant & variis adflictionibus crebro detenti periclitentur. Comperta habeo aliquot huius argumenti exempla, e quibus unum inprimis notatu maxime dignum eſt, de uxore quadam bibula atque optimarum aquarum vitæ amantiſſima, fœcunda plurium liberorum matre, cuius ſeptem, & plurimi quidem ex dentitione vel aliis morbis orta epilepſia, paucas intra horas vitam cum morte commutarunt; duo ſuperſtites vero ſunt corporis teneri ac præter ætatis rationem imbecilliores, licet parentibus ſit diſpar corporis conditio atque omnes liberi nutricum optimæ notæ lac ſuxerint. Cuius ſpirituoſi potus crebriorem in adultioribus infantibus uſum nunquam non noxium, morbosque infantiles multum exacerbantem, quin ex eo ſolo ſtupidos factos deprehendimus, id quod fuſius autoritatibus & rationibus confirmat PRIMEROSIVS de *Vulgi erroribus Lib. III. Cap. XVII.* quemadmodum etiam ebrios maritos infantes melancholicos generare, pluribus exemplis edoctus refert RIEDLINVS *Lin. med. Ann. IV. menſ. Aug. Lin. 26.* Eandem cenſuram meretur quoque mos quorundam, paucorum menſium natis cibos aut quantitate aut qualitate noxios, ingurgitandos præbendi, antequam dentium eruptio facta & ventriculus pro concoquendis eiusmodi cibis ſufficienti robore inſtructus eſt, unde, ſuperatis aliis morbis, infarctus viſcerum, lentas febres ac atrophiam certo contrahunt. Multo imprudentior eſt eorum methodus, qua in torminibus ventris, e

lacte nimio & coagulato oriundis, cremorem tartari, vel nimis spirituosa medicamenta, contrario prorsus effectu exhibent, uti rusticæ hic terrarum genti aqua reginæ Hungariæ ad eosdem dolores demulcendos in usu est pessimo.

Inter causas externas, quæ teneris infantum corporibus infirmitatem & deformitatem inducere valent, referenda omnino est negligentior & præmature nimis omissa fasciarum involutio, quibus infirmi illorum artus non solum ad decentem situm & formam, sed & ad tutiorem a nutricibus vel custodibus gestationem aptantur; qua cautione insuper habita, pedes, ob laxos etiam tunc articulos, deformem situm recipiunt, & curvi evadunt. Idem pedum vitium metuendum est, si ancillæ infantariæ eosdem recens natos pallio arctius coactos in uno semper corporis, plerumque sinistro, latere plures per menses brachiis gestant & tali ratione pedes, inprimis infirmiorum, molles plus æquo & diutius contorquent, qualia inde oriunda damna confirmat *Frid.* HOFFMANNVS in *Med. ration. Syst. Supplem. Cap. IX. §. IX.* Maius autem periculum metuendum est, si recens nati debiliores, fibulatoriis seu thoracibus balænatis non firmati, aliorum custodiæ negligenti traduntur; hinc enim tristia subluxationum vertebrarum dorsi vel gibbosorum exempla eaque frequentia. Nec minus pravam formam pedes infantum tenellorum acquirunt, si hi in curru, ad ambulandum iisdem aptato, ante maturam incessui ætatem & firmitatem artuum æquo diutius locantur, unde non raro crura ipsis contingunt vara, cuiusmodi errores varios pariter annotavit HAGENDORNIVS *Obs. Cent. III. Hist. 31.* Denique inter causas, quæ minus capacia infantum ingenia reddere valent, non silentio prætereunda est concitatior & nimia eorum in cunis agitatio ac impetuosa concussio; nam licet moderatum hoc motionis genus blando infantum somno alliciendo æque, ac sanitati firmandæ apprime commodum sit, non potest tamen non valida nimis,

ac

ac in ſolo minus plano poſitarum aut fulcris ſalebroſis inſtructarum cunarum multa agitatio molle corpuſculum ita concutere, ut inde tenerrimum cerebrum pariter, ac nervorum origines graviter offendantur & debilitentur, qua ratione nititur illud Saxonibus familiare proverbium de ſtupido, quod is in cunis nimium atque ad ſtuporem usque agitatus ſit, de quo motus infantum genere & docte & ſolide egit Celeberr. PLATNERVS in Propemt. inaugurali, de *Somno ex agitatione motuque cunarum*, quod annexum eſt Diſſertat. inaugural. *Ioh. Ehrenfr.* THEBESII, iam Med. Dr. & Circuli Hirſchbergenſis Phyſici celebris, patruelis æſtumatiſſimi, *de Somno, ut ſigno*, Lipſ. 1740.

(*Treptovia Halam miſſæ d. 12. Mart. 1754.*)

Obſervatio XVII.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Morſus hominis ſumme irati & alterius in necem intenti periculoſus.

Miles deſultorius Gallus, robuſtus & ſanus, annorum triginta ſex, ad Mœnum poſitus, malitioſe turmam ſuam anno 1745. menſe Iulio, deſerit, equum ſimul auferens; tendit per Odenwaldiam noſtram, petiturus Helvetiam. Ruſticus huias emit equum a milite pecunia parata, abit cum eo ſatis longe per ſylvas, ducem & comitem ſimulans fideliſſimum, revera autem ſpoliandi, quin occidendi, animum habens, & idcirco gladium portandum a Gallo deſiderans & obtinens, ut hic commodius & celerius curſum ſuum perſtringere, re ipſa autem armis privari poſſit. Ingruente nocte ſecurum ſe reputat Odenwaldicus ille ruſticus, & quod intendit, perſequitur facinus, inopinato nempe & ſubito crinibus prehendit militem, in terram proiicit, lapide, tres cum media

habente libras, anguloſo, acuto, caput variis in locis graviter percutit; (erat enim die altera, licet noctu illa ſat copioſa deciderit pluuia, in loco aggreſſionis copioſus adhuc, lapidibus adhærens, conſpiciendus ſanguis, maxime vero lapidi dicto, cui & crines agglutinati erant;) forti dein pede in genitalia impingit Galli, ſicque occiſum eundem credit. Miles argutus emortuum ſe ſimulat, ſpiritum retinet, membra flaccida & pendula libere a malitioſo ſicario agitari permittit, qui tandem, pro acquirenda maiori de morte huius infelicis hominis certitudine, ſummo cum fervore & venenoſo quaſi ore, commordet manus dextræ annularem digitum, qui itidem nec exinde aliquod vitalitatis ſignum prodit. Cuncta ergo ſic ex voto peracta ratus peſſimus iſte nebulo, crumenas ſpoliat traditis ante paucis pro equo thaleris, tandemque miſerum in fodinam ferri non admodum profundam præcipitat, domumque revertitur, mala conſcientia iam comite. Quum ſat remotum reputaret Gallus impiiſſimum incolam, vires colligit cunctas, exſurgit, amictu cruentato verſus arcem, in vicinia ſitam, migrat, ſole mox exoriente. Enarrat facta. Committitur Chirurgi curæ. Omnia bene cedunt, donec die x. digitum memoratum gangræna prehenderit. Amputant phalangem primam, remanente tamen gangræna, cum tumore totius brachii inſigni plane, æſtuque digitos tangentis urente. Vocor ego. Crebro imponendum ſuadeo vinoſum ſpecierum nervino-diſcutientium decoctum, aqua vivæ calcis armatum; applicandum ordino unguentum ex illius nutriti, digeſtivi officinalis ana ſex drachmis, ægyptiaci, balſami Peruviani ana drachma una. Sic corrupta decidit caro, oſſe nudato prominente illæſo, tumorque plurimum cedit. Poſt aliquot dies, cum denuo accederem, de manus urente conqueritur dolore; quum eadem in dorſo digitis durius tangeretur, copioſum effluit pus per amputatum ex parte digitum. Mox intra hunc & auricularem digitum faciendam iubeo inciſionem,

ſionem, quo manus oſſa beneficio iniectionum balſamicarum defendi & puris exitus liber ſervari poſſint. Refert poſtea Chirurgus, faciei & capitis vulnera (erant autem in integumentis tantum) fere conſolidata, manus etiam oſſa adhuc a corruptione immunia eſſe, ex eadem vero exſudare ichorem copioſum, qua de cauſa ter de die deligatio fieri debeat; nulla ceterum gangrænæ eſſe ſigna. Manus cum digitis notabiliter tumida eſt, nulla adparet inflammatio, dolor eſt tolerabilis. Propono pilulas laxantes cum mercurio dulci, quo affluxus imminuatur; præſcribo Apozema ex vulnerariis herbis & ſpeciebus pro decocto Lignorum, adiectis Mannæ electæ unciis aliquot. Repudiat primo medicamina Gallus, multoque ſuaſu tandem pilulas deglutit, quæ optatam exſerebant operationem. Externe epithema ex ſpiritu vini rectificatiſſimo camphorato, maſtichino, atque aqua calcis vivæ applicari iuſſi.

Quum tandem decoctum laudatum liberaliter potaret, ſicque alvus quotidie aliquoties ſollicitaretur, humores diluerentur & corrigerentur, pus fiebat coctum, hinc in dies, Chirurgi accedente ſolertia, cuncta feliciora. Phalanx annularis altera prominens ſeparatur partim ſponte, partim ſcalpello abſcinditur; vulnus iuxta hunc & auricularem inciſum ſaneſcere incipit; in manus palma ſuapte rumpitur cutis, pure effuſo bono; ſaneſcit brevi ulcuſculum; mox in dorſo manus ſuboritur aliud; conſolidatur idem; & ſic vagantia in dorſo, & circa digitum amputatum, carne rite rurſus obtectum, varia parva & ſuperficiaria exſurgunt ulcuſcula, Chirurgi patientiam atque induſtriam deſiderantia. Nullus in manu eſt dolor, nullus ardor, nulla inflammatio, ſaltem aliqualis obtinet tumor; motus manus ac digitorum legitimus eſt; miles bene ingerit, digerit & egerit, robuſtusque iterum evadit; menſe Novembri a nobis decedit firma gaudens valetudine.

Capi-

Capite plectebatur rusticus latro. Diebus binis post miles Gallus ex Würtembergicis, fato, redux, huc venit, patriam quærens suam, gratia desertoribus a Franciæ Rege generaliter facta delicti.

Conf. *A. N. C. Vol. III. Obs. 46.* Hildani *Epist. ad Amicos, eorundemque ad Ipsum Cent. I. Epist. 79.* Baglivii *Opp. p. m. 634. Edit. Antwerp. Selecta Med. Francofurt. Tom. II. p. 147. sqq.* Zacvtvs Lusitanus, *Prax. med. admir. Lib. III. Obs. 84.*

Observatio XVIII.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Spina humeri & brachii ventosa fatalis, ex paronychia pessime tractata.

Rusticus robustus, quadragenarius circiter, adfligitur digiti indicis dextræ manus panaritio. Adhibet varia, tandem & barbitonsorem circumforaneum, strenuum vini adusti potatorem, consulit; hic mox proponit amputationem digiti. Præparat ægrum, inebriando nempe eundem vini spiritu, ad operationem; peragit hanc & quidem sat crudeliter mense Maio; incidit quippe, cultro communi & usitato ipsius rustici, cutim, musculos, tendines, in utroque digiti latere, quaquaversus vi eundem torquet & evellere tentat; ast quum incassum hoc moliretur, cultri acumen in articulum primæ, ubi cum capitulis metacarpi iungitur, phalangis, in superficie exteriori gibba impetu quodam intrudit, ossa metacarpi varie lædendo, sicque maximam partem istum amputat, tandemque plenarie manus vi extrahit, posthæc vulneris consolidationem quoad maximam partem naturæ relinquens. Miror rustici patientiam, constantiam; abhorreo impostoris crudelitatem, inscitiam, animum plane inhumanum.

Brevi

Brevi ſubſequuntur in brachio tumores varii, tactu duri, ſumme doloroſi; adaugentur in dies tumor atque dolor. Adplicant Chirurgi varia cataplaſmata diſcutientia, emollientia, atque ſimilia emplaſtra; aſt incaſſum. Incidunt variis in locis ſuperficiarie cutim atque muſculos, nil autem hinc effectum fuit, niſi quod cruoris atri portiuncula effluxerit. Succeſſive ita ingraveſcit brachii, maxime humeri muſculorum, tumor, ut mole ſua iuvenis abdomen æquarit non exile, nec macrum, ſimul & pectoris dorſique grandeſcunt tumore muſculi, facies plumbea conſpicitur, corpus languet, ſubeſt lentus calor, appetitus vero ciborum perſiſtit.

De his & ego conſulor menſe Octobri. Brachium hoc monſtroſæ magnitudinis, coloris albi, conſpiciens ac tangens, inciſionem ad os usque humeri caute inſtituendam eſſe dico; ſuſcipiebatur mox eadem, cute ac pinguedine longitudinaliter ad pollices duodecim latos circiter inciſa; mox adparebat muſculorum caro nigricans, mollis, putrilaginoſa, cultro minime reſiſtens, & in pultaceam fere ſubſtantiam reſoluta. Ad oſſis usque confinia facta apertione, nullum inſtrumento detegi poterat os, hinc immiſſis digitis exploratio fiebat; extrahebam oſſis fruſtula minutiſſima, muſculis corruptis, ramentorum ligneorum ad inſtar (*wie Sæge-Spæne*) inhærentia, (ſummum hunc ventoſitatis ſpinæ, ut cum PANDOLPHINO loquar, gradum, *teredinem* dixere veteres); fœtor exhalabat vix tolerabilis, cunctaque mephite inficiebantur cadaveroſa. Donec cutis cum ſubiecta adipe incidebatur, dolorem ſentiebat miſer, aut ſi tendines cultro offendebat vel nervos Chirurgus: in muſculis autem nulla amplius erat ſenſatio. Succurro congruis internis atque topicis. Propono amputationem brachii in articulatione humeri cum ſcapula; infra enim hanc locum amplius habebat nullum. Repudiatur conſilium. Die altero ſphacelus conſpicitur: cutis labia viridi conſpurcata ſunt colore, caro nigricat, tota ſquamoſa eſt, humore

fœtidissimo nigricante, cadaverosо referta; somnus, cibi cupedia perit; animus, quam primum erigat corpus, deficit; pulsus fertur celerrimus sub febre depascente; enascuntur in carne vermes; si brachium premas manu, portiones cruoris atri & frusta carnis putridæ elabuntur deciduæ. Redit parum appetitus, simulque ex æstu interno depascente sitis urget, hinc cuncta esculenta & potulenta vinum, spiritum frumenti, lacticinia, quæve ad gulam veniunt, deglutit, haurit rusticus. Durant hæc per tres fere septimanas; quum autem tandem & interna, primumque pectus, ob viciniam & nexum, aggrediretur sphacelosa pestis, præviis altissimis suspiriis, anxietatibus ingentibus, præcordiorum oppressionibus atque spasmis gravibus, post duodecim horarum decursum vita defungebatur, totus consumtus, emaciatus, faciem vere monstrans Hippocraticam. Incisio cadaveris rustice denegabatur.

Scholivm.

Violentæ indicis digiti evulsioni, amputationi barbaræ, prima debetur origo mali. Paronychia ita crudeliter tractata, adscendit ad axillam usque, cum vehementia & impetu. Conf. Boerhaave *Prax. med. §. 183. pag. 403. sqq.* Medicationem Chirurgorum per emollientia & emplastica, incisioneinque altiorem in morbi primordio, amputationem, neglectas, non laudo.

De felici brachii in articulatione cum spina amputatione legas casum in Diss. *Eliæ Frider.* Heisteri, *de nova brachium amputandi ratione*, erudite deductum.

Gangrænosam ac sphacelosam corruptionem diu aliquoties in parte quadam, maxume si musculos saltim obsideat, persistere posse, docemur historia notabili, quam Schaarschmidivs exhibet *in denen Berlin. Wœchentl. Nachr. I. Iahrg. p. 279. sq.* nec non ex *Ioann. Adolphi* Wedelii Diss. de *Gan-*

Gangræna & Sphacelo §. XXVI. Conf. *Commerc. litter. Norimb. Ann. 1736. pag. 92. ſq.*

Obſervatio XIX.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Herniæ inguinalis incompletæ, inflammatæ, ſuppuratæ, ruptæ, conſolidatæ, exempla bina.

Femina ruſtica, annorum triginta, quatuor liberorum mater, robuſta, ſubito corripitur doloribus infimi ventris immaniſſimis, quos mulierculæ ad paſſionem hyſtericam referunt. Infundunt feminæ varia domeſtica. His tempore plurimum ſopitis, naſcitur in inguine dextro tumor dolens; inflammatur idem, ſuppuratur, rumpitur ſponte; exit primo pus, non æque fœtidum, dein chylus cum eſculentis immixtis, ut lactuca, moris, &c. Poſt aliquot dies prodit lumbricus, diebus ſubſequis adhuc ſemper chylus poſt paſtum. Mulier interim bene appetit, bene dormit, laſſa vero eſt, caroque conſumitur corporis. Magna non eſt abſceſſus apertura. Paupercula quum ſit, ideo ſimplicia & vulgaria minusque pretioſa commendavi. Iuſſi nimirum, ut tumori reliquo adhuc duro imponeret emplaſtrum diachylum cum gummatibus, ulcus crebro elueret decocto herbæ agrimoniæ, abſynthii, plantaginis acutifoliæ, hyperici, illudque deligaret cum balſamo Arcæi. Laudavi multum Eupatorii cannabini apozema. Sic ſuccedit conſolidatio & valetudo ſecunda. Referam alteram hiſtoriam: Femina plebeia, ceterum ſana & robuſta, aliquot infantum mater, inopinato ſubitoque in vulvæ labio dextro percipit dolorem punctionemque, quæ ad ventrem ſtomachumque migrant ſeque extendunt. Inſtant vomitus ſumtorum quorumvis; alvus libera eſt, aquoſa everrens; lotium mingitur ruffum, ſine contento; dolet caput. Inter hæc in

lævo inguine tumor exſurgit grandis, herniam dixero incompletam; die nono ſuppuratur ille, multumque pus effluit, aliquando lumbricus egreditur, alio tempore hordei excorticati, cuius iuſculum comederat, exeunt grana, alio feculenta. Vocant barbitonſorem, hominem incurioſum & lentum, quique, quid morbi ſit, ignorat. Iniicit varia, inque his acria quoque; de conſolidatione præcavenda acerbe diſputat cum ruſticis. Lente febrit femina; parum cibi capit; alvus obſtructa eſt. Rogatus tandem ego, ſuadeo clyſmata, lenitivum repetitum, traumatica decocta; Chirurgo, quæ agat, inculco; febri reſiſto. Negligenter hic rem tractat artifex mali; accerſitur ergo alius, cuius ſolertia ulcus coit. Propinqui femellæ veneficium vel faſcinationem ſubeſſe exclamant. Brevi carnem viresque recipit poſthæc ruſtica.

Conf. SCHVLZII *Diſſ. de Lumbricis effractoribus. Commerc. litterar. Norimb. Ann. 1737. p. 282. Edinburg. Verſuche Vol. I. p. 289. ſeq.* ZACVTVS *Luſitanus Prax. Med. admir. Lib. II. Obſ. 32.*

Obſervatio XX.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Vſus Ducciæ Mattiacarum ad rheumata.

Quum Iunio menſe anni 1748. in Mattiacis verſarer, Celſiſſimo Comiti a conſiliis, obvenit Dynaſta graviſſimus, ab aliquot menſibus brachii lævi, in quo fonticulum gerit, multa ſemper feliciterque fundentem acria, rheumatiſmo, ad manus ſeſe extendente digitos, periodico quidem, divexatus. Potabat eo ipſo tempore Pyrmontanas, balneisque utebatur Wisbadenſibus. Quoad iſtud malum, ex his nullum ſentiebat lenimen. Commendo idcirco, ut ſpongiæ latæ & craſſæ iisdem imprægnatæ aquis, dolenti imponantur parti. Nil fa-

faciunt per quatuordecim dies ſic in uſum vocatæ. Suadeo eapropter Ducciam ſeu ſtillicidium earundem. Minuitur dolor, pars rubet, exſurgunt puſtulæ, quales in purpura ſcorbutica rubra notamus. Excoriatur cuticula. Pruritus eſt in ſede morbi multus. Nulla inſtat inflammatio. Octies forte inſtituebatur ſtillicidium. Enaſcuntur tandem furunculi, maiores, minores, plus quam decem. Continent pus multum, ſpiſſum, ſucceſſu fluidum. Nullus eſt iunctus dolor vel ardor in parte, frequens at prurigo. Adplicatur balſamum Arcæi atque ſparadrapum ex cera, ſpermate ceti, myrrha. Poſt tertiam ſeptimanam plurimum reſiccantur ulcerata coëuntque. Fonticulus & interea largiſſimum excluſit acredinis laticem. Sic omne omnino brachii cedit rheuma, nec in hunc, dum hæc trado, revertit diem.

Eodem tempore vir quadragenarius, venator, ſanguineus, vino adſuetus multum ſpirituoſo, lumborum ac iſchii excruciatus rheumate gravi per integrum annum, hucuſque incaſſum variis Medicis ac medicinis utens, ſtillicidio pari, ad loca adfecta derivato, quærit auxilium, iuncta Swalbacenſium potatione ſolemni. Bene cedit conſilium meum. Oriuntur in dorſo furunculi plures, large ſuppurati, ſicque dira & contumax feliciter ſuperatur affectio.

Diebus pariter iisdem Mercator aderat Francofurtanus, ſexagenarius, calculoſus, ceterum vero ſanus ac robuſtus. Hic ob rheuma dextri brachii, quod olim ex refrigerio corporis antea ſudantis in ſalifodinis deportavit, ſtillicidium ad laborantem locum æque derivat multo cum fructu. Poſt doloris imminutionem, ſupra & circa aurem dextram aliquot exſurgunt furunculi, copioſum fundentes pus, acre ac fœtens.

SCHOLIVM.

Furunculis rheumatismos pluries solvi, semel iterumque notavi. Subcenturio quidam, bibo, rheumate vexabatur brachii chronico; tandem illud solvitur furunculo alto, lato, copiose suppurato, in ipso doloris loco nato. Pastor primarius, nuchæ molestatus rheumate, cum crepitu quodam subtili in vertebris, meo ex suasu Schwalbacenses potat: exoritur in brachio dextro grandis furunculus, belle suppuratus, cum euphoria.

Observatio XXI.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Hydrops scroti post variolas, manu feliciter curatus.

In epidemia varioloſa autumnali anni 1746. puer ſeptennis, robuſtus, poſt diſcretas nimis cito aëri ſe exponit liberiori, puſtulis nondum plane arefactis. Corripitur ſubito pedum œdemate, in dies properanter adaucto. Levcophlegmatia naſcitur. Accedit ſcroti hydrops, notabilis admodum, caput infantile tandem æquans amplexu moleque; celluloſo illo contextu, quem ſumma cutis ſcrotumque habet, aqua intento atque tumidiſſimo, ut ſic cutis penitus erugata, tumorque albidior factus ſit & æqualis; cutis, qua colis tegitur, ſimul ita attollitur, ut lucidiſſima ſit, nec nudari is poſſit, manifeſto indicio, aquam inter ſummam cutim eſſe & cremaſterem; inflexus itidem iſte ac incurvatus obuncæ falcis inſtar eſt; lotii excretio libera ceteroquin nihilominus manet. Nec viſu nec tactu teſticulum ſentire potui, præ tunicarum intumeſcentia. Humor, admoto lumine, vel irruente luce clara ſolis, tanquam in vitro cornuve per ſcrotum apparebat; digito,

to, ſicut uter repletus & arcte adſtrictus (*t*), obnitebatur, atque, ut loquuntur, elaſticus (verbis utor PLATNERI in Diſſert. de *Hydrocele*,) erat. Abdomen prætumidum cum umbilico retrocito conſpicitur; in inguine utroque magna eſt intumeſcentia; bene interim appetit miſellus, ſed laborioſe ſpirat, tuſſit; ſomno gaudet pauco, moroſus eſt; ſitit multum. Conſultus iam, laxantia hydragoga atque diuretica propono, præter fomenta topica diſcutientia & defendentia. Repudiat autem puer medicamentorum continuationem. Urina fertur intenſe bruna, cereviſiæ ſaturatæ adinſtar, & ſatis adhuc copioſa. Alvus ſemper eſt libera. Quum præ tumoris magnitudine (erat namque vix credibilis in ſeptenni puero amplitudinis,) inflammationem metuerem gangrænoſam ferramentum illud, quod *Trocar* vocant, applicandum curavi, caute, ne teſticulus vel epididymis lædatur, providendo. Aquarum pellucidarum libris aliquot mox dabatur exitus, dein inciſis proſpiciebatur fotu ex decoctu ſpecierum diſcutientium officinalium cum vino facto, addita calcis vivæ aqua, ſubiuncto ſuſpenſorio idoneo (*u*). Lentus ex hoc vulnuſculo mihi videbatur humorum effluxus; ſemilunata itaque plaga cutis incidebatur ſcroti, ſcalpello ancipiti. Via ſic facta humiditatibus ampliori, exiere ſucceſſive aquoſi laticis libræ triginta, humoribus ex omni ambitu cumulatim huc ruentibus. Lotium copioſe mingitur, a turbulento bruno ad magis naturalem revertens colorem, potusque ſuperat modum. Aſthma, ſitis, tuſſis, membrorum gravitas, agrypnia &c. abeunt. Depravatus corporis habitus recedit tandem ad ſanum.

Quum medicamina averſaretur miſer, præter decoctum ex radice glycirrhizæ, aſparagi, graminis, fœniculi, ſeminibus aniſi ac petroſelini, auxilio, quod manu fiebat, plurimum

(*t*) CELSVS *de Medicina Lib. VII. Cap. 18.*

(*u*) Vid. PLATNERI Programma, *de Faſcia infirmitatem adiuuante.*

mum res erat relinquenda. Carnosus, robustus ac vegetus hodie adhuc vivit.

Observatio XXII.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Testiculi dextri tumor prægrandis a conquassatione, discussus, data occasione recrudescens, variolis plenarie superatus.

Puellus quadriennis, succiplenus, sanus ac vegetus, a conquassatione, in equo artefacto ligneo contracta, tumorem deportat testiculi dextri, successive prægrandem. Mater rem vilipendens, nihil de hoc malo refert, donec notabilius & gravius fuerit enatum. Puer in gradiendo impeditus, facto ex attritu dolore, ceteroquin optume valens, medelam poscit ipsus. Cum horrore cerno tumorem. Ordino unguentum ex illo dialth. Pharm. Norimb. oleo menthaceo, gummi ammoniaco, galbano, bdellio, camphora, quocum sedulo blanda cum frictione, pars tumens inungebatur suspensorio commodo superdato. Divina sub benedictione post octiduum summa cum admiratione his cedebat grave malum. Quatuor mensibus post, inter saliendum, versus sedilis acumen iterum offendit testiculum eundem; tumor recrudescit, modo eodem, ut prius. Præscribo unguentum memoratum, iuncto suspensorio. Modo & variolæ aggrediuntur misellum. Parum attenditur testiculi intumescentia, quum varioloſus morbus graviter detineret puellum, huiusque saltim habetur ratio. Superata febre variolosa læti videmus omnem abactum esse tumorem febrili resolutorio motu.

SCHOLIVM.

Medicus in Hohenloicis πραχτικοτατος, Dn. D. *Crato Godofredus* HENNICKE, Archiater & Conſiliarius aulicus, Fautor venerandus, ante ſexennium benevole communicat hiſtoriam tumoris teſtium venerei, diuturni, ſuperveniente febre feliciter reſoluti, ægro multum antea panaceis mercurialibus perperam, exteris a Medicis, fatigato.

(*Erbaco Halam miſſæ d. 30. Mart. 1754.*)

Obſervatio XXIII.

DN. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Scarificationis ſiniſter eventus.

Non equidem ſcarificationis negotium hoc ipſo titulo reprobare animus eſt, cum huius operationis iuſta adminiſtratio ad præoccupandos præcipue itemque tollendos morbos varios eximio ſæpiuscule effectu non careat, ſi modo balneorum domeſticorum, frictionum, inunctionum, quibuscum veteres ſcarificationes cum eximio uſu combinarunt, hodie maior haberetur ratio. Neque diſcordiam chirurgorum & balneatorum, in Germania noſtra præcipue vigentem, hac vice componere noſtrum eſt, qua Chirurgi ſolis balneatoribus ſcarificationis adminiſtrationem, tanquam indignam qua illi occupentur, relinquendam eſſe iudicant; cum iſthæc operatio tamen æque chirurgiæ manualis vel inſtrumentalis pars ſit, & æque ſibi locum ibi vindicare poſſit, quo venæſectio aliæque operationes pertinent. Nec etiam ſcarificationis, quæ proprie *chirurgica* audit, qualisque in gangræna & ſphaceio adhiberi ſolet, nec narium vel oculorum ſcarificationis mentionem iam faciam, ſed eius tantum, quæ vulgatiſſima & notiſſima eſt, quæque ope ferramenti perficitur, quo ſedecim

vulnuscula uno ictu infliguntur, quibus cucurbitula postea admovetur, cuiusque siniſtrum eventum partim ex culpa ægroti, partim artificis videre contigit. Exinde forte patebit, nec minora vulnuscula impune irritanda & contrectanda, nec ortam inflammationem siniſtre tractandam esse.

Vir laborioſus, quinquaginta annorum, ſtrictioris corporis habitus, me, ut dorſum eius valde inflammatum inſpicerem, opemque ferrem, rogitat. Ubi eundem viſito, pronum fere cubantem, cum ſupinus vel in alterutro latere iacere, præ dorſi dolore, non poterat, invenio. Æſtu inſigni laborabat, & ſpirandi difficultatem accuſabat. Ipſum ergo dorſum inſpiciens, ſcapulæ ſiniſtræ regionem maiorem in modum tumidam deprehendi, quique tumor cum rubore etiam dextram ſcapulam quoad maximam partem occupabat. Apicem tumoris macula floreni magnitudine, cruſtoſa, obſidebat, quæ non ſine dolore remota, infra faciem lividam, cæruleam, impuram ſaniem plorantem, referebat. Origo autem mali hic erat. Scilicet ex ultima ſcarificatione, vulnuſculis levi cruſta obductis, pruritum moleſtum ſentit noſter, cuius pertæſus prurientem locum partim manibus, partim illum verſus columnam aliquam ligneam diligenter atterendo, confricat. Inde irritatarum partium inflammatio, cui cum balneator unguentum ex oleo olivarum, lapide calaminari, lithargyrio & ceruſſa improvidus oppoſuiſſet, illa, obortis ex immodeſta adſtrictione novis obſtructionibus, vehementer augebatur formabaturque prægrandis abſceſſus, in gangrænam proclivis. Abſterſa autem macula illa livida, eximia ichoris quantitas effluebat, quæ altero, tertio & ſequentibus diebus non tantum augebatur, ſed & hoc peculiare phænomenon monſtrabat, quod leviter compreſſæ partes tumentes non modo per recentia vulnuſcula ſcarificata, leviter antea glutinata, purulentam materiam plorarent, ſed & ultra centum cicatriculæ, ex priſtinis ſcarificationibus ſuperſtites, ex tanta cu-

cutis tunicæque adipoſæ ſuppuratione iterum ſolutæ fuerint, ita ut, compreſſo grandi abſceſſu, pus per complures novos fontes proſiluerit, quorum origines in variis ſinubus & mæandris, huc illucue in cellulosa, adipoſa, ipſisque dorſi muſculis formatis, quorum tres trium pollicum longitudinem æquabant, reperiebantur. Ita autem inſtituebatur curatio, ut, datis ſimul internis, motus febriles contemperantibus, leviterque diapnoicis, partim inflammationis tantæ cauſæ removerentur, partim tot abſceſſuum mundificatio & conſolidatio reſpiceretur. Parabatur ergo decoctum e rad. biſtort. irid. Flor. herb. abſinth. rut. ſcord. ſalv. flor. chamomill. gall. Turcic. ſapon. commun. vitriol. cum aqua communi, aqua calcis vivæ remixta, cui poſt decoctionem & expreſſionem ſpiritus vini camphoratus inſtillabatur. Hoc decocto imbuebantur lintea quadruplicata, quæ iterum expreſſa ſæpius loco afflicto imponebantur. In complures ſinus iniiciebatur *decoctum Nicotianæ ſaturatum*, quod plus vice ſimplici in ſimilibus læſionibus, immo & in fiſtulis, opem præſtiterat (*x*). Deinde ex ipſo hoc decocto, cum unguento digeſtivo, eſſent. hyperici, myrrhæ & ſuccini, parabatur mixtura, qua repurgabantur amplius canales, quo facto non tantum e ſanie pus laudabile evadebat, ſed & ſolidæ partes eroſæ, flaccidæ, debitum tonum pedetentim recuperabant. Varii autem canales communicantes forficis & ſpecilli ſulcati ope aperiebantur, atque hoc modo deligatio & conſolidatio facilior reddebatur. Nonnullæ fibræ in ſteatomatoſam compagem degeneraverant, quæ ſuppurationis ope mobiliores redditæ, ſcalpello & forcipe ſeperabantur. Dein plumaceolis & turundis, mixtura mundificante madidis, cavitates replebantur, ſuperimpoſito emplaſtro ſaponato Barbette.

(*x*) Vid. *Act. Nat. Cur. Volum. IX. Obſ. 104. p. 392.*

Post quatuordecim dies tumor minuebatur, & principalis plagæ fundus, immo & reliqua complura vulnera satis bene depurata & rubella apparebant. Interea autem vehementi & sicca tussi vexabatur noster, ita ut inter deligationem vix libere & absque dorsalium musculorum commotione, respirare potuerit. Facile quidem isthoc phænomenon a facta in erosis partibus nervorum dorsalium irritatione, quos inter & intercostales nervos magna intercedit communio, deducendum erat, sed curatio difficilior evadebat. Interim in usum vocato infuso theiformi, e rad. pimp. alb. taraxac. liquirit. herb. veron. sanicul. pyrol. hyssop. sem. anis. stellat. & pulvere pectorali, e sperm. cet. pulv. liquirit. lap. cancror. antimon. diaphoret. tandem sedata tussis est, quæ quoque ob iracundiam, propter nonnullas rixas domesticas obortam, iterum revocata, iisdem medicamentis cessit. Deinde & cum nicotianæ decocto miscebatur illud agrimoniæ, quod methodo supra dicta iniiciebatur. Protracta autem in quintam hebdomadem curatione, nova scarificatione hanc forte accelerari, & congestionem ab ulcere revelli posse noster autumat. Hinc sponte per balneatorem paulo infra sinuosum ulcus scarificationem instituit, & per binas cucurbitulas sanguinem detrahit, habita autem, quoniam piscator ictus sapit, regiminis postea meliori, ac antea, ratione. Neque male res cessit.

Cum autem vir alias laboriosus iam per aliquod tempus otiosam vitam degere, & sedere magis, cum ob locum affectum difficulter cubare posset, coactus fuerit, pedes œdematosum tumorem concipiunt, præsertim in tibia sinistra nova oritur inflammatio, cui perpessa olim contusio occasionem præbebat. Sed modesta frictio speciesque siccæ discutientes hanc quoque inflammationem sustulerunt. Oedemati autem cum fructu opponebatur elixirium laxans per epicrasin, sumtum quotidie, ex extractis panchymagog. Croll. rhabarb. cochlear. fumar. cascarill. cum aqua veron, vinosa paratum.

Hac

Hac demum ratione octava hebdomade ſiniſtrum hunc ſcarificationis eventum nova ſanitatis confirmatio ſecuta eſt.

Obſervatio XXIV.

DN. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Secundinæ ſerotinæ.

Plus vice ſimplici reprehendere obſtetrices neceſſum mihi fuit, quando ad puerperas vocatus, &, ut quantocyus ſecundinas reſtitantes medicamentis expellerem, rogatus ſum. Hæ enim ſæpiuscule imperitæ mulierculæ opem a medicamentis fruſtra exſpectant, quam tamen iuſto tempore, ſi rem debite adgredi didiciſſent, ipſæ ferre optime potuiſſent. Scilicet hæc ſecundinarum eductio ſtatim poſt partum fieri debebat, antequam uterus conſtringatur, atque in minus volumen redeat, ipſo ſimul uteri orificio clauſo. Si porro forte ob paulo maiorem cum uteri ſuperficie interna cohæſionem paulo diutius commorantur, admotis provide digitis has ſeparare & educere, non autem extrahere, oportet. Hæc manuum opera plus valet, quam pellentia medicamenta, quæ ſæpius uteri ſpasmum augent, atque ita viam ipſis eiiciendis ſecundinis præcludunt. Fieri itaque vix aliter poteſt, quin miſeræ puerperæ aut ex nimis diu in utero relictis ſecundinis, aut ex incongrua earundem extractione, mediante noxia per funiculum umbilicalem vellicatione, in lochiorum ſuppreſſiones, vel etiam uteri hæmorrhagiam lethalem, porro in inflammationes uteri gangrænoſas, ſphacelum denique incidant, vitaque priventur, veluti complura pericula practica id teſtantur (*y*).

Interim non plane exempla deſunt, ex quibus patet, poſſe etiam poſt aliquot dies ſecundinas corruptas fruſtatim excerni,

(*y*) Conf. noſtr. Amœnitat. med. Dec. I. Caſ. V. p. 44. ſq.

cerni. Prodeat unicum illustrationis gratia. Refertur mihi per literas, uxorem quandam, difficulter licet, puellam enixam esse, restitare autem secundinas, quarum eductionem ut efflagitaret, dolores enormes cum angustia præcordiorum, puerperam hortabantur. Sedulo moneo isthoc negotium non solis medicamentis absolvi, sed necesse esse, ut obstetrix provida manu, antequam uterus plane constrictus sit, placentam separet, hanc lente educat, atque in hunc finem etiam balneum vaporosum ex aqua tepida cum herba artemis. flor. chamomill. puerperæ paret. Simul autem præscribo potionem, ex aquis meliss. vinos. & sine vino, verben. cinnam. sin. vin. hirundin. pulv. succin. hep. anguill. borrace Veneta, & syr. cort. aurant. quavis hora ad unum vel alterum cochlear sumendam, & ut brevi certior fierem, quid ageretur, iubeo. Post XXIV. horas nuntius redit, atque nihil inde mutatum vel secutum, angustias autem maiores esse, refert. Ergo statim clysterem iniiciendum suasi, & nonnullas doses pilularum balsamicarum uterinarum misi, quarum una semper post sex horarum intervallum caperetur. Interea continuis anxietatibus, cum intercurrentibus lipothymiis, adfligitur nostra, ut ipsam idcirco mortem exspectarent adstantes. Quarto autem a partu die forte ad alium ægrotum eiusdem loci vocor, nec moror etiam, ut simul hanc ægrotam visitare possem. Hypocaustum ingrediens fœtore teterrimo illud repletum deprehendo, ægrotaque fere exanimis & sudore perfusa, tremula voce refert, iamiam demum liberatam se esse a secundinis tam diu restitantibus, quæ frustatim iam & pessime fœtentes excretæ fuerint, ita ut, licet admodum debilis, levior sibi ipsi videretur. Sic itaque nostra, licet paulo post purpura accesserit, ex hoc vitæ discrimine tandem evasit, ac postea cum sanitate rediit in gratiam.

Habet quidem Medicus & ægrota, quo lætentur. Hæc de recuperata vita, ille de energia naturæ & felici medicamen-

mentorum cooperatione. Aſt cum non cuivis liceat adire Corinthum, ſatius erit, agere & obſervare quæ neceſſaria atque ſupra iam monita ſunt, neque ad univerſale a particulari illicite nectere conſequentiam.

Obſervatio XXV.

DN. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Defluvium capillorum omniumque crinium univerſi corporis ſingulare.

Inter alios aliquando ruſticos, auxilia pro ægrotis rogitantes, forte ad me accedit vir ruſtico more, ſed ſatis bene veſtitus, pinguis & bene nitidus, ſtatura quadrata habituque euſarco gaudens, quadraginta forte annos natus. Hic pro uxore male ſe habente medicamenta flagitabat. Propius ad me accedentem curatius intueor. Capillamenta vix inter ruſticos conſpicimus. Noſter tamen illo caput tegerat. Miratus ex eo quærebam, quare capillamento uteretur? Ille autem confeſtim ipſum denudabat caput. Et ecce! ne ullum capillorum veſtigium, ſed potius cuticula adeo lævis, ac vola manus, comparebat. Faciem denuo accurate inſpiciens, ſupercilia, palpebras omni crine orbatas exacteque læves animadverto. Neque barba, quæ virum decet, ornatus noſter erat. Ille autem ipſe addebat, nusquam in toto ſuo corpore crines inveniri, hinc pectus, alas, pubis regionem, perinæum, brachii, manus femorisque ſuperficiem omnino pilis carere. Non autem ita ſe natum eſſe affirmabat, ſed *incantationis effectum* hoc defluvium pilorum eſſe. Scilicet brevi poſt contractum matrimonium ſe graviori & diuturno morbo decubuiſſe, illoque ſuperato omnes pilos pedetentim evanuiſſe. Huius autem morbi nullam aliam exſtitiſſe cauſſam, quam procum quendam, qui, cum uxoris ſuæ, tunc vir-

virginis, potiri non potuisset, Acheronta moverit, & cum suis adlaboraverit, ut noster diuturno morbo, si Deo placuisset, exstingueretur. Durante hoc morbo se mentis compotem per aliquod tempus haud fuisse, ita ut, quid actum de eo sit, plane ignoret. Sit autem fides relationis huius penes auctorem.

Nobis, cum alius morbus, v. g. venereus, non pateat, neque noster ullo incommodo postea vexatus fuerit, vero simillimum videtur, ex quacunque demum causa tum nostrum laborasse febre acuta maligna, post cuius decursum alopecia non adeo rara est. Interim cum haec depilatio universalis fuerit, nec unquam pili succreverint, materia forte noxia tantopere ad peripheriam corporis delata est, qua ipsi folliculi & bulbuli, in quibus pili radix haeret, quosque clariss. WITHOFIVS noviter accuratius descripsit (z), penitus erosi fuerunt, cum subsequente sic ipsius pilorum originis plenaria destructione. Parallela fere exempla ergo confirmat casus noster, quorum mentio fit in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. III. Ann. III. Obs. 62.* HORSTII *Observ. sing. Lib. II. Obs. 28.* & *Annal. med. phys. Wratislav. Tentam. XI. p. 210.* & *XIII. p. 335.*

Observatio XXVI.

DN. D. HENRICI FRIDERICI DELII.

Febris epileptica.

Novum forte nomen, quo febrium tam vasta classis ampliari posset, si revera existeret! sed non adeo proni sumus, nova nomina adoptare, quibus entia praeter necessitatem multiplicantur. Prior vox denotat morbum, qui vere adfuit,

(z) In *Anatome pili humani.* Vid. Commentar. Societ. reg. Scient. Gœttingens. Tom. II. p. 368. sq.

adfuit, altera eum, pro quo habebatur. Scilicet miræ ſæpiuſcule ſunt relationes morborum, quæ Medico obtruduntur. Hic, niſi examen morbi rite inſtituit, egregie fallitur & fallit. Quoties enim apoplexia vel catarrho ſuffocativo correptum ægrotum referunt, & extemporaneum & præſentiſſimum remedium flagitant, cum re accuratius perſpecta, paſſio hyſterica, hypochondriaca, ſuffocatio vel ſtrangulatio uterina vel hæmorrhoidalis, in propatulo ſint, in quibus certe medicamenta antapoplectica vel contra catarrhum ſuffocativum male adhiberentur.

Ita quoque nuper mihi repetita vice accidit cum ad iuvenem quendam ſtrictioris corporis habitus vocarer, quem ſubito epilepſia correptum eſſe nuntiabant. Ubi illuc venio, tremulum omnium membrorum motum in ægroto animadverto. Extrema frigebant, oculi torvi, pulſus celer & parvus, ad quæſita nulla reſponſio. Interim, licet etiam præ tremore ægroti ipſa ſponda, in qua decumbebat, contremiſceret, nulla tamen vera artuum convulſio, nulla ante os ſpuma, nulla pollicum in pugnum compreſſio, nullus dentium ſtridor, ſed eorundem tantum colliſio & tremula agitatio. Ex hiſce itaque phænomenis ad epilepſiam præſentem concludere non licebat, præſertim cum nunquam ulla diſpoſitio noſtri ad hunc morbum obſervata fuerit. Iudicabam potius, ſtatum præſentem involvere magis invaſionem ſatis gravem febris cuiusdam intermittentis. Neque ſpes me fefellit. Cum enim poſt aliquot horarum intervallum eundem rogatus viſitarem, & interea pulveris temperantis doſis cum theæ infuſo exhibita eſſet, inſigni æſtu iam laborare ægrotum deprehendi, quem poſt ſex horas ſudor excipiebat. Altero die, præter artuum laſſitudinem, nauſeam, & vomendi conatus, nihil accuſabat ægrotus. Tertio autem die eadem ſcena, ac pridie, ludebatur, quæ quoque quinto iterum in aprico erat, & ſic febris tertianæ genium aperte monſtrabat, quæ etiam

absque antepilepticis & absque chinatis per satis nota & tuta remedia, sub tertiæ hebdomadis initium, feliciter sublata est.

Licet abunde iam constet, quod sæpiuscule convulsiones febribus, præcipue acutis, accedant, invadentem tamen hanc febrem intermittentem stipatam convulsione fuisse minime putarem. Posset autem id declamitari, si quis vel signorum minus iustam rationem habere, vel febris indolem in solo spasmo, cuius transitus in convulsiones non adeo rarus est, quærere, vel demum, iuxta Machiavellismum medicum, gloriolam vanam captare maluerit, ita ut iactabundus adferere possit, se periculosam epilepsiam in regularem tertianam præclare & sapienter mutasse. Sed cum his divortium faciendum merito est.

Magni autem viri & *apoplecticas febres* timent, tales, quæ ægrotos, nisi quantocyus ipsi motus febriles supprimantur, altero vel tertio paroxysmo iugulant. Febrem, si apoplexiæ superveniat, eandem solvere, prognosis est *Hippocratica*, plus vice simplici nostris temporibus exemplis comprobata. Tantum autem abest, ut omnes apoplectici accedentis febris ope evadant, ut potius experientia quoque testetur, ipsius apoplexiæ immediatam causam non semper per oppositos febriles motus expugnabilem esse, atque sic in ipso prælio naturam succumbere. Sub iudice ergo adhuc lis est, utrum veræ febres apoplecticæ dentur, an potius ipsi motus febriles ad imminentem apoplexiam solvendam in certis casibus minus sufficientes deprehensi fuerint, & inde febrium apoplecticarum appellitationi ansam dederint. Utinam non adeo præfracte præconceptis opinionibus inhærere atque experientiæ fallacias evitare malint, quibus naturæ mystarum præclarum nomen arridet!

(*Erlanga Halam missæ d. 3. Maii 1754.*)

Obser-

Observatio XXVII.

DN. D. CHRISTOPHORI FRIDERICI KÜHN.

Asthma, Icterus & Hæmoptysis tandem funesta, ex gravi præcipuorum pectoris & abdominis viscerum labe oborta.

Vir triginta annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, staturæ corporis mediocris, lauto vivendi generi adsuetus, in iuventute iam moliminibus hæmorrhoidalibus sæpe vexatus, ipse arti salutari incumbens, per tres fere annos valetudine minus prospera fruitur, cum antea sanus sanguineque plenus adparuerit. Ab initio tussi, mox humida, mox iterum sicca adfligebatur; non ita multo post oppressio pectoris & anxia difficilisque respiratio coniungebatur, quæ omnem medicamentorum pectoralium, ex proprio consilio in usum vocatorum, ipsiusque iisdem subiuncti fontis Selterani virtutem penitus eludebat, & adeo in dies increbescebat, ut in asthma verum degeneraverit, qui affectus, mox aliquamdiu remisit, mox iterum diversos gradus dyspnœæ, orthopnœæ, interdum etiam asthmatis convulsivi adsumsit. Sicuti autem alias semper ad iram proclivis erat, ita nunc inprimis levi obveniente causa incandescebat, statimque inde malum exacerbabatur, adeo ut tandem ira aliquando vehementiori prægressa, ut nulla calamitas sola esset, totum corpus flavo colore tingeretur, subsequente siti febrique lenta, deiectionibus albicantibus, tardius & difficilius prodeuntibus, unde statim patescebat, icterum quoque se cum asthmate coniunxisse, qui tamen mixturis aperientibus, visceralibus & salibus mediis frequenter exhibitis brevi iterum profligebatur, remanente tamen aliqua cutis flavedine, sub qua etiam tussis, cum re-

spiratione difficili & anhelosa, pristinam ludebat fabulam. Hac morbi facie in dies in peius ruente, non solum febris lenta ingravescebat, sed & pedes œdematosi reddebantur, hocque modo æger miseram trahebat vitam, donec tandem post aliquod tempus sanguinis floridi spumosi mensuras duas cum tussi eiiceret: quo facto, noctu vocatus illum in summa debilitate quasi suffocatum inveni, facies erat Hippocratica, lingua balbutiens, pulsus parvus, inæqualis, intermittens extremaque frigida. Cum igitur res ægri iam conclamata videretur, ipsi pulverem ex Corall. rubr. specieb. de Hyacintho ac nitro depurato, & potiunculam temperantem ex aquis flor. acac. rub. Idæi, scabios. tinct. corall. cum syr. de alth. præscripsi, simulque tranquillitatem animi & corporis etiam atque etiam commendavi. Horum ergo medicamentorum usu paulatim ad se rediit & per aliquot horas placide dormivit, dieque sequenti iterum in museo obambulavit; sed iam vespera incidente iterum accersor & ecce! sanguis adhuc maiori quantitate regurgitavit simulque suffocatione vitæ finem imposuit, quem in primo accessu adstantibus prædixeram. Quid enim aliud ex hac historia morbi admodum complicati & in labe viscerum præcipuorum iam diu radicati, accedente, in hac summa debilitate, hæmoptysi exspectari poterat?

Ex causis igitur procatarcticis ad hanc viscerum corruptionem multum contulerunt temperamentum sanguineum, status plethoricus, vitæ genus lautum, & tamen sedentarium, vini atque tabaci abusus, præcipue vero ex causis præternaturalibus negotium hæmorrhoidale non rite succedens, malaque corporis conformatio, quæ in pueritia forte iam per incuriam inducta fuit, quæ omnia postea sectio huius cadaveris, a propinquis expetita & concessa, clarius manifestavit.

Externe primo post mortem die cadaver lividum valdeque putridum apparebat; abdomen, scrotum cum pene, admodum expansa & tumida deprehendebantur, uti alias in vene-

veneno interemtis aut ſuffocatis obſervari ſolent. Aperto abdomine omentum plane conſumtum, pinguedo meſenterii eliquata, ventriculus & inteſtina admodum inflata, hepar prægrande, ſanguine valde infarctum, ex aliqua parte ſcirrhoſum, offendebantur; veſicula fellea plane transparens erat, & cultro anatomico inciſa ne guttulam quidem bilis, ſed tantum aërem putridum emittebat; regio illa, ubi hepati iuncta eſt, nullo flavo colore tincta erat, uti alias videre licet. Hinc facile erat iudicatu, unde icterus, pronitas ad iram, relictusque color faciei flavus ſuos ſumſerint natales; reliquæ infimi ventris partes in ſtatu ſano conſtitutæ deprehendebantur. Hinc, ad perluſtranda pectoris viſcera, ſternum a coſtis ſeparatum reclinabatur & ecce! cor erat ſanguine vacuum, pulmones vero collapſi quaquaverſum parti poſteriori pleuræ adeo firmiter accreti inveniebantur, ut non niſi per partes culter anatomicus illos ſeparare potuerit, & ne minima quidem pars illorum adhuc libera aut pendula fuerit; ſubſtantia autem eorum nondum quidem erat exeſa, veſiculæ vero & tubuli bronchiales materia lenta, viſcida, pure & ſanguine mixta, ſcatebant. Denique, exemtis & ſuo loco repoſitis viſceribus, obſervabatur ſingularis ſpinæ quarundam vertebrarum dorſi & lumborum curvatura in forma circumflexi, ita ut convexitas arcus latus magis dextrum reſpiceret. Exterius nulla gibboſitas in hoc ſubiecto, dum in vivis erat, nec deformatio ideo notari potuit, quia ſpina tantum ad latus incurvata erat, adeoque inceſſus ad latus magis inclinans vix diſtingui poterat. Hinc igitur ex accretione non ſolum pulmonum firmiori, ſed & ex ipſa illorum ſubſtantia, materia viſcida & purulenta repleta, facile huius ſtatus aſthmatici cauſæ colligendæ erant, ad quæ ab incunabulis facta mala conformatio diſpoſuit, cavitatem thoracis coarctando, viſcera contenta comprimendo, ſitumque vaſorum naturalem mutando, hincque omnino vita

semper existere debuit valetudinaria, quæ tantum ordinato vivendi genere, venæsectionibus non intermissis, medicamentis aperientibus, resolventibus, salinis mediis, lenibusque expectorantibus sublevanda erat, non vero radicitus tollenda. Ad augendum quoque hoc malum multum utique contulit hepatis compages maior, ex obstructione orta, quæ secretionem bilis per poros bilarios plane impedivit, & sic receptaculum illius vacuum reddidit; hinc illa in sanguine cumulata non potuit non icterum producere, simulque motus sanguinis per venas reflui retardatus, & ob copiosiorem inde contingentem seri secessionem pedum tumor œdematosus subsecutus fuit. Similes eiusmodi morbi historiæ consignatæ prostant in *Act. Med. Berolinens. Decad. I. Vol. II. p. 76.* itemque in *Ephemer. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obs. 10. & Dec. III. Ann. I. Append. p. 97.*

Observatio XXVIII.

DN. D. CHRISTOPHORI FRIDERICI KÜHN.

Morbus a fascino malitiose simulatus.

Fœmina viginti quinque annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, nondum maritata, cognomine *Bettenhausen*, extra muros habitans, conqueritur de inflatione ventriculi & frequentioribus animi deliquiis; petit ergo, pro tollendis his incommodis, consilium, ipsique ordinantur antihysterica & carminativa. His vero non contenta, ad medicastrum lotium pro more mittit, qui cum illa consentit, morbum oriri a fascino, expellique posse peregrina illa, si per aliquot dies nil, nisi decocta pruna & pulveres ex saccharo & semine pseudo-fumariæ, quod vulgus hic *Walpurgis-Kœrner*

ner appellat, confectos adſumeret. Hac medicina per 5. dies uſa, corripitur horrore animique deliquio; deinde exoriuntur vomendi conatus vehementiſſimi, unde quædam fœminæ vicinæ accurrunt, deque ægræ commotionibus obſtupeſcunt, & ecce! illis adhuc præſentibus per vomitum reiiciuntur tres per vices faſciculi pilorum fuſcorum conglomerati caudati, ex quibus ſtatim ſuperſtitioſæ adſtantes mures vivos denuo in eiusmodi glomeres mutatos imaginatæ ſunt; paulo poſt iterum duo eiusmodi ridiculi mures evomuntur; diebus aliquot præterlapſis, præſente Confeſſionario, cum iisdem anxietatibus animique defectione, duo eiusmodi faſciculi, artificioſe in forma muris colligati, eructantur. Quo facto rumor ubique percrebuit, resque ad iudicium, ut in veritatem inquirat, delata fuit, teſtesque oculati quinque de eadem depoſuerunt coram iudicio. Interea illa iterum cum iisdem ſimulatis ſymptomatibus novem faſciculos, ex pannis laneis & linteis arcte convolutos, præſentibus multis aliis ſpectatoribus evomuit, inter quos corolla quædam ex lana nigra conſtructa erat. Hoc facto nefanda iſta ſtatim iudicio traditur, mandatoque Regiminis Ducalis cuſtodes, iuramento prius obſtricti, ipſi adiunguntur, ad patefaciendam veritatem, ſimulque veſtimenta eius, ſtragulaque ſedulo perluſtrantur, nihilo tamen minus iterum, præſentibus cuſtodibus aliisque adſtantibus, aliquot eiusdem farinæ faſciculi eiiciuntur: Hinc vero a ſuprema curia duo Chirurgi, ad minima etiam obſervanda omnemque dolum avertendum a latere eſſe iubentur, qui ingruentibus iterum paroxyſmis me quoque advocant, ubi illam, Medico aulico Dn. D. Bertram & Actuario Dn. Rvppert, itemque Confeſſionario & alio quodam Iuris conſulto, Dn. Lavffer, præſentibus, ſumme anxiam invenio; conatus vomendi decies & plus repetebant, nihilque prodire videbatur; tandem conatu eiusmodi vehementiori prægreſſo in lectum recidebat cum ſumma animi defectione, quæ miris con-

convulsionibus pectoris, quibus hoc ipsum vehementer attollebatur & abdomen reciproce retrahebatur, iterum sese terminabant. Durantibus etiam his paroxysmis pulsus sanus, color faciei floridus, calorque extremorum, in paroxysmo non exagitatorum, naturalis manebant, finitoque illo nihil præternaturale relinquebatur. Ex hisce signis diligenter observatis simulatum hunc morbum consistere in præstigiis, more gesticulatorum effictis, quilibet concludebat, hancque sceleratam fœminam ut dolum profiteatur, severe admonebat. Quo facto, etsi antea multoties de veritate rei per Deum & sacramenta iurasset, convicta se dolose egisse confitebatur, totamque rem coram iudicio sic enarravit: Facinus hoc se didicisse a vetula quadam, quæ ipsi dedisset globulum laneum, quo in ore detento omnium amor, præcipue superiorum, conciliari posset: illius iussu etiam eiusmodi fasciculos pilosos, propria manu complicatos, deglutire & iterum evomere se tentasse, donec per repetitos actus res hæc facile successisset; in simulandis eiusmodi præstigiis, convulsionibus, animique deliquiis se successive adeo exercitatam redditam esse, ut pro lubitu motus eiusmodi producere potuerit, omniaque hæc lucri saltem causa ita perpetrata fuisse, unde sic convicta ad perpetuos carceres relegata fuit, hocque modo multi de vitanda superstitione credula admoniti, deque fascini falsitate certiores redditi fuere.

(*Isenaco Halam missæ d. 17. Maii, 1754.*)

Obser-

Observatio XXIX.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Hydrops tribus subiectis funestus.

Hydropis ideam & dubium medicamentorum effectum, *Volum. VIII. Act. N. C. Obs. 78.* fusius enarratum, rerum usus confirmat, ut, si non pro scandalo Medicorum habendus sit morbus confirmatus, tamen HIPPOCRATIS elogio, pauci eundem effugiant, & casu potius aut singulari Numinis providentia, quam sollicita remediorum applicatione ab eodem liberentur. Neque vero inutile aut supervacaneum erit, plura eiusmodi & funesta quidem exempla enarrare, cum, si non aliud, illud certe commodum in lectores attentos exinde redundet, ut causarum occasionalium sollicita enarratione & Medici & ægroti malo e longinquo adventanti mature obviam ire, & quod confirmatum tollere impossibile, illud inter initia prudenter declinare, & in prima, quod dicitur, herba suffocare pro virili conentur. Hunc certe, nec alium in finem sequentia a paucis retro mensibus h. l. notata exempla cum B. L. communicanda duxi.

I. Fœmina XLIX. annorum, aliquot liberorum mater, mensium fluxum per sex fere annos non amplius experta, V. Sne & scarificatione identidem instituta vitam hactenus, rerum suarum satagens, satis bene & tranquille egit, donec, vehementi animi commotione perculsa, symptomatibus primum catarrhalibus variis afflicta, consilio Chirurgi aliquamdiu vivens, hinc vero accedente ciborum fastidio, siti, tussi, & pedum demum & abdominis tumore sensim aucto, ad finem æstatis a Medico auxilium imploraret, qui, lato quidem dubio prognostico, nihil eorum intentatum reliquit, quæ ad profli-

gandum morbum desperatum non tam imminentem, quam praesentem, accommodata videbantur, diureticis & catharticis per vices sibi subordinatis hinc & roborantibus tonicis strenue pugnandum ratus, modo leniora, modo fortiora purgantia, interpositis ubivis salibus digestivis amaris, cum radice ari, vincetoxici, inque primis scillae, hinc & baccis iuniperi, & arillis cynosbati, & similibus selectis diureticis alvus quidem citata est, urina vero nunquam inde, nisi pauca & lixiviosa, prodiit. Huius quidem loco & magno adstantium gaudio, nec minori aegrotae spe, sudor per aliquot ex ordine dies & stata hora prodiens, nec sine levamine per aliquot horas profluens, id, quod renum sudore fieri par est, per cutis poros eliminare visus est, sed nullo inde consequente morbi decremento, quin respiratione, cum splendescente demum genitalium tumore, indies difficiliori, accedente & postremo levi delirio, & anxietate praecordiali summa, aegra, medicamentorum aliquamdiu pertaesa, circa aequinoctium autumnale vitam cum morte commutavit.

II. Vir strenuus, LXXVIII. annorum, militiam quondam sectatus, ab anno aetatis sexagesimo vitam otiosam simul & victum plenum ex officii ratione, & ob rerum omnium affluentiam, tanquam praemium laborum quondam exantlatorum, nactus, valetudine plerumque integra, pro aetatis ratione, gavisus, non nisi semel gravissima tussi convulsiva aliquamdiu laboravit, semel & per omnem vitam haemorrhoides apertas & fluentes vidit, V. Sne interim semestri contentus, praeterita aestate in autumnum vergente affectu ascitico tympanitico laborare coepit, malo indies aucto, & respiratione difficili, tussi, siti, ciborum fastidio, pedumque demum & scroti tumore complicato. Inito cum Medicis, exteris quoque, consilio, ob diarrhoeam perpetuam & a levissimo quovis stimulo auctam, non nisi diureticis selectioribus & carminativis locum esse relictum videns, prae reliquis radicem scillae, cum rad. ari & vincetoxici, hinc & salibus digestivis amaris, ipsisque ni-

nitroſis, indeque & ſpec. diaſpolit. Galeni remixtam, identidem exhibui, ſed nauſeam inde perpetuam, ſi non vomitum pituitoſum & bilioſum, cum virium proſtratione cieri animadvertens, mature remedium iſtud heroicum ſepoſui, & benignioribus deinceps magisque uſitatis inhæſi. Acetum vero ſcilliticum, cum ſpiritu ſalis armoniaci fractum, aquis deſtillatis dilutum & ſyrupo edulcoratum, aliunde propoſitum, ad aliquot libras æger hauſit absque incommodo, ſed & absque levamine, æque ac ſpiritum carminat. de tribus; urina craſſa, pauca, cum ſedimento lateritio, eo usque excreta, donec æger, accedente ſopore, ſudore frigido, ſingultu, anxietate præcordiali, alvi obſtructione, abdominis collapſu, pulſu intermittente, rhonchis, aliisque ſymptomatibus, d. XXII. Octobr. ann. præt. diem obiit ſupremum.

III. Vir litteratus XLV. annorum, cælebs, paternam & avitam nominis gloriam improbo labore & indefeſſo ſtudio indies augens, neque a commeſſationibus & honeſtis amicorum conviviis abhorrens, viniquc, præſertim gallici, potui quotidiano indulgens, neque a triſtioribus animi pathematibus prorſus immunis, & crurifragio ante biennium miſero fato obnoxius redditus, quieti invitus & maximo ſui incommodo aliquamdiu deditus, ac acidulis Pyrmontanis, per quatuor fere luſtra ſingulis annis maxima cum euphoria uſurpatis, ultima vice hauſtis, inſolitum quidem & revera nimium ciborum deſiderium, hinc vero brevi deinceps ſudores matutinos, ob labores conſuetos ſubinde turbatos, porro dolores ſcapularum rheumaticos expertus eſt, quibus omnibus, &, quod hiſce longe peius viſum eſt, ſtatim tumori abdominis aſcitico-tympanitico, mature quidem, & circa medium menſ. Oct. anni præter, venæſectione, catharticis & ſelectis carminativis & diureticis, tonicis quoque & roborantibus, varia forma per vices exhibitis obviam eſt itum eumque in finem, præter ſal Anglicum catharticum, reſina Ialappæ in ſpiritu vini ſoluta, ſpiritus carminat. de trib. tinctura antimonii tartariſata, ſuc-

cini, tartari, rad. scillæ, ari, vincetox. cum salibus amaris digestivis & nitrosis, demum & lixivium Mynsichti benedictum, &c. sunt usurpata & aliquamdiu sollicite continuata, drasticis quoque, v. c. cort. med. sambuci, clanculum simul suggestis, neque sine effectu, alvo, urina inde copiose soluta, flatibus sonoris cum levamine excretis, quin &, quod maximum spondere visum est solatium, hæmorrhoidum fluxu per 4. dies ad aliquot libras procedente, sed, quod maxime dolendum, nullum tumoris decrementum, nullum constans morbi levamen affulsit, quin accedente sensim tussi clangosa, respiratione difficillima, ad orthopnœam usque aucta, ciborum fastidio, sopore, pulsu intermittente, demum & penis, non item scroti, tumore, & urina vix guttatim stillante, anxietatibus præcordialibus summis, hæmorrhoidibus cœcis & ultra modum profusis, æger sedens, maximo suorum luctu, & rei litterariæ damno, spiritum Creatori d. XIV. Ian. a. c. redderet.

Ex hisce igitur

COROLLARIA

fluunt sequentia:

1) Motum sanguinis impeditum, & hæmorrhagias sive naturales, sive artificiales, non rite succedentes aut suppressas, malo huic fomitem præbere, aut certe maximum cum eodem alere commercium, id quod experimentum Lowerianum satis vulgatum & primum atque ultimum huius observationis exemplum satis manifesto prodit, ipso quoque secundo ægroto eidem neutiquam adverso existente. Quoad hæmorrhoides apertas, in casu secundo frustraneas, simile fere exemplum exhibent *Acta N. C. Vol. VI. Obs. 60.*

2) Inter remedia, hydropi debellando commoda, nullum facile reperitur radici scillæ comparandum, utpote quæ omnes eius indicationes adimplet, fero per alvum, urinam, quin & per œsophagum & asperam arteriam evacuando accommodatum;

tum; sed, quod summopere dolendum, sapor eiusdem nauseabundus, etiam in minima quantitate & aliis involutus, adeo vehemens & acris est, ut vel a cordatioribus ægrotis vinci nequeat. Hinc remedium illud a secundo ægroto sponte remotum, a primo & tertio constanter repudiatum ad ultimum est, quorum hic ab aceto scillitico, spiritu salis ammoniaci fracto, aquis diluto & syrupo edulcorato, aliquoties adsumto, singularem temulentiam quandam, quasi mero ebrius, expertus est, quin & a pilulis ab initio ab ægro deglutitis postridie nausea & pituitæ exscreatio secuta est molestissima.

3) Sudor quovis modo provocatus, quem *Thom.* Bartholinvs *Cent. IV. Ep. XIV.* omnibus diureticis præfert, in primo subiecto sponte licet proveniens, nullum post se reliquit levamen. Interea negandum non est, hydropicos ad unum omnes ad sudores difficillimos esse, indeque eosdem sponte occurrentes maximum ægris solatium polliceri, modo cetera paria, i. e. viscera fuerint integerrima, aut labis saltem enormis expertia.

Observatio XXX.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Febres soporosæ.

Harum præterita hyeme, vere & æstate aliquot notare licuit exempla, digna præ ceteris visa, quæ hic curatius paulo describantur.

I. Puer XI. annorum ab itinere pedestri, tempore hyemali per copiosas nives instituto, brassica muriatica peregre affatim ingesta, cum aliis dyspeptis, domum redux, vomitu assumtorum perpetuo laborans, & a cathartico assumto, frequenti licet deiectione nihil adiutus, xv. radicis Ipecacuanhæ

granis & aliquot pulveris temperantis digestivi & nitrosi dosibus exhibitis, a vomitu quidem liberatus, languore tamen insolito, æstu ac inprimis sopore perpetuo, pulsu debili & frequenti, hinc & stupore universali & blæsitate accedente, V. Sne, vesicatoriis, aliisque iuxta leges artis frustra adhibitis, æger die ab invasione morbi decimo quarto fatis cessit.

II. Iuvenis XX. annorum, mercaturæ deditus, anno superiore vertigine caduca subito correptus, brevi tamen ab eadem, adiuvante divina gratia, liberatus, circa finem M. Aprilis corripitur doloribus acutis in hypochondrio dextro, cum diarrhœa, nausea & sopore perpetuo. Venæsectione iam adminiſtrata & sanguine limoso educto, ut & cathartico assumto, ob voracitatem prægressam, & lumbricum quondam ingentem excretum, vermium suspicione enata, varia quidem ex præscripto Medici hausit pharmaca, emetica, laxantia, utraque blanda, interpositis temperantibus, digestivis, carminativis, paregoricis, internis & externis, varia sub forma exhibitis, doloribus exquisitis in hypochondrio dextro, cum lassitudine perpetua & summa virium prostratione persistentibus ad diem usque XXI. ab invasione morbi, quo æger motus convulsivos & mentis alienationem summamque virium prostrationem & soporem assiduum expertus; abhinc vero nervinis & analepticis medicamentis diligenter usurpatis sensim, licet tardius & M. Iunio demum adulto, vires cum appetitu recuperavit, doloribus acutis in hypochondrio sensim quoque evanescentibus, vermium vero nihil, quod constet, in conspectum prodiit.

III. Zythopæus 50. fere annorum, prævia refrigeratione corporis nocturna in ædibus cerevisiæ parandæ destinatis, a pane calido affatim comesto cardialgia & similibus symptomatibus dolorificis cum nausea afflictus, a medicamentis absorbentibus & digestivis, hinc & blande & fortius purgantibus, mense Iul. ann. præt. per vices exhibitis, parum adiutus, in-

ineunte menſe Aug. febre lenta ſoporoſa correptus, medicamentis alexipharmacis & diaphoreticis temperatis, cum ſimili regimine, hinc & pectoralibus & nervinis varia forma lege artis exhibitis, accedente motu muſculorum abdominis manifeſto, haud dubio mortis inſtantis indicio, rhonchis, pulſu debili, cum tendinum ſubſultu & delirio interpolato, æger die ab ultima invaſione ſexto diem ſuum obiit.

IV. Puer XI. annor. ex addephagia huic ætati familiari languere cœpit, & per octiduum febre ſoporoſa, cum dolore capitis, alvi adſtrictione, hinc & tuſſi & doloribus lateris punctoriis afflictus exhibitis paucis & blandis diaphoreticis, cum regimine ſimili iniuncto, & addito cathartico, paucorum ſpatio dierum promte & belle convaluit.

Notæ.

Hæc, ſi quid video, eſt vera febrium ſoporoſarum idea, in ægroto inprimis ſecundo & tertio conſpicua, quam ab Hippocrate *Coac. Prænot. I. 48.* his verbis notatam eſſe patet: *Febres ex hypochondriorum dolore malignæ, in his ſopor profundus peſſimum.* Ex hiſce vero verbis, propitia experientia a divo Sene prolatis, qui præcipiti impetu eiusmodi eliciunt concluſionem: Ergo quantocyus, ob metum apoplexiæ proxime adfuturæ, corticis Peruviani potiſſimum uſu ſunt ſupprimendæ! hos alios plane ægrotos, alio morbo laborantes, indigitare, mihi ſaltem probabile videtur. In hiſce certe ægrotis ubique cauſam antecedentem in primis viis quærendam, & repetito evacuantium & digerentium uſu debellandam fuiſſe patet. Et licet morbus binis ſubiectis funeſtus fuerit, ipſa tamen morbi brevitas & acuta periodus antifebrilium uſum contraindicare eſt viſa.

Obſer-

Obſervatio XXXI.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Sapor oris ſalſus.

Saporem in ore a ſaliva, primo ciborum menſtruo, derivandum, hanc vero, ex undis ſanguinis ſalientem, eiusdem indolem quoque referre, apud omnes conſtat, ita tamen, ut cum menſtruo ventriculi proxima cognatione & vicinia ſit iuncta, eiusdem quoque naturam referat, & primæ digeſtionis conditionem patefaciat. In cuius quidem indole curatius indaganda poſt SYLVIUM in *Praxi*, *Theodorus* ZWINGERVS diligenter præ ceteris verſatus eſt, Diſſ. *de Saliva ſana & ægra*, in Faſciculo Differt. cui conferri merentur *H. E.* WEDELII Diſſ. de *Saliva*, Reſp. *H. F.* TEICHMEIERO, & *F.* HOFFMANNI Diſſ. de *neceſſaria Salivæ inſpectione*, Reſp. *I. I.* BAIERO. Singulare vero eſt, illuſtrem hunc virum ſaporem oris corruptum, & ſigillatim ſalſum, a relaxatione glandularum ſalivalium derivare, eidemque balſamum ſuum vitæ interius exteriusque uſurpandum opponere; vid. *Med. Conſult. P. II. Dec. IV. Caſ. I.* & *P. III. Dec. V. Caſ. 6. p. 247.* Id quod ut ſuo loco merito relinquimus, ita virorum clariſſimorum, *I. C.* GOETZII, *I. G.* HOYERI, inque primis MICHELOTTI, qui in his Actis *Vol. II. Obſ. 184. Vol. V. Obſ. 71.* & *Vol. IV. Obſ. 59. 89.* ſaporem corruptum & dulcem ſigillatim ad cauſas ſuas retulerunt, iisdemque convenientem medendi methodum ſuperſtruxerunt, veſtigia ſecuti, conſultum duximus, ſaporem oris ſalſum, pridem notatum, h. l. paulo plenius delineare. Nimirum

Vir LV. annorum, qui admodum iuvenis Celſiſſimum S. R. I. Comitem in itinere per magnam Galliæ partem indivulſo

nexu

nexu eques comitatus, parum penſi habuit, an cibo & potu iuſto tempore aſſumtis, an ſomno & vigiliis debito ſe invicem intervallo excipientibus corpus tot tædiis fractum & delaſſatum reficeretur, genio interdum, vel potius rerum non-naturalium perverſo uſui & diætæ vinoſæ indulgens, hinc eiusdem aliquamdiu cubicularius, nunc ob valetudinem adverſam emeritus, per xv. annos ſapore oris ſalſo, acri, acido & caſeum quaſi putreſcentem referente laborans, cum tuſſi ferina perpetua, maxime nocturna, appetitu tamen ciborum integro, ſed torminibus ventris valde ſimul moleſtis, accedente, poſt levem pandiculationem & membrorum laſſitudinem, horrore, cum inſequente æſtu, ſiti, capitis dolore & ſimilibus ſymptomatibus febrilibus, a variis medicamentis, laxantibus, blandis emeticis, temperantibus, digeſtivis ſalinis, amaris, abſorbentibus, alcalinis, inque primis fuliginis tinctura cum aquis odoratis & alcali ſale parata, cuius forte præſentis iugem uſum ſuaſi, non omiſſis diluentibus & pectoralibus, ſub infuſi theiformis ſchemate exhibitis, ipſisque anodynis lege artis præſcriptis, aliquot dierum lapſu non multum profecit, ſymptomatibus fere omnibus in eodem tramite perſiſtentibus, donec tertia ab ultima invaſione morbi elapſa ſeptimana æger faciem multo quam antea alacriorem præ ſe tulit, cui deinceps ad ſaporem ſalſum penitus expugnandum magneſiam albam, cum ſale cathartico Anglico interpolandam, ut & aquas minerales propter Salinas Rotenbergenſes ſcaturientes & terram calcariam manifeſto foventes, identidem commendavi, ratus ſalſedinem ſalivæ ex acido occulto proficiſci. Æger vero, licet dictis audiens fuerit, ſaporem tamen ſalſum & putridum, tuſſimque ferinam nocturnam usque retinuit, ſaltem per intervalla de iisdem conqueſtus eſt, & biennio abhinc elapſo circa tempus autumnale obiit.

Obſervatio XXXII.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Prolapſus Vaginæ uteri in virgine.

Virgo annoſa, fere ſexagenaria, famæ, quantum conſtat, illibatæ, circa finem menſtrui fluxus ingentes ſæpe grumos ſanguinis, molarum ad inſtar, excernere ſolita, & copioſo ſanguinis per muliebria profluvio, hinc & fluore albo identidem afflicta, vehementis occaſione terroris, indeque concitati urinæ copioſi fluxus, tumorem in orificio pudendi animadvertit, quem ipſa quidem pro abſceſſu habet, ſed vaginæ uteri prolapſum revera adeſſe, & circumſtantiæ ſuadent, & eventus docuit. Præter interna enim congrua remedia, infuſum nempe theiforme ex herb. matriſylv. millefol. flor. hyperic. &c. conſtans, pilulasque mercuriales purgantes & balſamicas aperientes aſſumtas, unde cum ingenti hæmorrhagia uterina notabilis vermium copia alvo excreta eſt, ſacculos ex floribus chamomill. & ſambuc. in lacte primum, hinc & vino coquendos applicari, tumorem vero per XIV. fere dies propendentem, adeoque induratum, iisdem emollitum, manu obſtetricis reponendum, idque aliquoties, malo nimirum repullulante, repetendum curavi, eo cum effectu, ut ægra ſenſim & accedente victu & ſitu corporis commodo, quieti animi & corporis indulgens, a moleſtiſſimo iſto malo liberata nunc pro ratione vitæ generis pancratice ætatem tranſigat.

SCHOLIVM.

Prolapſum vaginæ uteri ipſo uteri prolapſu longe eſſe frequentiorem, & a partu difficili, & manuali in eadem obſtetricis operatione, aut ſaltem quavis violentia externa, partibus

bus his delicatis vim inferre apta, proficiſci, fœminasque adeo partu non omnino laborioſo, licet frequenti defunctas, tanto magis ſteriles, & præ reliquis haud maritatas virginesque ab eodem plerumque immunes degere, ipſo rerum uſu conſtat, neque vero præſente in caſu quod magnopere offendat, aut deterioris cuiusdam ſuſpicionis anſam ſuggerat, reperiet quisquis ad hæmorrhagiam uteri & fluorem inprimis album antecedentem, & fibras vaginæ relaxantem, & vitæ genus otioſum, ſedentarium, animique vim commotionum ſollicite attenderit. Equidem hac occaſione innotuit, fœminam quandam maritatam, ſed hactenus improlem, ancillam quoque quandam annoſam & non maritatam, honeſtæ ſatis aut illibatæ famæ, eodem malo aliquamdiu conflictatam eſſe. Singularis vero excreſcentia in vagina uteri a prægreſſo diuturno fluore albo enata & infelici Chirurgi manu, una cum ægræ vita & ſanguine, exſtirpata, quam D. *Io. G. de* Boettticher in *Actis N. C. Volum. VIII. Obſ. IV.* enarravit & *Vol. X. obſ. C.* totidem fere verbis repetiit, noſtræ quidem quadantenus analoga videtur, ſed tamen, quia in maritata fœmina eſt notata, multum ab ipſa differt; noſtræ autem ægrotæ tantum profuit, ut eandem fuſiori eius enarratione a manuali operatione, ferro perficienda, quam tanto anhelavit opere, vix ac ne vix quidem coërcere licuerit.

Observatio XXXIII.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Trepanatio in osse tibiæ feliciter & cum fructu administrata.

Trepanationem operationem heroicam chirurgicam, & solis fere ossibus cranii hactenus destinatam omnes norunt, aliis vero corporis humani ossibus aut fractis, aut alio modo læsis eandem quoque applicari aut posse, aut debere, vix ac ne vix quidem alicubi traditum occurrit. Equidem *Elias* CAMERARIVS *Syst. Cautel. med. p. 563.*, inquit, (de DIONYSIO ipsi sermo est, quem introspicere nunc nec vacat nec licet,) se vidisse trepanum sterno, at sine fructu admotum; cavebit sane quivis prudentior sibi a perforando hac ratione temere sterno; eratque hæc non minus, quam costarum instituenda per trepanum perforatio reiicienda. Præter hæc ne γρὺ quidem de trepano aliis præter cranium corporis humani ossibus admovendo, in monumentis Chirurgorum, sedulo idcirco evolutis, offendere licuit; quid vero rerum usus docuerit, sequens loquitur casus.

Puer XII. annorum hyberno tempore, ut puerilibus moribus solenne est, in glacie & medias inter nives, lusum inter & iocum crus dextrum contusione vehementer lædit, id quod cum domum redux dissimulare studet, a patre, motus impotentiam animadvertente, vehementer increpatus, quin & verberibus & ictibus in loco affecto exceptus, ad cariem usque tibiæ & ulcera tribus in locis aperta malum exacerbatum sensit, quod Chirurgis uno pluribus, artis suæ minus gnaris, commissum, per aliquot annos varia fortuna tractatum, nunquam vero in integrum restitutum est. Rogatus idcirco, visitatione facta fragmentum vacillans in interiore & poste-

posteriore ossis tibiæ parte animadvertens, orificium ulceris superioris cum inferiori, quibus invicem conspirantibus liquores siphone iniecti ex altero in alterum, transitum invenerunt, sectione longitudinali uniendum, hinc vero tibiam, periostio denudatam, applicato trepano, id quod duabus vicibus factum, perforandam Chirurgis suasi, quæ quidem omnia me præsente, spectantibus pluribus, absque insigni incommodo, absque notabili hæmorrhagia, eo eventu sunt peracta, ut, facta altera trepanatione, ex foramine nunc satis aperto frustum ossis ex interiori ossis tibiæ lamina integrum, mediante forcipe depromi a Chirurgo potuerit, cui id, quod in illustris Præsidis *Miscellaneis physico-medico-mathematicis; Ann. 1729. p. 99.* icone expressum extat, tanquam ovum ovo simile est. Hoc vero facto ulcus illud rebelle lege artis tractatum sensim, licet tardius & non sine internorum ope remediorum, ad consolidationem perfectam perductum est.

Observatio XXXIV.

DN. D. IOANNIS HERMANNI FVRSTENAV.

Abscessus in femore.

Miles XX. annorum, prævio dolore ischiadico & hinc exorto tuberculo in regione lumbari dextra, eoque mollientibus & discutientibus tractato, tandemque aperto, magna ichoris vi inde profluente, febre quoque tertiana aliquamdiu vexatus, cum valetudine in gratiam redire visus, mense Maio anni præter. ad exercitia militaria accedens, femora modo in dextrum, modo in sinistrum latus subito convertere coactus, omnia in deterius iterum vergere expertus est, & cavitatem insignem sinuosam sursum & deorsum in femoris sinistri parte

ſuperiori poſtica formari deprehendit, accedente inprimis ex improviſo & deligatione vix lege artis peracta, ingenti hæmorrhagia, nullis vaſis maioribus læſis, adeoque pro excretione vicaria hæmorrhoidali, aut ei ſimili qualibet naturæ avtocratica merito habenda. Unde rogatus deinceps per aliquot menſes deligationi quotidie interfui, & præter interna temperantia, laxantia & vulneraria, exterius quoque aquam calcis vivæ, decocto vulnerario permixtam, iniiciendam curavi. Tumori quoque & dolori abdominis circa umbilicum, & difficili ac parciori urinæ excretioni & ſimilis farinæ ſymptomatibus ſubinde intercurrentibus debitis remediis occurri. Ulcus vero ipſum modo dilatatum, modo compreſſum, modo carnis notabili parte ademta, hæmorrhagia etiam ſpontanea ſubinde revertente, tandem poſt ſex menſium ſpatium coaluit, ut æger menſe demum Octobri excubias iterum agere valuerit, in hunc usque diem vitam lætus ſanusque, militum more, tranſigens.

Scholivm.

Similem fere caſum in Studioſo obſervavit, eleganter deſcripſit & locum affectum icone expreſſit, noſtro ut ovum ovo ſimili, ſi paucorum digitorum diſtantiam excipias, moram etiam & tempus, quod duorum fere menſium ſpatio noſtrum antevertit, illuſtris Medicus *Godofredus* Klavnigivs, *in Noſocomio Charitatis Hiſtoria XX.*

(*Rintelio Halam miſſæ d. 19. Iul. 1754.*)

Obſervatio XXXV.

DN. D. RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL.

Ex diarrhœa in varioloſis quædam præſagia.

Succurrit mihi ſingularis eaque frequens admodum in varioloſis obſervatio, quæ dum neminem adhuc eius rationem accurate habuiſſe puto, non plane indigna erit memoratu; præſertim, cum qualicunque mea experientia vindice, quantum ad præſagitionem, multum omnino in ea ſit poſitum. Scilicet, dum exitum variolarum, tam ſalubrium, quam inſalubrium ponderavi, atque quidquid phænomenorum in utroque caſu ſeſe obtulit, mutuo comparavi, veriſſime mihi conſtitit, eſſe inter hæc aliquod, cuius indoles morbum recte determinaret. Atque hoc nomine mihi venit alvi deiectio. Non eſt, ut memorem, eam non ſemper variolis, præcipue ad integritatem ducere ſolitis, ſeſe addere; etſi in omnium, inuita tamen mea experientia, initiis adeſſe eam complures contendant. Hoc ſaltem moneo, eam, ſi adſit, modo ſtatim a primis morbi diebus inde comparere, modo intra eius decurſum, tuncque tantum non ſemper die undecimo accedere. Igitur, quoties exitum variolarum ſub tali ſtatu contemplatus ſum, toties mihi ſemper compertum eſt, omnes varioloſos, tam, qui nullis deiectionibus tentati, quam qui a primo inde morbi die ad undecimum usque illis laborarunt, evaſiſſe; niſi quod priores, morbo ſuperato, ſi ipſis confluentes ſcilicet vel copioſæ ſaltem fuerint puſtulæ, metaſtaſibus per abſceſſus ſuppuratorios, in articulis conſpicuos, tentati fuerint: contra, quibus deiectiones ab undecimo inde die demum contigerint, omnes ac ſingulos internecioni eſſe datos; diebus quidem incertis, vel duodecimo, vel decimo tertio, vel quarto & decimo. Quid igitur præſagii de exitu variolarum in ge-

genere formandum sit, id omne vel hoc unico signo, a deiectionibus, & quidem earundem, quo incidunt, tempore petito stabiliri posse censeo. Attendant ad hanc rem alii imposterum, me ingeniosiores, eamque, sive confirmata iis obvenerit, sive minus, nobiscum in *novis* his *Actis physico-medicis* communicent. Iuuat enim quam maxime, ut *Prosperi* ALPINI dictione utar, Medicos, in morbis acutis exitialibusque, qui præcognitam futuram ægrotantium mortem, ubi adsidentibus prædixerint, mortis culpa plane vacare solent, ægrotosque audito prognostico, non Medicorum culpa, sed morborum vi interemtos, adsidentes iudicant. Quodsi vero exitium non prædixerint, ipsorum aut ignorantiæ, aut negligentiæ mortem omnes adscribant, interiisseque Medicorum causa pro certo habent.

(*Gœttinga Halam missa d.* 20. *Augusti.* 1754.)

Observatio XXXVI.

DN. D. FRANCISCI LACROIX BOISSIER de SAVVAGES.

Anatomico-hydraulicæ Observationes de arteriarum pulsatione.

Licet arteriarum diameter diversa sit pro ætatis, staturæ, imo temperamenti diversitate, attamen ut statura media inter adultos referri potest, ita & arteriæ aortæ iuxta cor media diameter pro adultis potest bono animo determinari, qua semel assignata cæterorum ramorum, huic proportione satis accurate respondentium, capacitas ex anatomicis saltem respectiva facile deducitur.

Aorta vero nullam habet diametrum, nisi quam vires sanguinis, ipsam dilatando, possunt impertire; verum mire di-

diverſæ ſunt cordis vires in ſtatu debillimo, fortiſſimo & medio ſeu ſano: ergo diverſæ ſunt in eodem homine, vel ægro, vel ſano, arteriarum earundem ſectiones. In cadavere aortæ ultra valvulas & citra ſubclaviam dextram menſuratæ circumferentia eſt utplurimum 32. linearum, minor in iunioribus & proceris, amplior in ſenibus & corpulentis; hinc lumen in cadavere 80. lineas quadratas adæquat. Verum in ſtatu ſano cum ſanguis eam diducit eadem vi, ac diduceret ſi ex 16. pollicum altitudine in eam delaberetur, eius lumen 126. 6 lineas vel pollicem Anglicum adtingit, eiusque diameter tunc temporis eſt 12. linearum & 7. decimal. ſeu 12. 7. ac circumferentia 40. lin. Circumferentiæ vero producuntur in ratione ſubduplicata virium eas extendentium, unde, iuxta experimenta ſæpius inſtituta, poſſum aſſerere, lumina aortæ & aliorum vaſorum intra limites vitæ creſcere vel decreſcere in ratione preſſionis, quam eorum parietes a ſanguine experiuntur.

Pulſatio eſt ea ſubitanea in arteriis dilatatio, quæ in explorantis digitos aut corpora vicina incurrit, & earum pulſationum ſeries *pulſus* eſt. Arteria itaque non pulſat plus vel minus pro ratione ſui nativi luminis, ſed pro incremento maiori, vel minori ſuæ ſectionis transverſæ, quæ quidem diductio poteſt eſſe exigua, licet arteria magna ſit, aut magna, in arteria licet minori.

Arteriæ non ideo pulſant, quia ſanguis intra illas progreditur, ſiquidem dum nulla etiam in ſyncope percipitur pulſatio, datur tamen, debilis licet, quædam circulatio; ſed ideo pulſant, quia impetus ſanguinis in illas a corde proiecti verſus earum parietes reflectitur, quod non fieret in canali cylindrico, multo minus in conico extrorſum divergente, ſi nullæ forent anterius oppoſitæ reſiſtentiæ. Ergo impetus ſanguinis a corde proiecti in baſin columnæ anterioris ideo extrorſum in parietes reflectitur, quia reſiſtentiam ex parte illius experitur.

Sit receptaculum, cuius altitudo *a. b*, *Tab. III. Fig. 2.* aqua plenum usque ad *a*, in cuius fundo ſit canalis *m. n. o.* cylindricus. Si huic canali aptetur tubulus vitreus *n. x*, quem aqua, per m. n. transfluens libere ſubire queat, tunc aqua, prout altius intra hunc tubulum aſcendit, preſſionem in parietes canalis maiorem repræſentat; ſi vero nullatenus tubulum ſubeat, liquido patet, aquam transfluentem nullatenus agere ſaltem ſuperne in canalis parietem, cum, qua proportione in eum nititur, ipſum ſubire debeat.

Notum eſt ex hydraulicis, velocitatem fluidi per tubum *m.* prodeuntis, ſi nulla ſit in tractu huius ductus retardario, eſſe radici altitudinis prementis *a.* proportionalem; ſi vero in ductu *m. o.* quavis de cauſa ipſi reſiſtatur, tunc fluidum in ingreſſu *m.* tubi poſitum eandem habere velocitatem *virtualem*, verum tanto minori velocitate *actuali* gaudere, quo reſiſtentiæ radix maior fuerit.

Cum tubus *m. n.* ſit cylindricus, velocitas fluidi per orificium eiusdem diametri *o.* effluentis omnino æqualis eſt velocitati virtuali in ingreſſu *m.* accedentis, adeoque cum pari paſſu procedat columna fluidi antecedens, ac poteſt procedere ſubſequens, velocitas virtualis nullatenus eſt impedita, nec in antecedentem columnam poteſt agere ſubſequens: duo ſiquidem corpora, utcunque contigua, non agunt in ſe invicem, ſi communi velocitate ferantur; agunt tantummodo quia velocitas virtualis ſubſequentis eſt maior velocitati actuali antecedentis, ſeu quia datur, ut aiunt mechanici, *velocitas reſpectiva*, quæ eſt differentia velocitatum. Quantitas autem actionis æſtimatur ex quadrato velocitatis reſpectivæ, ſeu quadrato exceſſus velocitatis virtualis ſupra actualem. Sit velocitas virtualis fluidi in *m*, qualis ex altitudine 15. pedum labendo acquiritur 30. pedum intra ſecundum temporis, velocitas vero actualis ſit 8. pollicum, quæ debetur lapſui ex altitudine 1, 066. pollic. tunc quadratum velocitatis reſpectivæ

ctivæ est ut excessus altitudinis 15. pedum supra altitudinem 1. 066. pollic. nam illæ altitudines sunt ut velocitatum harum quadrata, ille excessus est 13934. decimal. ped.

Iam vero cum pressio in latera tubi tanto maior sit, quo quadratum velocitatis virtualis excedit quadratum velocitatis actualis, & ille excessus sit ad altitudinem aquæ in receptaculo ut 13. ped. & 0. 934. ad 15 pedes, altitudo, ad quam aqua ascendet intra tubulum *n. x.* erit ad altitudinem aquæ in receptaculo ut 13. ped. 934. ad 15. Si vero altitudo aquæ in receptaculo sit dimidio minor ut 7. 5. pedum, pressio vero in tubulo, qualis a penitus obturato orificio *o.* totalis exsurgat, tunc altitudo aquæ in tubulo erit tanta, quanta est altitudo aquæ in receptaculo, pressioque licet dimidio minor quam in præcedenti casu, erit tamen respectu ad vires aquam urgentes, quantum fieri potest, maxima seu totalis.

Inde sequitur, pressionem lateralem vasorum 1) esse ceteris paribus tanto maiorem, quo maior est vis, qua cor sanguinem in arterias impellit, ut maior est in athletico corpore, quam in debili; 2) quo minor est quadrata velocitas actualis sanguinis in arteriis, sub eadem data velocitate virtuali: sic si sanguis ex arteria tusa possit exilire ad altitudinem septem pedum, seu fluere horizontaliter cum velocitate 20 pedum, & tamen actu intra arterias reconditus fluat tantum cum velocitate 5. pollicum, ut fluit in statu sano per aortam, eius velocitatis actualis quadratum est ut 1. 066. pollic. adeoque pressio lateralis est 82. 934. pollicum. Hinc sequitur, actionem sanguinis in latera vasorum crescere pari passu, ac crescunt vires cordis, ut in vigore febris acutæ, morbi inflammatorii, accessu iracundiæ, cursu violento; atque sub eadem vi cordis crescere, si ligentur arteriæ, si obstruantur a viscoso, si constringantur a spasmo; 3) at multo magis intendi, si utraque simul causa unitis viribus concurrat. Pressio vasorum a

sanguine alia est constans & continua, alia interpolata: constans est in venis, sed exigua, ita ut sanguis intra tubulum verticalem, adulti venæ crurali aptatum, vix ascenderet ad 7. pollices; maior in arteriis, ita ut ex hæmastaticis experimentis duodecies altius sanguis ascenderet, seu ad 7. pedes gallicos.

Illa autem pressio continua pendet ex eo, quod sanguinis columna, a sinistro corde protrusa, resistentiam experiatur ex parte columnæ antecedentis 1) ob eius longitudinem, adeoque inertiam & gravitatem; 2) ex eius continua ampliatione, aut successiva, quæ ipsi respondet, sanguinis in vasis, potissimum in ramis retardatione; 3) ex viscositate cruoris, quia eius moleculæ tam sibi invicem, quam ipsis vasis adhærent. Dum enim sibi invicem illæ adhærent, sic non sine dispendio virium cordis possunt scindi in minores columellas, quæ sigillatim arteriolarum ostia subeant; dum adhærent vasis istæ moleculæ, sic veluti crustæ vasorum cavitatem imminuunt, nec possunt velociter impelli, quin simul impellantur vasa, quibus agglutinantur, unde maius dispendium: atqui illa resistentia proportione respondet superficiebus internis vasorum, quæ superficies in truncis est omnium minima, in ramis minoribus sensim maior est, in minimis omnium maxima; in longioribus, seu a corde remotius procedentibus, maior, &c. Ex his itaque omnibus causis coniunctis retardatur cruor seu accidit ut velocitas actualis sit virtuali multoties minor, unde vasorum pressio maior evadit; nec a vero multum aberravero, si adseram, velocitatem actualem in aorta hominis robusti esse ad virtualem ut 8 pollices ad 20 pedes, ut 1 ad 30. Deficiente hac pressione, quæ cordis vi contractivæ debetur, deficiente, inquam, cum mortem obit animal, illico aorta antrorsum complanatur vi elastici loramenti, quod eius partem anticam operit a curvatura ad iliacas; quod summa vi elastica præditum continuo nititur ad eam complanandam; unde post mor-

mortem cruor in arteriolas expellitur, inde in venas, in quibus cumulatur; interea vi adhæſionis, qua pollent omnes tubi capillares, ad attrahendá fluida ſpecifice ſibi ipſis non graviora, cruor in arteriolis & venulis ex maiusculis arteriis attractus retinetur.

Altera vero preſſio eſt alternata, quæ reſpondet alternis cordis in cruore expellendo niſibus: Cum enim eadem perſtet aut minuatur velocitas actualis ſanguinis in arteriis præexiſtentis, dum corde contracto nova columna cum impetu intra ipſas profertur, fit ut velocitas virtualis huius ſanguinis arterias ingredientis ſit multo maior velocitate actuali ſanguinis præexiſtentis, unde colliſio.

Ea eſt fluidorum omnium indoles, ut compreſſa quoquoverſum æqualiter reagant, hinc a ſolidis diſcrepant; aſt cum cruor e corde proiectus velocitate debita totis cordis viribus impetit cruorem in arteriis ceſpitantem; neceſſum eſt ut agat in ipſum (reactio vero æqualis eſt actioni); ergo cruor in arteriis præexiſtens, totaque eius columna arterioſa, qua late patet, ſimul & in oculi nictu colliſa quoquoverſum renititur: hæc quidem inſtantanea preſſionis propagatio non obtineret, ſi cruor foret fluidum compreſſibile, ſeu quod in minus ſpatium redigi ſe pateretur a preſſione mechanica; verum illud in cruore & aqua non obſervatur, unde omnino mechanice condenſari non poteſt, docente experimento a me aliquoties inſtituto. Arteriarum in ſyſtole conſtitutarum parietes iuxta axin ſunt eo magis rectilinei, quo magis contracti ſunt proprio elatere. Nam prius extrorſum flexi a ſanguine intruſo extrorſum curvam ſequebantur, cuius concavitas axin vaſis reſpiciebat, nunc fibræ longitudinales reſtitutæ, ſuique iuris factæ, lineam breviſſimam, ſeu rectam affectant.

Verum, docente Dn. Varignon, in mechanicis vel minima vis ſufficit ad inflectendam chordam, quantacumque potentia in rectum extenſam, preſſio vero lateralis ſanguinis

nititur ad fibras arteriæ longitudinales extrorsum flectendas, & finita est hæc vis, seu non infinite exigua: ergo a pressione laterali sanguinis a corde eiecti & cum tota columna communicata, totam arteriam extrorsum & in quamvis peripheriæ differentiam diduci necessum est. Contracto denique corde clauditur sanguinis eiecti rivulus, clauduntur valvulæ, unde cum nullatenus pone urgeatur columna, vi cordis in ipsam agere cessante, illico vis premens sanguinis in arteriæ parietes cessat aut minuitur; hinc cessat arteriarum diastole, quæ eo maior facta fuit, quo vis sanguinis eiecti maior, adeoque maior eius moles, simulque maius velocitatis quadratum, (nam vires fluidorum vivæ sunt ut moles in velocitatum quadrata ductæ,) nec non quo maior erat ex parte antecedentis cruoris resistentia.

Arteriæ sunt admodum elasticæ, vidi enim arteriam, 3. pollices longam, auctis sensim ponderibus appensis eousque productam, ut duplo seipsa longior evaserit, dein sibi relictam pristinam omnino trium pollicum longitudinem recuperasse; tanta autem erat eius tenacitas, ut fibra lineam quadratam crassa ducentas libras appensas antequam rumpebatur, sustineret.

Arteriæ per diastolem extensæ numquam data eadem vi extendente restituerentur; ast statim atque vis extendens minuitur aut evanescit, in pristinum statum sese restituere illico nituntur; hinc arteriarum systole, diastolen protinus excipiens.

Ast hic non exigua sese offert difficultas, plurimis cognita, a nemine, quantum novi, hactenus resoluta, ex cuius tamen resolutione tota pendet pulsationis theoria: cur scilicet, dum arteriæ pulsant, venæ ipsis continuæ & quæ ab iis nomine & directione tenus tantum discrepant, non pulsent? Directio quidem nil facit discriminis, cum arteriæ mammariæ & epigastricæ versus cor reflecti videantur, ut minimæ venæ,

&

& tamen pulsant. Forte, aiet quispiam, id discriminis ab elasticitate, quæ maior est in arteriis, minor vero in venis, repetendum est. Verum minimæ etiam arteriæ pulsant, ut arteriolæ tunicæ retinæ, (quod ex rete parietem album & colluſtratum alternis vicibus obscurante, dum ipsum parietem oculis fixis inspicio & pulsum in carpo exploro, mihi innotuit,) præterea venæ in equo & bove non pulsant, dum arteriæ in agno & mure micant: ergo discrimen ab elasticitate repetendum non est.

Sunt, qui contendunt, pulsare venam cavam; verum præterquam quod in sectionibus vivorum animalium motus spasmodici cordis possunt sanguinem in cavam retropellere, unde quædam pulsatio anomala exsurgeret, de qua hic non agitur, haud dubie illi non distinxerunt satis a pulsatione eam alternam venæ cavæ complanationem, quæ singulis inspirationibus accidit, quam sequitur nova distensio exspirationi superveniens, & hi motus a pulsatione multum discrepant: ast, si aiunt, etiam venas, tum quæ in manibus, tum quæ in brachio sunt, insensibiliter pulsare, vanum est subterfugium, cum quod in sensus non cadit, nec abunde probatur, pro nullo in physicis habeatur, ac demum quæritur, cur nullo sensu venarum tum minorum, tum maiorum in statu sano percipiatur pulsatio?

Quod difficultatem auget, est, quod cum arteriæ diastolen patiuntur, sanguis maiori velocitate & maiori mole propter viam adauctam eas subeat, unde videtur ipsum in venulas continuas eo tempore uberius impellendum esse velociusque, quam tempore systoles, unde necessario sequeretur venarum pulsatio, quæ tamen nulla est. Ut autem dilucide exponam pro viribus, quare nulla sit in venis pulsatio, liceat præmittere principia ad phænomeni explicationem profutura.

Venæ quidem non pulsant, utcunque flexibiliores sint arteriis, hoc evincit autopsia; cum autem continuæ sint arteriis, do-

docente anatome, necessum est eas tempore, quo cor contrahitur, parem sanguinis copiam aut sanguinem eadem & uniformi velocitate recipere, sicuti dum cor dilatatur; nam si nunc velocius, nunc tardius in ipsas sanguis flueret, daretur collisio alternata sanguinis velocius iniecti contra antecedentem tardius promotum, unde diductio parietum subita seu pulsatio.

Si itaque inveniri possit ratio mechanica, cur sanguis ultimas arteriolas præteriens uniformi velocitate, tum tempore systoles, tum tempore diastoles cordis, venulas subeat, dabitur evidenter ratio, cur venæ non pulsent. Nec enim sufficit ad pulsationem, ut velocitas diversis in locis successivis inæqualis sit; nam etiamsi canalis venosus eundo decresceret, adeoque velocitas antecedentis velocitatem subsequentis superaret, nil tamen aliud exinde sequeretur, nisi quod nulla fieret subsequentis in antecedentem actio, ut norunt mechanici; ergo nulla pulsatio. Ast si velocitas decresceret eundo in diversis successive locis, nulla inde pulsatio, quia hoc decrementum omni tempore constans est, non alternatum ut ad pulsationem requiritur. Fac enim, vas continuo distendi a velocius appellente fluido, tunc vas dilatatum constanter ibi loci remanebit & non pulsabit alternis vicibus, ut arteriæ.

Requiritur itaque ad pulsationem, ut in eodem loco, eodemque tempore alternis vicibus fluidum subsequens impetat antecedentem tardius properantem aut hærentem humorem, adeoque ipsum ad latera vasis diffluere cogat, iterumque remittat, & sic successive.

Itaque mihi demonstrandum incumbit, quod hæc alternata fluxus inæqualitas in eodem arteriæ loco & in singulis simul eius locis solum obtineat; ast statim, atque iuxta circulationis iter quam remotissime a corde discessit sanguis, ibi cessat omnis illa inæqualitas, & velocitas uniformis in quovis loco tum per diastolen, tum per systolen cordis evadit.

Arte-

Arterioſus ductus, ſive indiviſus, ſive ramoſus ſpectetur, creſcit eundo a cordis ſiniſtro thalamo usque ad ultimos aortæ fines, docente anatomia. Si eius ductus ante primam diviſionem lumen ſit 10000 partium, illud poſt primam ramificationem, ſumptis utriusque ſimul rami luminibus duobus, eſt partium 10274. hi duo rami ampliores ſunt quatuor ramis tertii ordinis in eadem ratione, ſicuti ramos octo quarti ordinis ipſi tantumdem capacitate ſuperant, & ſic deinceps.

Cum autem a ſimultanea eius ductus dilatatione non eousque mutetur illius capacitas, ut via cylindrica aut in trunco æque ampla ac in ramis evadat, evidens eſt ex legibus hydraulices, & ex eo, quod æqualis in qualibet ſectione transeat ſanguinis copia, velocitatem etiam in diaſtole continuo decreſcere, prout a corde receditur. Cum autem decrementa fiant in ratione diametrorum creſcentium duplicata, patet inde illud velocitatis decrementum fieri ſecundum progreſſionem geometricam. Verum omnis progreſſio geometrica, cuius primus terminus ſit *a*, denominator *m*, poteſt hac formula repræſentari:

$$ma \quad m^2a, \quad m^3a, \quad m^4a, \quad \& \quad m^5a.$$

Sic itaque decreſcit eundo per ipſam arteriæ diaſtolen velocitas ſanguinis illam præterfluentis, ut ſi ſit primus terminus 25. ſecundus 16. & dabitur ſequens progreſſus

25. 16. 9. 4. 1.

Iam vero in ſyſtole velocitas ſanguinis arterias præterfluentis eundo creſcit pari paſſu, ac in diaſtole decreſcit eundo, quod probandum incumbit. Sit canalis cylindricus *Tab. III. Fig. 3. a b c d.* ita contractilis, ut fibris circularibus abbreviatis ſimul in tota longitudine tubus anguſtior evadat & mutetur in tubum *e b c f.* ſi canalis foret utrimque apertus, pars fluidi in loco evaneſcente *a e f d*, partim per orificium arctatum *f c*, partim per orificium ſimiliter arctatum *e b*, in partes oppoſitas elaberetur, reſiduum nulla vi preſſum immotum remaneret.

Verum si alterutrum orificium ut *a b.* sit omnino clausum & tamen tubus ut antea angustetur, tunc temporis, cum tubus aqua plenus supponatur, necessum est molem aquæ in loco evanescente *a e i g.* per orificium *i b.* effluere, quod fieri non potest, cum aqua sit incompressibilis, nisi similis moles ipsi locum cedens ex tubo *g h c d.* coarctato simul per orificium *f c.* excedat. Verum cum supponamus tubum totum simul contrahi, quo tempore moles aquæ *a e f d.* effluit per *f c*, similis moles *g i f d.* ex eodem orificio *f c.* effluere cogitur, adeoque una moles per orificium seu sectionem *i b.* transfluit, cum dupla per sectionem ipsi æqualem *c f.* foras amandatur: ergo moles transfluens per sectiones tanto maior est, quo sectiones ab extremo obturato remotiores sunt; sed velocitates sunt ut moles fluidi transfluentes, cum sectiones æquales sunt, & tempora fluxuum eadem: ergo velocitates fluidi per diversas sectiones tubi cylindrici simul coarctati & inde clausi crescunt eundo, prout a loco clauso recedunt. Iam vero sit tubus conicus *Tab. III. Fig. 4.* divergens, pariter aqua plenus, in A B obturatus, in *d c.* apertus, qui simul coarctetur in tota sua longitudine æqualiter vel inæqualiter, seu ita, ut contractio versus *A B.* sit profundior, quam versus *d c.* in ratione sectionum inversa, dico velocitatem etiam eundo auctum iri, modo diametri non crescant pari proportione ac crescunt quadrata distantiarum e loco obturato, sed in minori ratione, ut arterias crescere notavimus.

Quod ut evincam, ostendendum est, quantitatem per orificium *c f.* eodem tempore transfluentem crescere in maiori ratione respectu ipsius orificii, quam quantitas per sectionem *I H.* fluens respectu sui. Velocitates fluidorum, per diversas sectiones fluentium, sunt ut quantitates, quæ has sectiones eodem tempore transfluunt, divisæ per ipsas illas, quas prætereunt, sectiones; si itaque sectiones non increscant ita ac illæ

illæ quantitates, velocitates crescere necessum est, quod ita probatur.

Pars coni *A B H e.* similis est parti coni *H E C d.* ut pars coni arctati *e B H I.* similis est cono truncato *I H C f.* ergo cum æquales sint longitudines *B H, H C.* quantitas in priori contenta est ad quantitatem in posteriori ut sectio *H I.* ad sectionem *c f.* seu ut bases. Sit basis maior talis, quæ non superet duplo basin minorem, quantitas tamen fluidi, eodem tempore orificium *C f.* maius transeuntis, erit dupla illius, quæ sectionem *H I.* minorem præterfluit; seu quantitas fluidi, orificium remotius a fundo clauso prætereuntis, erit maior respectu huius sectionis: ergo velocitas crescet eundo.

Cum autem arteriæ per systolen simul ubique contrahantur, nec ad duplam a corde distantiam dupla, ad triplam tripla sit ductus totius arterioſi sectio, sequitur, velocitatem sanguinis, clauso per valvulas cordis orificio arterioso, eundo crescere, quod probandum susceperam.

Iam vero incrementa velocitatum, quæ fiunt secundum diametrorum quadrata, sequuntur in vasis conicis progressionem geometricam; ergo velocitatis incrementa per arteriarum systolen possunt ea formula qua prius, sed inversa, repræsentari.

m^5a	m^4a	m^3a	m^2a	m^1a
m^1a	m^2a	m^3a	m^4a	m^5a

Si sint duæ progressiones, altera recta, altera inversa, cæterum eædem iuxta se positæ, quarum una velocitates crescentes, altera decrescentes referat, ubi termini erunt inæquales differentia erit velocitatum:

25.	16.	9.	4.	1.
1.	4.	9.	16.	25.

Prima series repræsentat velocitatem sanguinis in initio aortæ, sed simul designat ibi velocitatem in diastole esse

omnium maximam; in systole secundæ seriei primus terminus designat ibi velocitatem esse minimam. Ast cum 16. minus differat a 4. quam 25. ab 1. ambæ series ostendunt, differentiam velocitatis sanguinis inter diastolen sensim minui, dum a corde receditur.

Sed in medio progressionis utriusque necessario idem hinc & inde terminus debet occurrere 9. & 9. ut ex progressionum essentia sequitur, & ductus sanguinei dimidium a corde ad partes intensi & a partibus ad cor revertentis est præcise in externis arteriolis & venulis incipientibus; æqualiter etenim distant ab extremis progressionis, ductum sanguiferum arterioso-venosum referentis; ergo in extremis præcise arteriolis, ubi ad cor redire incipiunt, desinit omnis inæqualitas inter velocitates sanguinis tempore diastoles & tempore systoles cordis prius observata. Verum ubi desinit differentia velocitatum, in eodem loco velocitas utroque tempore sibi similis est seu uniformis; cum autem alicubi eadem est velocitas tempore systoles, ac tempore diastoles, sanguis tempore systoles cordis procedens non potest agere in sanguinem obvium eadem velocitate præcedentem: & ubi nulla actio respectiva, nulla collisio, nullaque proinde in extremis arteriolis potest esse pulsatio cum ad finem deventum est. Iam vero cum sanguis venas præterfluens pari velocitate feratur tempore diastoles & tempore systoles, nulla est ratio, cur alternis vicibus subsequens agat in antecedentem &, si non agat, venas pulsare iuxta rhythmum pulsationis cordis est impossibile. Ergo venas pulsare a vi sanguinis subsequentis a corde proiecti, ut arteriæ pulsant, impossibile est, quod erat ostendendum.

Inde sequitur, quantitatem sanguinis, a corde singulis contractionibus eius eiectam in arteriam, in duas partes dividi posse æquales, quarum altera arteriis dilatandis impenditur, altera eodem tempore in venas transmittitur, modo tamen

men ſupponamus, tempus diaſtoles eſſe æquale tempori ſyſtoles; cum enim uniformis ſit in venis ſanguinis velocitas, tantum ſanguinis uno tempore, quantum altero, ipſas ingreditur; cumque earum diameter ſit conſtans, hinc quantitas iniecta ſimili velocitate eſt ut tempus. Ergo ſi tempora ſint æqualia, æquales ſunt quantitates iniectæ. Sed ſi tempus diaſtole arteriarum impenſum ſit tertia pars temporis inter duas pulſationes elapſi, tunc quantitas, quæ tempore ſyſtoles arteriarum, utpote duplo, in venas effunditur, dupla eſt illius, quæ per diaſtolen ipſas ſubit. Sed quantitas, quæ tempore ſyſtoles arteriarum in venas immittitur, ea ipſa erat in arteriis dilatandis impenſa: ergo in ea hypotheſi Keilliana quantitas ſanguinis arterias diſtendens dupla foret illius, quæ ſimul in venulas transmittitur.

(*Monſpelio Halam miſſæ d. 24. Octobr. 1754.*)

Obſervatio XXXVII.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Sectio anatomica phthiſici mictum cruentum ſæpius experti, tandem iſchuria ex ſpasmis & inflammatione mortui, cum brevi huius morbi epicriſi.

Mercator & Logographus vectigalium Vratislavienſis meritiſſimus, cognomine *Roll*, fœcundo vivens in matrimonio, per duodecim iam iam annos laboraverat phthiſi, eoque temporis ſpatio materiam purulentam continuo cum tuſſi vehementi reiecerat, ſimul & per duos annos uniusque dimidiam partem mictu cruento cum dyſuria afflictus fuerat. Sub his inprimis ultimis ſymptomatibus neque calculi, neque arenulæ, neque ſabulum prodibant, ſed interdum albus mucus,

sive pituita, cum lotio simul excernebatur. Nulla hactenus perceperat molimina hæmorrhoidalia, excepta levi aliquando vasorum talium inturgescentia, quæ tamen adhibitis congruis externis remediis brevi iterum discussa fuit. Hic ergo aliis vivens, vitaque variis fortunæ, diversorumque morborum telis exposita fruens, bina vice scarificatione, itidemque duplici per annum venæsectione fuit usus, ad quam speciatim multis persuasionibus, arduis precibus, solidisve commovebatur argumentis: ultima harum ex binis sectio ob cephalalgiam gravem ante quatuor & viginti, & quod excurrit, instituta fuit annos, sed hæc infausto peracta erat omine, dum ex terrore motus sequebantur convulsivi. Decembri mense anni huius seculi quinquagesimi in difficilem periculosumque incidebat morbum, cui in progressu accedens hectica febris, & tumor genitalium ingens, Medici præsertim expoſcebat consilium, cuius ope, idoneisque adhibitis medicamentis mitigabatur febris, tumor discussus profligabatur, ægerque ad tempus ex morbo convalescebat. Verum enim vero latebat anguis in herba, siquidem postea viribus exhaustus, hecticaque superveniente consumtus, licet mane negotiis incumberet publicis, satisque adhuc tolerabilia essent symptomata, die tamen decimo sexto Februarii anni MDCCLI. horum omnium sequebatur exacerbatio, cuius pediſſequa totalis lotii erat retentio, quæ ad nonum nychthemerum, scilicet ad ultimum perdurabat vitæ halitum, pluries licet reiterata catheteris applicatione, obſervato pariter regimine convenientiſſimo, medicamentisque externis & internis optimis in auxilium vocatis. Ultimis huius morbi temporibus abdomen quadantenus, præsertim dextro in latere, tumefactum conſpiciebatur cum duritie quadam admodum dolorifica, maxime sub levi etiam contrectatione. Scroti quoque superficies maius, quam alias expoſcit natura, implebat spatium, ast hic tumor paucorum dierum intervallo, applicatis externis medicamen-

mentis, evanescebat, hæcque pars ad naturalem suam redibat magnitudinem. Tandem ultimis morbi diebus sopor simul continuus superveniebat, mens vero interim semper sana viresque animi integræ manebant, exceptis paucis ante beatam analysin horis, quibus mens vacillabat ægerque ex morbo delirabat, quam tragœdiam dein terminabant oris & artuum spasmi convulsivi, mortem ipsam die xxv. Februarii, anno ætatis sexagesimo octavo inferentes.

Quoniam ergo hic morbus, notatu satis dignus, penitiorem non immerito requirere videbatur indagationem, pro eruenda vera causa dolorificorum illorum symptomatum; hinc, consensu cognatorum privata instituta fuit corporis obductio; quam operam suscipiebat Chirurgus peritissimus, Dn. Schvltz, Assessor Collegii Medici Vratislaviensis, præsentibus cognatis, & Medico defuncti ordinario, Dn. D. Emmerich, meque ultimis morbi temporibus adhuc in auxilium vocato.

Externe itaque abdomen tumefactum & lividum deprehendebatur, totaque dorsi regio sanguine quasi suffusa comparebat; latus sinistrum abdominis molle erat, dextrum autem duritiem, in regione præsertim hypogastrica, monstrabat, quo in loco, ultimis morbi diebus, dolores sentiebat vehementes; mentulam sphacelus, scrotumque ingens occupabat inflammatio. Perlustratis partibus externis, abdomine aperto sequentia fuerunt observata:

Peritonæum ut & ipsa intestina flatibus admodum turgida, iam iam in putredinem vergebant. Omentum quoque corruptum & quibusdam in locis ita contritum comparebat, ut quasi in pultem abiisse videretur: Eodem modo comparatum erat mesenterium, cuius omnes fere glandulæ admodum tumefactæ & scirrhosæ conspiciebantur, inprimis autem una illarum, in mesocolo sita, maxime indurata & in molem insignem, renis fere magnitudinem & figuram æquantem, expansa erat.

Ex

Ex inteſtinis præcipue colon una cum cœco inſignem monſtrabat inflammationem, ſingulaque in iisdem vaſa ſanguifera adeo turgida comparebant, ac ſi cera rubra artificioſe eſſent repleta. Rectum inteſtinum nihil præternaturale monſtrabat, præterquam quod duris repletum eſſet ſcybalis. Sic & ventriculus, una cum hepate, naturaliter erat conſtitutus; lien autem admodum parvus & exiguus deprehendebatur. Ren ſiniſter eiusque ureter, quoad in- & externam ſubſtantiam rite erant comparati; dexter autem non ſolum illo minor, ſed & prorſus exſanguis & albicans erat, adinſtar carnis frequenti ablutione ab omni ſanguine liberatæ. Ureter huius ſuperiori in parte admodum dilatatus & amplificatus vacuus, & in infima parte circa veſicam ſecundum longitudinem contortus apparebat; vaſa eius emulgentia omni ſanguine deſtituta, tunicæque illorum inflammatæ erant; de reliquo nec ulcus, nec pus, nec calculus, nec ſabulum in eodem offendebantur, omnes autem partes ei vicinæ inflammatæ, & quædam ſphacelo corruptæ erant. Veſica urinaria admodum expanſa, totaque lotio repleta erat, tunicæ autem eius deprehendebantur craſſæ, duræ & quaſi ſcirrhoſæ, coloris tamen naturalis; vaſa ſanguifera, fundum perreptantia, ſumme erant turgida & infarcta, totumque collum inflammatum; interne, circa ſphincterem, carnea occurrebat excreſcentia fibroſa, quæ quaſi mediante ligamento cohærebat cum veſica, huiusque beneficio ad integri pollicis magnitudinem in cavitatem veſicæ, verſus eius fundum, absque ullo colli motu retrahi poterat; extrema huius excreſcentiæ ſuperficies muco albo, tenaci & viſcido obducta erat, qui & in ſubſtantiæ eius fibroſæ interſtitia penetraverat. Tandem etiam aperiebatur pectus, in cuius dextro latere pulmonum lobus coſtis, cæterisque partibus vicinis undiquaque adhærebat, & una cum ſiniſtro molliſſimus & flaccidus, externeque multis punctis rubris notatus conſpiciebatur. Facta in utroque lobo

in-

incisione, materia profluebat purulenta; nullæ vero aderant vomicæ, sed pus undiquaque per totam diffusum erat substantiam.

Phthisicum ergo fuisse hunc defunctum nemo negavit, cum sputum purulentum, ultimis vitæ annis cum tussi reiectum, ipsaque post mortem notata prava pulmonum constitutio abunde huius morbi præsentiam confirmaverit. Quod vero mictum cruentum & dolorificam lotii excretionem attinet, de his ipse æger & plerique in auxilium vocati Medici & Chirurgi unanimiter iudicarunt, quod a calculo, vel in renibus, vel in vesica, aut in utrisque simul hærente dependeant. Cum autem neque calculus, neque sabulum unquam fuerit excretum, neque catheter pluribus vicibus applicatus illius præsentiam ullo modo manifestaret, hinc alii mictum hunc cruentum pro vicaria habuerunt excretione hæmorrhoidali, præsertim cum aliqua ad huncce fluxum tendentia olim in defuncto notata fuerint molimina, varioque iam prostent observationes, dicta hæc confirmantes, veluti apud *Philippum* HOECHSTETTERVM in *Observ. Dec. I. Cas. II. p. 8.* & in *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VIII. Obs. 23*, ut propriam meam non adducam experientiam. Culter autem anatomicus has coniecturas refutavit, & aperte demonstravit, mictum illum cruentum tanquam hæmorrhagiam renum considerandum esse, dum sanguinis copia nimium accumulata per vasa emulgentia cum impetu profluxit, quod tempestive instituta & repetita venæsectione si non præservari & tolli, tamen facile mitigari potuisset malum, ad quam vero repetendam, postquam binis illis recensitis vicibus celebrata fuit, nunquam persuadere quispiam defunctum potuit, quemadmodum etiam ultimis morbi temporibus, ob summam debilitatem & alias causas sonticas, nullo modo amplius commendanda erat.

Dysuriæ autem, & quæ ultimo hanc excepit, ischuriæ caussam præcipuam haud dubie constituit excrescentia illa

carnea, in vesica reperta, orificium eiusdem occupans & plenarie tandem obturans, unde primo per hanc urina saltem lente percolata, tandemque, sub maiore illius incremento prorsus retenta fuit. Quod autem Chirurgus vocatus, de cuius dexteritate & industria nemo dubitat, facta licet accurata & legitima catheteris applicatione, urinæ excretionem provocare non potuerit, his maxime causis tribuendum erit, quod vel nulla tunc in vesica præsto fuerit urina, vel excrescentia e ligamento propendens, cum instrumento in cavitatem vesicæ absque effectu subsequentis effluxus intrusa fuerit, quia orificium vesicæ ab ea fuit obturatum, vel etiam spasmi tunc vigentes partim secretionem urinæ in sinistro rene, naturaliter adhuc constituto impediverint, partim in dextro rene secretam diutius postmodum in superiori & ampliori ureteris regione retardaverint, unde demum, his remittentibus, illa liberius & copiosius in vesicam transiit, ibidemque ob prædictum impedimentum coacervata fuit.

(*Wratislavia Halam missa d. 10. Novemb. 1754.*)

Observatio XXXVIII.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Rhachitis congenita, atque Hermaphroditi rumor.

Mense nupero Augusti rustica, atrabilaria, absoluto tempore parit gemellos feliciter. Alter corpore rite constructus, at debilis, adhuc supersest: alter morbosæ conformationis, quam verbis depicturus iam sum, decem modo, inter vagitus, vivebat dies. Multo rogatu obtinui licentiam inspiciundi saltim proxima noctu emortuum. Iudicavi corpusculum, a violentiæ vel putredinis vitio integrum, tres ulnæ

Fran-

Francofurtenſis quadras forte longitudine æquare, ceteroquin tenue, lanugine longa obſitum, maxime in facie, & vere rhachiticum: caput quippe in proportione ad reliquas partes iuſto maius erat, & in occipite tuberoſum; facies veriſſime repræſentabat eam, quæ eſt decrepetis ſenibus (*wie ein ſtein-alt Mænngen, oder Weibgen*); pectore a lateribus quaſi compreſſo, coſtæ, in cartilaginum locis nodoſæ, ad collum emergebant prope, obliquo itinere, ita ut dextræ ſiniſtris eſſent altiores, ſterno ſimul prominentiore; abdomen adparebat inſigniter tumefactum; cuncti at corporis muſculi emaciati, laxa cincti cute; notabilis videbatur protuberantia epiphyſium ad iuncturas radii, ulnæ, genu, tibiæ, fibulæ, cum ſpinæ, dictorumque oſſium incurvatione, & latitudinis intuitu augmento; os iſchium ſiniſtrum dextro altius ſedebat, pedemque idcirco dextrum, lævo longiorem, metiebatur manus, absque femoris ſiniſtri noſcenda luxatione aut fractura, nec ulla ad hos locos inflammatione tumiditateque conſpicua. En! rhachitidem connatam. Extremum pedem dextrum ſimul animadvertere contigit, tribus modo inſtructum digitis, cum perone articulatum eſſe, tibia, integumentis munita communibus, mediam extrorſum ab ea vergente unciam, ſupra cuius inferiorem extremitatem pollex pedis hærebat.

Præter cuncta hæc memorata, ſingulari caſu, umbilicus binos latos ſupra pubem figebatur digitos; mox infra hunc apertura erat ovalis, crucigeri magnitudine, qua lac caſeoſum, ex bile ſublutei ibat coloris; hanc protinus ſubſequebatur anus, ſeu recti finis, ex craſſitie ſeu carnoſitate præ aliis noſcendi inteſtinis, prolapſus atque inverſus; infra eundem (cuncta recta linea) ſtatim hærebat penis, impervius, una cum glande & præputio, in medio quaſi acutiſſimo cultello fiſſus, & ad latera reclinatus, cum hoc ſiniſtrorſum ac dextrorſum pendulo, frenulum tamen habens tenſum, licet ſubtilius, nexum debite erat ſcrotum, bene magnum, ſed

testiculis vacuum; ani sedem minor quædam fovea supplebat cœca. Percurioſus quum essem, rimandi interiora, obstabat interdictio, qua tamen sepositа paullulum, festinantius & clanculum cultro experiebar iuuante: *a)* aperturam, qua lac ferebatur coagulatum, in ileum penetrare, peritonæo agglutinatum; *b)* hepar grandissimum, vesicula instructum debitæ magnitudinis, felleque repleta diluto, utrumque occupare hypochondrium; *c)* dextrum renem, bene magnum, arctius septo cohærere transverso: lævum autem, intestino recto adiacentem, vacuo quidem, uretere in idem finiri; *d)* nec vesicam adesse urinariam, nec testiculos in inguine latitare absconditos, *e)* ventriculum permagnum, cum intestinorum plurimo volumine, flatibus turgere; *f)* vasa sanguifera infimi ventris collapsa, parum habere purpuræ; *g)* rectum, quod superius ex structura tale agnoscebam, vere idem esse ipsissimum. Cupidus porro dum essem ulterius inquirendi, deposcebatur, proh dolor! corpusculum, laboreque, mihi iucundissimo, abstinere cogebar. Pro hermaphrodito habebatur puellus a mulierculis & vulgo omni. Etiam iterumque doleo, quin indignor, ruri defuisse, qui delinearet observata, rusticamque superstitionem utiles ruditer denegasse ausus.

Observatio XXXIX.

DN. D. LVDOVICI GODOFREDI KLEIN.

Cervi atque ferini capri cornua exempli rarioris.

De Cervo singularium cornuum in *Tentaminis physicomedici de Aëre, aqua & locis agri Erbacensis atque Breubergensis, p. 66.* inieci mentionem. Haud multo post interimebatur iste sclopeti globo a venatore, libras CCC. pondere habens Noricas. Erat, infrequenti casu, vere tricornis, his-

hisque armis ſpecioſus & ſplendidus, prout icon *Tab. III. Fig. 5.* docet, & quodlibet cornu ſingulatim ſuam habebat originem, quam artis termino, *die Roſe*, dicunt.

Proinde etiam occurrebat ferus, ſive ſylvaticus, caper, cuius binæ cornuum binorum origines, non cotidiano exemplo, propagines habebant octo, ſermone venaturæ peritis ſollemni aiunt: *ein Rehbock von acht Enden.* Illuſtrationis gratia figuram adiicio *Tab. III. Fig. 6.*

(*Erbaco Halam miſſæ d. 22. Novemb. 1754.*)

Obſervatio XL.

DN. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

De

Uteri ſtrangulatu.

Sequiorem ſexum vel propter peculiarem & nativam διαθεσιν, vel etiam organorum quorumdam, ad conceptionem, geſtationem, partum, atque lactationem facientium intuitu, non gravioribus ſolum, ſed a virorum quoque ægritudinibus plane diverſis Morbonæ divexari cruciatibus, propalam conſtat inter omnes.

Etenim egregia forma illud præcellens genus, extra graviditatis ſtatum, vel propter menſium ataxias, vel propter liquoris genitalis turgeſcentiam, atque iterum prægnans, dira iſta mala, ab hac operis gravitate prodeuntia, patitur omnia; unde etiam DEMOCRITVS, Abderitanus Philoſophus, mulieris uterum, των εν γυναικι μοχθων μυριων παραιτιην, *millenorum malorum* recte pronunciavit *cauſam*, Epiſt. ad HIPPOCRATEM, *de natura humana.*

Inter fatalem istam malorum congeriem, in gravissimum & non infrequens illud symptoma, *uteri strangulatio* dictum, inquirere, curam insumsimus.

Enimvero ut rem ipsam ab ovo, quod dicunt, exordiamur, in eiusque quidditate indaganda a notiore ad abstrusioris cognitionem provehamur, de vocis mali huius truculentissimi explicatione pauca prælibare, scientifica postulat scribendi methodus.

Quod igitur ad ονοματολογιαν attinet, sonticum illud malum, de quo impræsentiarum verba sumus facturi, sine dubio parti affectæ suam adscribit prosapiam, atque latinis *uterina* dicitur *suffocatio;* quia nimirum, præter reliqua symptomata ex utero provenientia, spiritum vel summe difficilem, vel penitus habet præclusum, atque solo fere hoc impedito respirationis negotio, tanquam per præcipuum, & magis in sensus incurrens symptoma sæpe cognoscitur.

Circa vocis huius ambitum etiamnum adnotari poterit, quod adfectus noster, απο της υστερας και πνιγματος, πνιγος υστερικος Græcis soleat insigniri. Etenim vocabulum πνιγμα vel πνιγος *præfocatio*, *suffocatio* atque *suppressio* audit, & non raro de calore æstivo, nos veluti suffocante, usurpatur. Nomen vero υστερας, a voce υστερος, *posterus*, *sequens*, & *inferior*, habemus derivatum; quatenus nimirum uterus, sive matrix, inter reliqua abdominis viscera, si non accurate, tamen κατα πλατος, posterum atque ultimum occupat locum; conf. *Casp.* Bavhini, *Institut. anatom. pag. 83.* item Sorini elegantissimus *de Utero* liber. Hinc ergo, inde desumta denominatione, partim a symptomate principali, nimirum suffocatione, i. e. faucium præclusione, partim a loco adfecto, utero scilicet, *hysterica*, *seu uterina* dicitur suffocatio.

Neotericorum quorundam opinionibus inhærentes, uterum hic culpa prorsus vacuum putant, atque a primaria parte adfecta, hypochondriis nimirum, *suffocationem* vocant *hypochon-*

chondriacam; conf. *Paulus* BARBETTE in *Prax. Lib. I. p. 215.* Synecdochica vero elocutione, genere poſito pro ſpecie, *uteri cruciatus, Alexandro* BENEDICTO, *Lib. 10. Pract. Cap. 10.* item *hyſterica paſſio, anhelitus interceptio,* & HELMONTIO, Lib. de aſthmate & tuſſi, *aſthma muliebre* nuncupatur; immo etiam ſpagyricis, quatenus videlicet δυσιατον malum non raro deprehenditur, *Herculeus,* atque iterum *matricis caducus morbus* dicitur; SENNERTVS *Prax. Lib. I. Cap. 31. pag. 2.*

Prælibata hac vocis enucleatione, ad ipſa etiam rei penetralia accedere, eiusque ideam tradere exactam, recepta exigit ſcribendi ratio. Uteri itaque ſtrangulatus voce, convulſivam uteri membranarum contractionem, qua ſimul vicinæ corporis partes in conſenſum trahuntur, omnesque actiones animales & vitales graviter læduntur, acceptum volumus.

Utriusque ſexus homines ſyncoptici, apoplectici & epileptici, iisdem fere caſibus, hunc noſtrum adfectum concomitantibus, iactantur iniquis; HOECHSTETTER *Dec. IV. Caſ. 23. pag. 385.* BARTHOLINVS *Hiſt. anatom. 45. Cent. I.* WILLISIVS *de morbo convulſivo Cap. 5. Obſ. 6. pag. 77.* atque hypochondriacum malum ab hyſterica paſſione non multum diſcrepare, præter HIGHMORVM, de *Paſſione hyſterica,* teſtantur auctores practici etiam alii. Tamen iisdem non obſtantibus, ætatis & conditionis omnis virgines ac mulieres, gravidas & non gravidas, vetulas & iuniores, quas uteri ſtrangulatu infeſtari, proprie poſſumus dicere, unicum & genuinum denominationis ſubiectum conſtituere arguimus.

Quemadmodum uterus, communis noſtra hoſpita domus, HIPPOCRATE teſte: τα γυναικεια νοσευματα τα καλεομενα αι υστεραι παντων των νοσηματων αιτιαι εισιν, morborum mulieribus obvenientium plerorumque mater exiſtit fœcunda; *de morb. mulier Lib. II. Cap. 1.* ita etiam adfectus noſtri primarium

rium inhæsionis, vel quod dicunt, radicationis subiectum, in utero collocandum esse censemus.

Uteri strangulatum non ab utero, sed a sanguine nimis elastico & flatulento, intra cordis ventriculos & vasa pulmonalia, incarcerato, scaturiginem sumere, primus effinxit HIGHMORVS *l. c. Cap. III.* Ab animalibus vero spiritibus, pravo consortio coinquinatis, nervorum cerebralium principia prævertentibus, morbi huius causam deducere conatur WILLISIVS *de morb. convulſ. Cap. IV. pag. 92. Cap. VI. pag. 195.* SENNERTVS, RIOLANI auctoritate deceptus, uteri testes, & tubas Fallopianas, quas partes hysterica passione extinctarum, humore vitiato & corrupto turgidas deprehendit, primarium adfectus huius subiectum pronunciat. *Prax. L. IV. Part. 2. Sect. III. Cap. IV.* RIOLANI *Anthropograph. Lib. 2. Cap. 34.*

Ast enim in circumscribendo adfectus huius subiecto, si in schola Medicorum receptam illam divisionem, qua nimirum inter adfectum idiopathicum & symptomaticum solent distinguere, advertimus, primario & radicaliter ab utero (*Casp. a* REIES *Qu. 46. p. 562.* ROLFINCCIVS *Ord. & method. Med. consult. Lib. IV. Conſ. 4. pag. 402.*) malum illud triste, variisque symptomatibus stipatum, consurgit; secundario vero non istæ partes tantum, secundum quas sexus ignobilior a nobiliore discrepat, ad morbi hocce genus calamitosum conspirant, sed, teste HARVEO *Exercitat. de Partu, pag. 352.* partes etiam reliquæ corporis, cum utero consensum habentes aliqualem, intestina, ventriculus, diaphragma, pulmones, cor, fauces atque cerebrum eadem contractione spasmodica pessime afficiuntur.

Ex ipsa vero hac plerarumque corporis partium affectione consensuali, quam passim abunde testantur auctores practici, (per mammarias enim & epigastricas venas *uteri cum mammis consensum* ostendit *Casp. a* REIES Qu. 46. pag. 242. 266.

266. 268. 270. 271. *huiusque cum capite ſympathiam indicat* BARTHOLINVS Cent. 3. Epiſt. 14. *ex uteri conſenſu inſultus convulſivos* notat WELSCHIVS Hecatoſt. II. Obſ. 45. pag. 26. HORSTIVS Obſ. ſingul. Part. 2. Lib. I. pag. 81. *cum faucibus & labiis conſenſum* adducit RIEDLINVS Cur. med. 170. 434. Lin. med. Ann. VI. m. Dec. Obſ. 4. pag. 1001.) numeroſa ſæpiusque confuſa ſymptomatum, paroxyſmum antecedentium, concomitantium, vel tranſientem indicantium, turba enaſcitur.

Sic ita contractiones inteſtinorum ſpasmodicæ, & hinc inde a flatuum contentorum exagitatione producti borborygmi, dolores colici, (BINNINGER *Cent. III. Obſ. 52.* GABELCHOVER *Cent. Cur. 51.*) oſcitationes, pandiculationes, nauſea, ructus, & interdum vomitus, pallor faciei, capitis dolor, cordis atque artuum tremor, animi angor, uteri denique cum ſenſu ponderis globoſi aſcenſus ad ſuperiora, iuxta FERNELIVM *Geneanthr. Lib. IV. Tr. I. Cap. 10. pag. 434.* paroxyſmum hyſtericum deſignat ingruentem.

Quo vero magis dicta iſta ſymptomata ingraveſcunt, atque alia acerbiora in conſortium trahunt, hoſtem illum infenſiſſimum non præ foris ſtare amplius, ſed ad intima penetralia iamiam eſſe ingreſſum, habemus perſuaſum.

Hoc enim morbi ſtadio, actionum animalium & vitalium non modo torpor, (ſic enim paſſionem hyſtericam cum ſtupore partium relatam legimus *Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. II. Obſ. 170.*) ſed notabilis etiam læſio immo & abolitio obſervabitur. Motus uteri ſpaſtici, ſi in extremis ſeſe exerunt, inſultus epileptici, quos *epilepſiam* dicunt *uterinam*, haud raro exoriuntur, (ſicuti ex uteri conſenſuali affectione convulſivos inſultus obſervavit HORSTIVS, *Singul. Obſ. Part. II. Lib. 14. pag. 81.*) atque oculi cum hac ſymptomatum ferocitate contorquentur, dentes ſtrident, & cum partium vicinarum læſione graviter committuntur.

Ubi vero malum cursu petit superiora, viscerum, quæ infestat, actiones offendit, easdemque turbat. Ad præcordia ascendens, in perenni motu constitutæ musculosæ cordis machinæ obsistit, illamque prohibet, quo minus per reliqua corporis membra humorem purpureum, atque etiam calorem vitalem debite spargere queat; unde *asphyxia*, extremorum totiusque corporis refrigeratio, lipothymica & syncoptica constitutio, sub qua sæpe mulieres tali morbo correptæ pro mortuis fuerunt habitæ, unice pendet.

Ad gulam denique superiorem si obrepserit, musculorum thoracis & diaphragmatis motus graviter læditur, facies, strangulatorum instar tumens, colore suffunditur rubro, & respirationis negotium, a faucibus penitus intercluſis, difficile maximeque turbatum redditur, atque illud symptoma morbi huius pathognomonicum constituit signum.

Hactenus dictis symptomatibus paulatim & successive remittentibus, defatigatæ oculos iterum aperiunt, & e somno profundo quasi excusso suspiria edunt anxia; respiratio, cum intellectus, reliquarumque actionum recursu, iterum evadit libera; intestina sonitum concitant adhuc ventosum, & placatus denique uterus humorem plus minusve stillat copiosum.

Licet autem impotentiæ actiones naturales exercendi istæ recensitæ, in subiecto non semper præsto sint omni; tamen adfectum nostrum indefinitam symptomatum congeriem constituere, multisque aliis morbis cognatione esse coniunctum, liquido apparet. Atque ita in sanando, ne recti tramitis inscii, vel incerti aberremus, quænam inter morbum ipsum, & adfectus cum illo cognatos intercedat differentia, disquirere, operæ omnino erit pretium.

Equidem uterina suffocatio gravem vitalium actionum læsionem semper habet coniunctam; in eo tamen a syncope maxime differt, quod hæc derepente & ex improviso, illa vero

vero ſucceſſive, atque aliis ſymptomatibus præcedentibus, ſuam ordinarie ludat tragœdiam. Proinde etiam ſyncope citiorem, vel ad ſalutem, vel ad mortem habet tranſitum, neque etiam notabilem ſervat typum; hyſtericæ vero ſtrangulationis paroxyſmus longe diutius durat, atque intenſionem remiſſionemque exhibet magis conſpicuas.

Porro etiam hyſtericam ſtrangulationem ſæpius convulſivis motibus ſtipatam deprehendimus; ab epilepſia ergo diſtinguitur, quod in illa, idiopathice invadente, ſtatarium quid obſervetur, in hac vero, gradu multum vehementiore, & ſymptomatice utplurimum infeſtante, inſtabili, vagum atque reciprocum quid ſeſe manifeſtet. Licet autem negari non poſſit, morbum utrumque ita implicari & complicari ſæpius, ut ita connexi etiam difficillime ſint diſtinguendi; ſola tamen hæc uteri ſuffocatio, absque convulſivorum motuum conſortio, ægrotantes fœminas haud ita graviter corripit; multo minus easdem actutum in terram proſternit; oculi non contorquentur; ſpuma, ut in epilepſia, non ante os apparet, neque etiam membrorum concuſſionem habet ſociam.

In morbo ſic dicto attonito, perinde ut in hyſterica paſſione, præter læſionem actionum animalium & vitalium graviſſimam, etiam ſpiritus difficulter trahitur, immo plane interdum abolitus eſt. Enim vero apoplexia ab hyſterica ſuffocatione eo diſcernitur, quod illa derepente, hæc autem ſucceſſive inſultus ſuos formet. In apoplecticis ſenſus deficit omnis; hyſtericæ vero excitatæ percipiunt, manuum geſticulatione atque colli apprehenſione vocis iter præcluſum eſſe indigitant, & ceſſante paroxyſmo præteritorum facile recordantur.

Conſtitutione ſyncoptica vehementius urgente, hyſtericas pro exanimatis & ſepeliendis eſſe habitas, præter *Alexandrum* Benedictvm *de Curationibus morborum Lib. IV. Cap. 9. pag. 369*, *Diomed.* Cornarvm *Hiſtor. admir. 15. p. 48*,

Ambrosium PARAEVM *Chirurg. Lib. 23. Cap. 46. pag. 530. Lib. 24. Cap. 19. pag. 569, Alb.* BOTTON *de morb. mulier. Cap. 44. Ioann.* IONSTONVM *Class. X. Thaumatogr. Cap. 7. Artic. 7. pag. 492.* observationum scriptores adhuc alii exempla recensent innumera.

Propterea ne hystericas φαινομενως demortuas pro αληθως seu vere talibus habeamus, auctores practici varia inquirendi & explorandi auxilia commendata habent. Sic PRAEVOTIVS, Patavinus Medicus celeberrimus, vesicantia coxis applicare suadet, quæ si vesicam excitaverint, de vita superstite spem sibi concipit. RIVERIUS tabaci fumum, naribus immissum, cito citius excitare posse, sibi imaginatur. Alii vero sternutatoria penetrantiora, ex pipere, rad. pyrethri, & hellebori albi parata, hystericarum naribus iubent insufflare. *Simon* PAULI *Quadrip. Botan. p. 201.* allium dissectum libidinis conchæ intrudere hortatur. Alii atque iterum alii, pilos e pudendis extrahendos esse volunt. ZACUTUS *Lusitanus Lib. II. Prax. admirand. Obs. 85.* FORESTUS *Lib. VIII. Obs. XXV. & XXVI. &* FONSECA *Lib. II. Cons. XXXIII.* hystericas forti præcipue vulvæ apprehensione a morte reducendas esse, affirmant; atque præter laudatos auctores, GABELCHOVERUS *Centur. IV. Curat. 95.* genitalium partium frictione resuscitatæ exemplum notatu digniſſimum adducit. Quoniam vero hactenus dicta omnia sæpius vanis successibus adhibentur, ob id *Ioannes* VARANDAEUS, Monspelienſis Professor, ex AVINCENNA, hystericas per 72. horarum spatium inhumatas servare præcipit, intra quam temporis intercapedinem omnium humorum motum, eumque reciprocum, a centro ad circumferentiam penitus absolvi, &, si calor naturalis tunc cum vita omnino evanuerit, corporum aliqualem fœtorem percipi posse opinatur, *Tract. de morb. mulier. Cap. VI. pag. 126.*

Probe

Probe igitur perſpectis, tam imminentis, quam præſentis, & tranſientis morbi huius ſignis diagnoſticis, etiam quæ adflictis futura ſoleant accidere, prægnoſcamus. Uterque vero ſalutis & mortis eventus, pro ratione ſubiecti, ſymptomatum, atque etiam cauſſarum differentia, variat, maximeque diſtinguitur.

Hic adfectus noſter licet per ſe, ſuaque natura, neque ad mortem, neque ad ſalutem vergat ſemper, ſed potius ἐνδοιαστος ſit nuncupandus; tamen de illo generatim moneri poterit, quod uterus idiopathice divexatus plus periculi portendat, quam ſi ab aliis partibus malum illi fuerit communicatum.

Quo vero plures partes in conſenſum trahuntur, eo quoque graviora oriuntur ſymptomata, ex quorum pluralitate vel ferocitate, præcipue ſi a partium nobiliorum, & ad vitalitatem maxime neceſſariarum obſeſſione ſuborta fuerint, exitus ambiguus, & utplurimum funeſtus præſagiri debet.

Gravioribus iſtis ſymptomatibus adſcribuntur, in *epilepſiam* ſic dictam *uterinam* metaſchematiſmus, *aſphyxia*, *lipothymia*, *ſyncope* & ex his *apoplexia* interdum conſurgens; vid. FORESTUS *Lib. XXVIII. Obſ. 29.* & PLATERVS *Obſerv. pag. 187.* immo etiam reſpiratio prope in totum cohibita; quæ ſingula, cum reliquarum actionum animalium depravatione, tam vehementer ita ſæpius urgent, ut etiam vivæ pro mortuis habitæ ac ſepultæ fuerint; cuius præter FORESTUM *Lib. VIII. Obſ. 27 & 29*, atque SENNERTUM *Prax. Lib. IV. p. 289.* SALMUTHUS *Centur. II. Hiſtor. 86 & 87.* exempla recenſet plane peculiaria.

Quomodo vero uteri ſtrangulatione decumbentes, per aliquot dierum ſpatium, absque ullo reſpirationis negotio, in vita perſiſtere queant, SYLVIUS his indicat verbis: *Nulla*, inquit, *tunc eſt inſpirati aëris neceſſitas, ob nullum in cordis ventriculo dextro excitatum notabile ſanguinis incendium,*

nullam eiusdem contingentem rarefactionem notabilem: quocirca nulla indiget tunc sanguinis æstus temperatione, quia haud expanduntur valde, irritanturve aliter ad sui contractionem, in tali adfectu, cordis ventriculi; unde tunc deficit necessario pulsus ad sensum. Prax. med. Lib. I. Cap. 22. §. I.

Intuitu subiectorum, communiter fœminæ utero gerentes, propter abortus metum, itemque puerperæ, propter lochiorum suppressionem, virginibus multo periculosius hoc morbo premuntur. In iuvenili autem ætate adhuc constitutis hic adfectus non idem periculum quod ætate provectis, portendit; illis enim, utpote parere incipientibus, cum lochiorum profluvio sæpius malum evanescit; in his vero, præcipue si cacochymicam constitutionem habeant coniunctam, atque menstruorum fluxus iam emanserit, raro, vel saltem difficillime curatio perfecta obtinetur.

Diversas denique morbi huius causas si perpendimus, a liquoris genitalis regurgitatione, vel a diutina mensium suppressione pendens uteri strangulatio, teste *Duncano* Liddelio *Art. med. Lib. III. pag. 40.* longe deterior, gravioribusque symptomatibus stipata semper deprehenditur, quam quæ ab humorum corruptione, causisque producitur aliis.

Prisci temporis Medici vaporem malignum, ex utero ad reliquas corporis partes elevatum, & materiam in utero peculiari modo corruptam, ad adfectum nostrum proxime concurrere suspicabantur. Sylvius, eiusque sectatores, pancreatis acido præter naturam acescenti, effervescenti, atque sanguinis massam coagulanti, passionis huius natales adscribunt.

Highmorvs, & qui eum sequuntur, hunc nostrum adfectum, tot symptomatibus complicatum, a seroso & flatulento sanguine, intra cordis & pulmonum vasa incarcerato & effervescente, deducunt. Etenim pulmonibus, a sanguine coacervato nimium gravatis, septum etiam transversum munere

nere ſuo non rite perfungitur. Ab utriusque vero viſceris huius motu intercepto, cordis ſinus, a ſanguinis irruentis copia, mala & difficilis depletio pendet.

Nos potius cum WILLISIO *de Morb. convulſ. Cap. IV. pag. 165.* hunc noſtrum morbum ad convulſivos & ſpasmodicos adfectus referimus, eumque ab uteri membranarum ſpaſtica contractione, vicinas partes in conſenſum trahente, immediate deducimus.

Itaque iſtam uteri membranarum, partiumque affinium, contractionem convulſivam, vitioſi humores in utero corrupti, liquor nimirum genitalis, vel ſanguis etiam menſtruus, non debito lunari tempore excretus, tanquam cauſæ mediatæ proximiores, poſſunt producere. Conf. GABELCHOVERUS, *Cent. IV. Obſ. 95.*

Etenim utrumque humidum, propter expultricem facultatem debiliorem, vel ex quacunque alia cauſa, intra vaſa uterina remoratum, acorem facile contrahit; hinc vaſa atque parietes uteri ad contractionem ita ſtimulat, ut regurgitare, atque ſanguini reliquo iterum amandari cogatur.

In maiora vaſa ita rece tus humor, & a naturali ſua conſtitutione admodum deflectens, rorem cruentum etiam reliquum ſua contaminat pravitate; cuius corruptelæ viſcera quoque nobiliora, & illa inter ſtomachum inprimis, partem capere haud mediocrem, ex neceſſitate ſequitur.

Ventriculi fermento vitiato & corrupto, viſceris etiam huius actio læditur, alimentorum nimirum digeſtio non rite ſuccedit; cibi vero indigeſti, diutiusque in ventriculo retenti, aceſcunt, fermenteſcunt, hincque flatuum geneſi præbent anſam; unde cardialgia, & quicquid fere ſymptomatum in abdomine procedit, exinde pendet unice.

Aſt enim ſecundæ concoctionis vitia, primæ ſequuntur deprava ionem; unde chyli maſſa pleniter deperdita eaque ad ſanguinem translata, partes balſamicæ & ſulphureæ leviores

ab

ab acidi prædominio in arctius rediguntur spatium; consequenter maiorem adsumunt unionem & specifice graviores evadunt; hinc sanguinis unda acorem & lentorem adsciscit. Huius autem fluiditate deperdita, etiam seri massa magis magisque in coagulum abit; denique a serosarum partium cohæsione maiore cacochymicus & cachecticus habitus, haud raro cum nostro adfectu complicatus, enascitur.

Causas inter mediatas remotiores, easque *naturales*, præ reliquis temperamentum calidum & humidum, ad sanguinis & liquoris genitalis abundantiam producendam aptissimum, cuique sequior sexus, propter laxiorem corporis habitum, inprimis obnoxius est, huic passioni aditum præbet facillimum.

Sic quoque ætas iuvenilis pubescens, utpote quæ ad utriusque fluidi, sanguinis nimirum & genitalis liquoris, abundantiam aptissima deprehenditur, magnum imo præcipuum adiumentum huic morbo potest adferre. *Pubescente* enim *corpore, ac profluentibus statо tempore mensibus, semen augescit & sanguis, qui non amplius in corporis augmentum assumitur, redundans, rei venereæ imaginationem menti infert, quæ efficit, ut, oborta tentigine, atque intimarum partium titillatione, prurire incipiant, atque potentius ad concubitum invitari, quæ res, si non ex voto succedit, virulentiam quandam attrahit semen, huicque malo fenestras aperit patentissimas*; sunt verba *Levini* Lemnii *de occult. natur. miraculis Libr. IV. Cap. 24.*

Non solis tamen virginibus, illisque quæ primas amoris delicias iamiam gustarunt, sed, teste Galeno *de loc. affect. Libr. VI. Cap. 5.* etiam viduis & vetulis, quibus illecebræ venereæ sunt interdictæ, malum illum haud raro solet accidere.

Ex causis *non-naturalibus*, aër immodeste calidus, sanguinis rarefactionem, spirituum atque seri dissipationem, hincque acrimoniæ augmentum producendo, infensissimo huic hosti,

hoſti, manus porrigit auxiliatrices. Perinde aër frigidus, retinendo partes ſalino-ſulphureas, per inſenſibilem tranſpirationem excernendas, ad adfectus huius productionem remote concurrit. Damnum vero illud reſultans, ubi vel frigoris inclementia corporis incaleſcentiam exceperit, vel immediate etiam uterum contigerit, eo erit præſentius.

Inter cauſas iſtas non-naturales victus præcipue acidus, & ad nutritionem ineptus; abſurdorum nimirum, carbonum, cretæ, linteaminum, aliorumque ventriculi fermentum corrumpentium eſus, vehementes animi commotiones, odores ſuaveolenti, (ſic enim HOEFERVS *in Hercule medico, pag. 31. it.* LANGIVS *in Miſc. cur. pag. 46. ex odore roſarum uteri ſtrangulationem lethalem adducunt,*) vel graveolenti, & nares fortiter ferientes, teſte BARTHOLINO *Cent. III. Hiſt. anat. 28. Horatio* AUGENIO *Epiſt. VII. Lib. 12.* virginalis ſtatus in uxoratum mutatio, ſubinde ſeminis retentio iuſto diuturnior, monente *Gualtero* CHARLETONIO, *Exercit. pathol. VII.* locum non tenent infimum.

Sic ita minera in utero latens a cauſis naturalibus commota & in actum deducta, contractiones ſpasmodicæ ad partes tendunt ſuperiores, uterus furias concipit immites, & cruditates intra ventriculum genitæ una cum hypochondriorum flatibus, exſtimulantur, fortiusque impelluntur; unde nauſea, ructus, & interdum vomitus, capitis dolor atque cordis oritur tremor.

Flatus ad ſuperiora compulſi etiam diaphragma vehementer contorquent; hinc pulmones in arctius rediguntur ſpatium. Horum vero actione perturbata, etiam cor ſuos patitur manes, & tandem cerebro in conſortium rapto, illud functionibus ſuis tamdiu prohibetur, donec hoſte proſtrato & profligato, defatigatæ ad ſeſe iterum redeant.

Præmiſſis igitur iis, quæ ad ſontici huius mali cognitionem facere videbantur, nunc ad ea etiam, quæ medendi

methodum sunt patefactura, animum devolvimus. Duabus vero medela, huic morbo dicata, fulcimentis nititur, videlicet *indicationibus* & *indicatis*: illæ *curatoriæ*, *præservatoriæ*, & *vitales* solent nuncupari; hæc autem vel ex fonte *chirurgico*, vel *pharmaceutico*, vel *diætetico* depromuntur.

Quoniam vero malum illud diuturniori duratione & frequentiori recursu facile habituale redditur, idcirco in curatione duplex morbi vicissitudo, videlicet tempus intra paroxysmum, vel extra illum, dispiciendum erit. Uteri strangulatio est adfectus maxime complicatus, gravissimisque symptomatibus stipatus, propter quam symptomatum multitudinem & vehementiam, opem quoque expoſcit subitaneam. Ergo paroxysmi tempore, magis ad ægrotantium excitationem, quam ad causæ correctionem, erit respiciendum.

Pro obtinendo igitur isto scopo, in ipso morbi impetu, frictiones & ligaturæ dolorificæ in partibus adhibeantur inferioribus; naribus sternutatoria, pro circumstantiarum differentia, etiam fortiora ex radice hellebori albi, pyrethri & pipere parata insufflentur. Similiter etiam, non neglecta tamen cuiuslibet subiecti idiosyncrasia speciali, *suaveolentia* & *graveolentia*, prout videlicet illa iuuant, vel nocent, naribus admoveantur.

Eodem paroxysmi tempore, pro excitandis & refocillandis ægrotantibus, clysmata, ex penetrantioribus *carminativis* & *aromaticis* parata, vicibus iniiciantur repetitis; ipsis vero genitalibus, simul habito respectu ad idiosyncrasiam, *suaveolentia*, vel *male olentia* immittantur varia.

Cessante paroxysmo, præmissis digestivis & incidentibus, inter remedia ex pharmaciæ armamentario desumta, primas vias *repurgantia* temperatiora, & leniter per ἐπιχρασιν educentia, martialia, aliaque mensium fluxum provocandi potentia instructa, locum sibi vindicant primum.

Post

Poſt curatoriam medendi methodum, etiam *præſervatoria* & *vitalis* non penitus erit prætermittenda, ſed lunari potius tempore omni, *balnea* & *inſeſſus*, ex reſolventibus parati, adhibeantur; neque etiam æquinoctialis venæſectio, in pede inſtituenda, negligatur, inſimulque, ventriculum, atque uterum confortantia in uſum trahantur frequentius.

Demum, quod ad auxilia attinet *diætetica*, victus non acidus, neque dulcis, vel flatulentus erit eligendus. Aër ſit temperatus. Vigiliæ neque excedant, neque deficiant. Alvus ſemper aperta conſervetur, atque animi commotiones vehementes cane peius & angue fugiantur, inſuperque inexplicabilis, cum hoc adfectu interdum conſociati, coëundi deſiderii, licita & non intra lupanaria peracta, extinctio, haud leves feret ſuppetias.

Obſervatio XLI.

DN. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

De

Carcino.

Humani corporis machina affabre ita deprehenditur ſtructa, formæque ſuæ decore præſtat egregio, ut non modo aliis corporibus naturalibus omnibus longe excellentior ſit æſtimanda; ſed ipſius etiam divinæ Maieſtatis, venuſta ſplendidiſſimaque hac ſua pulchritudine, ſimulacrum effingat ſuperbum.

Quemadmodum vero rerum ferme omnium facies inconſtans atque mutabilis exiſtit; ita etiam hominem ad divini Numinis imaginem perfectiſſime creatum, fragilem, caducum, variisque vicibus habemus obnoxium. Huius enim

corporis nativum decus variis Morbonæ contumeliis ita sæpius divexatur, alteratur & corrumpitur, ut qui formæ imagine in aliorum pectore flammas poterat accendere, nunc amoris subiectum cadaverosum, nauseabundum, maximeque evadat detestabile.

Inter catervam autem morborum hostilem, adfectus iste graviſſimus & dolorificus, *Carcinus*, locum obtinet non postremum. Etenim genus illud morbi atrociſſimum, licet hominem non statim morti tradat, tamen non aliorum adinstar quorundam morborum perfunctorie corripit; sed feritatis suæ sævitiam in corpus humanum sæpius tantam exercet, ut qui ab illo infestantur, propter doloris acerbitatem, detestabilem fœtorem, & horrendum eius adspectum, antiquiorem habeant mortem, quam vitam.

Antequam vero ad ipsius rei indagationem nos propius accingamus, pauca quædam, ad ὀνοματολογίαν facientia, prælibasse, operæ omnino erit pretium. Quemadmodum enim cortice perfracto, nucleum labris possumus attingere melius; ita etiam vocis usu detecto, ad ipsius rei cognitionem facilius provehimur: de qua re differte ita loquitur GALENVS *de Temperament. Lib. I. Cap. 7.* χρη προτερον υπερ των ονεματων διελεσθαι των εμπιπτειν εξ αναγκης μελλοντων ουτω εφεξης λογον.

Quod itaque ad etymologicam nominis considerationem attinet, *Carcinus*, a Græcorum καρκινοω, *cancro laboro*, suam traxit denominationem; unde etiam Latinis, απο τε καρκινε, quæ vox *cancrum* significat, & νεμω, *depascendo consumo*, *Cancri*, sive *Carcinomatis* nomine solet insigniri.

Vocabulum καρκινος vario usurpatur significatu; sumitur enim haud raro pro piscis specie, itemque pro sidere, ex Zodiaci signis duodenis; varia etiam instrumenta, usui chirurgico destinata, denotat; ac tandem pro fasciola, pedum cancrinorum formam æmulante, frequenter usurpatur. Nos

potius

potius vocem istam pro morbi specie, de qua & in præsentiarum nobis sermo est, sumimus.

Remotis itaque iis, quæ nobis offendiculo esse poterant, quorumque notitia, ad sanationem sontici huius mali rite decernendam, parum vel nihil prorsus confert, ad ipsa rei penetralia nunc propius accedimus, atque sub Carcini, Cancri, vel Carcinomatis denominatione, tumorem durum, livescentem, in principio parvum, ciceris magnitudinem vix exsuperantem, indolentem, in progressu vero cum doloris sensu pedetentim adauctum, vasa circum se turgida, pedes cancrinos referentia, unde etiam appellationem est sortitus, monstrantem, subsequuta denique exulceratione, sordidam, graviterque fœtentem illuviem fundentem, denotamus.

De morbi huius subiecto atque sede genuina inter auctores disceptatur. Etenim plerique Practicorum partes tantummodo glandulosas *Carcino* infestari, sibi habent persuasum; testantibus vero innumeris aliis Medicorum observationibus, calamitosam hancce luem, partes etiam reliquas carnosas, tendinosas, cartilaginosas, immo ipsas osseas occupare, easdemque depascendo consumere, facile comprobare possemus, modo latius hic evagari nobis fuerit permissum.

Enim vero tacite præterire non possumus exemplum illud, quod habet *Henr. ab* HEER *in Obs. med. Obs. 14. p. 180*, de uteri cancro notatu digniſſimum; sic etiam GOCKELIUS *Cent. I. Conſ. 58.* & *Cent. II. Conſil. 60.* de femoris dextri cancro profert exemplum; brachii dextri Carcinus in insignem magnitudinem excretus, sistitur in *Ephemerid. N. C. Decur. III. Ann. 5.* & *6. Obs. 5.* vesicæ carcinoma habet TULPIUS *Obs. Lib. IV. Cap. 38.* penis cancrum observavit BLEGNY *Zodiac. med. Gall. ann. 1689. m. Sept. Observ. 4.* it. *A. E. L. ann. 1716. m. April. p. 190.* linguæ, palati & gingivarum cancrum describit PLATERUS *Obs. Lib. II. pag. 369. 370* & *491.* Neque etiam partes internæ ab illo malo truculentissimo prorsus

sus immunes sunt, sed, teste DODONAEO, & *Ioanne* SCULTETO *Observ. med. Cap. 30.* & *Armament. Chirurg. Obs. 48.* cancro arrosæ, & escharoticæ sæpius deprehenduntur.

Non obstante tamen hoc, carcinum, istas corporis partes, quæ aëris iniuriis maxime sunt expositæ, quorsum tota facies, genæ, labia, canthus oculorum, colli latera, atque inprimis etiam mammæ pertinent, sordida & cadaverosa sua corruptela præ reliquis coinquinare, experientia docet quotidiana.

Ab hac locorum disparitate, differentia etiam morbi huius diversa erit petenda. Ita νεκρωσις cadaverosa in parte contingens ossea, ευρως, *caries*, vel *ventosa* etiam *spina* sæpe dicitur; in partibus vero corporis mollioribus, modo *sphaceli*, modo *carcini* venit nomine.

Quæ vero inter carcinum & sphacelum intercedat differentia, neque etiam tyrones potest fugere. Sphacelus enim cito corripit partem atque plenarium sensus & vivificationis extinctionem habet coniunctam. Carcinus autem habet parvum initium, lento incedit gressu atque dolores coniunctos habet acerbissimos. Malum illud immedicabile faciem si occupaverit, *noli me tangere;* ad interiora tendens, atque crura vel tibias infestans, *lupus;* in reliquis vero corporis partibus, *carcinus*, *cancer* vel *carcinoma* nuncupari solet.

Ast enim adfectus huius discrimen non a solo inhæsionis subiecto proficiscitur, sed a morbi etiam progressu differentia aliqua erit desumenda. Sic ergo tumores cancrosi sub cute latentes fere omnes, in principio, absque doloris sensu, sub *Scleromatis* ac *Scirrhomatis* larva incedunt, & quam primum doloris furias concipiunt, venasque circum se turgidas nanciscuntur, *Cancri incipientis*, *primarii*, *obscuri* vel *occulti* veniunt nomine. Ubi vero tumor durus, cutim perfringendo, exteriora rimatur, atque sordidam graviterque fœtentem illuviem incipit proiicere, *Cancer apertus*, secundarius, vel

exul-

exulceratus, & quatenus cutem partesque subiacentes & adiacentes depascendo consumit, *phagedæna* sæpe dicitur.

Avicenna, huiusque sectatores, carcini nomen a vasculis sanguiferis nigricantibus, turgescentibus, atque pedum cancrinorum formam referentibus, vel etiam a vinculo, quo partibus, quas apprehendit, cancrorum instar, firmiter adhæresci, unice volunt derivatum. Nos potius adfectus huius denominationem ab eius progressu, quia nimirum non, morborum instar aliorum, incrementum capit subitaneum, sed temporis intercapedine haud exigua interposita adaugetur, atque, cancrorum more, gressu progreditur lento, desumendam esse arbitramur.

Perspecta morbi huius differentia, ut ad causæ considerationem, a qua, Celsi effato *Lib. I. Proœm.* in medendo faustus successus proficiscatur omnis, nos accingamus, omnino necessitas postulat. Atque ita ad adfectus huius productionem, ut in reliquis tumoribus, humores lymphatici stagnantes, iuxta Wedelii mentem, *Amœnit. mat. med.* acido corrosivo & caustico imprægnati, maxime concurrunt.

Neque tamen istam humorum acredinem unice semper a sanguinis fonte dimanare, vel iuxta Sennerti aliorumque opinionem, in sexu sequiori specialiter ab utero ad mammas transferri, necessum est, licet negari non poterit, acidum caustic æ indolis, quo copiosius vel parcius intra sanguinis massam hospitatur, malum istud citius vel tardius in scenam prodire; sed absque sanguinis inquinamento prægresso, causæ etiam aliæ externæ symbolum conferunt suum.

Causas inter remotas occasionales, aër borealis, frigidus, hybernus, terror, animi incandescentia, itemque constrictiones, pressiones, contusiones, & apprehensiones impetuosæ, potissimum sunt referendæ.

Ubi itaque aliqua talis præcesserit causa, humores intra vascula minora vel tantummodo remorantur, vel data etiam, con-

continui solutione, limites egrediuntur, atque motum derelinquunt circularem. Humidi vero cuiusdam transitu denegato, atque fluidorum reliquorum appulsu ad partem istam non penitus intercepto, tumor consurgit, qui tractu temporis discussionem & resolutionem admittens, vel iterum evanescit, vel partes subtilissimæ humidi incarcerati, si pedetentim intra vasa resorbentia recipiuntur, crassioribus tantummodo relictis, tumor durus, scirrhus vel scirrhoma dictus, enascitur.

Atque isti etiam tumores duri præcipue sunt, qui vel premendo partes vicinas, vel corruptionem assumendo, in *carcinum* sæpe transeunt fatalem. Quemadmodum vero tumores duri in *carcinum* non semper degenerant; ita etiam tumore alio prægrediente nullo, quando videlicet humidum stagnans, vel extravasatum, acorem contrahit fermentativum, atque corrosivæ & causticæ evadit indolis, malum illud truculentissimum haud raro procedit.

Non autem, hostem præ foris stare, nosse sufficit, sed necesse etiam est, ut quis sub iuga mittendus constet. Quoad signa igitur diagnostica, hic noster adfectus oculis expositus, sive per se obortus sit, sive etiam tumoribus supervenerit aliis, in principio ægrius communiter dignoscitur.

Etenim morbus per se incipiens, sub initium valde exiguus, ciceris magnitudinem haud adæquans, absque notabili doloris sensatione, mobilis & æqualis deprehenditur, quem etiam *primum Carcini gradum* vocare solent. Malo paullatim increscente, tuberculum inæquale & nodosum evadit, atque dolor, in principio obscurus, exasperationem consequitur notabilem; color autem cutis naturalis in præternaturalem, lividum & plumbeum mutatus, atque tumor venas subcutaneas, sanguine obscuro & nigricante, pedum cancrinorum instar, circum se turgidas nanciscitur, qui gradus prolixa

lixa indagatione non habet opus, ſed larva iam detracta ſubdolam ſuam prodit malitiam.

Cancrum mammas mulierum invadentem, tumoribusque duris ſupervenientem, præter hæc dicta HIPPOCRATES verbis indicat ſequentibus: *Advenientibus cancris, prius os amareſcit, & quæ commederint omnia amara eſſe videntur &c. Si quis plura exhibuerit, fumere recuſant, & cohibenda faciunt, mente alienantur, oculi clari ſunt, neque acute cernunt, ex mammis dolores ad iugulum & ſcapulas perrumpunt, ſitis detinet, papillæ aridæ, ipſæque toto corpore extenuatæ ſunt.*

Quemadmodum vero carcinus in ſexu ſequiori, menſtruis lunari tempore non ſemper rite ſuccedentibus, teſte BARTHOLINO, *Act. Hafn. med. Vol. II. p. 195.* mammas ſæpenumero aggreditur; ita in viris, in quibus hæmorrhoides conſuetum haud ſervarunt ordinem, inter humeros occupat locum.

Exulceratione denique ſubſequente, tumor ſpeciem carnis putredine corruptæ exhibet, cum fœtore acidum ſpirante, adſpectu horrido, labris inverſis & induratis; ſanies vero ex hocce ulcere promanans, nigra, tenuis, vel etiam, volente *Roderico a* CASTRO, *de Morb. mulier. Lib. I. Cap.* 22. fulva exiſtit.

Signis diagnoſticis & diſtinctivis hactenus expoſitis, de prognoſi etiam pauca erunt ſubiungenda, quæ tamen, ſive ipſam morbi ſpeciem, ſive cauſarum & ſymptomatum vehementiam conſideraverimus, ſemper periculum minatur inextricabile, aut minimum ſanandi difficultatem indicat maximam; ut itaque HIPPOCRATIS conſilio *eos, quibus cancri occulti oriuntur, non ſuſcipere,* prudentiæ magis conſentaneum ſit; ſiquidem iuxta eiusdem effatum, *curati cito pereunt, non curati vero diutius perdurant,* Aphoriſm. 38. Sect. VI.

Methodus medendi plebeia, plerumque præſidia, quæ reliquis tumoribus induratis ſolent applicari, emollientia, at-

que humores incarceratos in pus convertentia, subministrat. Enim vero istis emollientibus vasa insimul dilatari & laxari solent, unde facilior humorum adfluxus fit, atque humor corruptus in partes dispergitur vicinas, nec non succos reliquos fermenti instar inficit atque corrumpit, SENNERTO sic differte pronunciante, *Lib. IV. Pract. med. Part. III. Sect. I. Cap. VII. p. 498.*

Propterea *carcinus* confirmatus, non nisi ferro & igne radicitus extirpatus atque a parte sana remotus, medelam admittit. Quæ tamen medicationis species, quum acidum volatile fermentativum iam reliquo sanguini haud raro intimius impactum hæreat, atque, una cancrosa parte destructa, alio in loco iterum prodeat, non semper ex voto succedit; immo propter graviorum symptomatum, manualem operationem concomitantium, multitudinem, periculo non prorsus vacat.

Insuper etiam augurium pessimum ex ipsa desumitur exulceratione; ubi enim morbus iam ad illum pervenerit ἄκυρον, nihil omnino reliquum est, quam curatio palliativa, qua hostis infensissimi cursum tantummodo citatiorem cohibere, eiusque insidias, ne videlicet malitiam suam in partes vicinas proxime queat diffundere, provida cum circumspectione præcavere allaboramus.

Quandoquidem vero, plenius perspecta hac morbi natura, nobis cum hoste dimicandum esse pervicacissimo, liquido apparet; ideo ut recta medendi ratio, tuto atque mora non longa interposita instituatur, omnino requiritur.

Atque ita carcinus, quamdiu cæcis sese occultat latebris, neque latius serpendo evagatur, potius HIPPOCRATIS consilio, *Aphorism. 38. Sect. VI.* intactus relinquendus, quam præsidiis valentioribus oppugnandus, adeoque saltim palliative, ratione tantummodo habita causarum internarum antecedentium, per remedia humorum qualitatem nocivam invertentia & materiam corruptam evacuantia, exterius simul adhibitis

acido

acido contrariis, edulcorantibus, mitigantibus & defenſivis, tractandus erit.

Huic indicationi, ad materiam nimirum hoſtilem corrigendam directæ, quæcunque *martialia*, *antimonialia*, & *mercurialia* optime ſatisfaciunt. Quoniam vero humores depravati quam facillime regenerantur, propterea carcini curatio, primario & præcipue, exacta victus ratione obſervata (*a*), aërem nimirum vitando immodeſte frigidum, omnia ſalſa & acria, & quæcunque e ſex rebus non-naturalibus humores gignere pravos, hincque fomitem materialem largiri poſſunt, ſedulo fugiendo, inſtituitur.

Quoniam vero præparata & correcta materia infenſa, cum reliquo ſanguine in gratiam iterum redire nequit; ideo congruis, ſæpiusque iteratis evacuantibus huic malo ſimul ſubveniendum eſt. Deinde ſi vel hæmorrhoides, vel menſtrua ſuppreſſa, morbo huic præbuerint anſam, tunc ſanguis ad venas inferiores derivetur, & ex iisdem copia detrahatur ſufficiente. *De venarum delectu in earum ſectione conf. Ephemerid. N. C. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. 61.*

Poſt hæc remedia topica quoque, humorem impactum diſcutientia, in ſubſidium ſunt vocanda; evitatis tamen emollientibus atque calidis attenuantibus, ne videlicet ſtatus concitetur inflammatorius, vel materia nimium humectata &

(*a*) Si antiquiſſimorum, & qui methodice inprimis Sectæ addicti fuerunt, Medicorum monumenta conſulimus, hos ipſos ſuas curationes ex diætetico fonte petitis remediis maximam partem inſtruxiſſe deprehendimus, abſtinentia nempe, frictionibus, motu, quiete, balneis, cœli & aëris mutatione, victu conveniente, aquarum atque vini potu, quibus contra graves morbos & chronicas paſſiones non ſine ſucceſſu pugnabant, rariusque medicamentis, & rariſſime validioribus utebantur.

dissoluta, putrilaginem concipiat fœtidam (*b*), multo minus applicatione calefacientium & exsiccantium hac improvida, humidi stagnantis pars subtilissima resolvatur & reprimatur, crassior vero superstes, magis magisque indurescat.

Proinde etiam alcalium & saturninorum usus legitimus non penitus est negligendus; inprimis autem mox sub initium & progressum acerbissimi huius mali ad id unum vires intendamus omnes, ut immutantibus, edulcorantibus & acido contrariis, humoris impacti acidi volatilis effervescentiam, adeoque in *carcinum apertum* pronam commutationem, præcaveamus.

Ea propter ad specifica confugiendum est, inter quæ maxime omnium celebratur *herba* sic dicta *Ruperti*, ob eximiam & excellentem suam virtutem alias *Gratia Dei*, vel etiam *Cancrosanum* nuncupata; pariterque folia *solani*, *agrimoniæ*, *sempervivi*, *persicariæ*, *beccabungæ*, quarum herbarum succus recenter expressus, linteaminibus mediantibus, vel in mortario plumbeo, cum pauca pompholygis portione subactus, atque linimenti forma mammis applicatus, efficacitatem exhibet plane singularem.

Sic similiter in numerum specificorum referuntur *Emplastrum saturninum* Mynsichti, *unguentum saturninum* Deckeri, qualia remedia in modo nominati Deckeri *Animadversionibus in Praxin Barbettianam* describuntur; & celebratissimum illud *alcali primateriale* Kortholti, nec non *alcali sulphuratum* Dn. D. Allioth, Ducalis quondam Archiatri Lotharingici, atque etiam Spigelii linimentum, ad mammarum cancros magnis præconiis elatum, liquor nempe salis Fuliginis per deliquium, præparatus; uno verbo, remedia

(*b*) Ex eodem fundamento Galenvs remedia mixta, utramque facultatem, emollientem & discutientem, possidentia, adhibere suadet.

dia ista omnia, quæ de copioso sale alcalino, plus minusve saturato, acido volatili cancroso contrario, participant, carcino specifice medentur. Conf. WELSCHIUS *Hecatost. I. Obs. 73. pag. 95.*

Auxiliis hactenus recensitis tam particularibus, quam universalibus, per notabilem temporis intercapedinem casso eventu adhibitis, malum illud ferinum, iuxta HIPPOCRATIS præceptum, *Aphorism. 38. Sect. VI.* veluti immedicabile, vel intactum derelinquendum, vel etiam igne atque ferro radicitus est extirpandum.

Ast enim licet iam vicina sub morte animam trahentes, etiam in extrema hac medicationis specie salutis suæ expectationem & fiduciam ponant fere omnem; tamen miseris succurrendi urentium & secantium ingeminatum illud conamen non semper alite succedit secundo, sed pericula sæpius dira minatur, propterea manus auxiliatrices festinas, maximeque circumspectas omnino requirit.

Quibus vero sub cautelis carcinus sectione removendus, præter *Adrianum* SPIGELIUM, *Petrum de* MARCHETTIS, FABRICIUM *ab Aquapendente*, *Antonium* MOLINETTI, *Fr.* ARCAEUS mira ostendit sagacitate, *de curand. Vulner. Lib. II. Cap. 3.* Quas inter cautiones illam, qua AVICENNA non nisi in superficie hærentem, atque venas habentem exteriores, quæ vna cum illo debent separari, resecandum suadet, æque utilem ac necessariam esse iudicamus.

Loci itaque delectu provide satis instituto, atque resectione secundum ARCAEI methodum feliciter peracta, sanguis, quem maxima Practicorum caterva olim atrabilarium iudicavit, ne morbus vehementius recrudescat, atque ita defatigatos ad mortis fauces brevi dimittat, undecunque e venis proximioribus naviter exprimatur, nihilque prorsus de parte relinquatur cancrosa; post hæc vero enormis sanguinis profusio,

fusio, haud raro metuenda, prudenti ratione avertatur, atque vulnus hiulcum roboretur & consolidetur.

Quanquam præter HIPPOCRATEM etiam ARCAEUS *l. c. Lib. II. cap. 3.* cancri exulcerati curationem non nisi palliativam velit admittere; tamen SCULTETUS, *Armament. chirurg. Obs. 33. & 34. Guil.* FABRICIUS *Cent. III. Observ. 87.* BARTHOLINUS *Act. Hafn. Vol. I. Obs. 72.* atque auctores practici multi alii, exempla proferunt haud pauca, quibus carcinus exulceratus, successu non infelici fuit sublatus.

Rei huius ratio, quare nimirum ab hac cancri exulcerati resectione periculum eventurum sæpius metuant, dubio procul in eo fundata est, quod exulceratus non amplius in superficie hæreat, sed iam altas egerit radices, haud ita facile, ut in carcino superficiali, extirpandas.

Nihilo tamen minus carcini exulcerati sanatio æque feliciter, atque uno eodemque susscipitur modo, solo hoc excepto, quod propter vasorum profunditatem & magnitudinem, præter resectionem, simul exustionem postulet, qua non solum stillicidium sanguinis excessivum facilius prohiberi, sed eo etiam melius reliquiæ cancrosæ absumi, penitusque extingui poterunt, ut ita infortunio semel perpesso, feliciterque superato, deinde ab omni recursu libera degere queant talia subiecta.

Sequior vero sexus, propriam mollitiem sibi pudori sæpe ducens, vel ex rubore subrustico, vel ex ancipite doloris formidine, auxilia chirurgica, præcipue generosiora, haud raro solet declinare. Neutiquam vero tremebundum illud fœmineum genus eapropter omnibus subsidiis destitutum erit derelinquendum; sed alium potius in modum suppetiæ, nimirum prophylacticæ, atque symptomatum furias refrenantes, eidem sunt ferendæ.

Tandem cancri resectione successu haud infelici peracta, operi manum nunc adhibeamus extremam, atque usum remedio-

rum,

dioruui, nocivam maſſæ ſanguineæ qualitatem invertentium, continuando, eundemque per intervalla repetendo, pariterque hæmorrhoidum, atque menſium fluxum ordinatum promovendo, morbi recidivam ſedulo prævertamus.

(*Kilonio Halam miſſa d. 8. Decemb. 1754.*)

Obſervatio XLII.

DN. D. DANIEL GOTTLOB THEBESII.

Annotationes pathologico-practicæ in Hydrophobiam, eiusque curationem, cum Regia Societate Scientiarum Londinenſi a Medicis Anglis communicatam.

Terribile exitialis mali genus eſt aquæ metus, ex animalis, utplurimum canis rabidi, morſu natus, quem græco idiomate *Hydrophobiam* vocamus, in qua aquæ metus eſt inſuperabilis, horror omnium liquidorum maximus, multa præcordiorum anxietas, febris acuta, tandem cum delirio acutiſſima, & læſus intra tres vel quinque dies fame & ſiti miſerandum in modum enecatur. A quibusdam, ut ZWINGERO in *Theatro Praxeos med.* pro gradu mali, ſine ratione ſufficiente, hydrophobia a rabie canina, ſatius in incompletam atque completam diſtinguitur; illa mali erumpentis aut imminentis primum, hæc iam furentis ſummum gradum denotat. Notatu quoque quam maxime dignum eſt de hoc malo, quod neque recenti, neque ſemper conſolidato vulneri protinus ſuccedat, ſed per aliquot menſes, immo annos quandoque, occultatam virulentiam prodat & perniciem inferat præſentiſſimam: deinde, quod hydrophobus in eundem corporis morboſum ſtatum, quo rabioſus canis laboravit, incidat ita, ut, ſi canis ille fuerit paralyticus, quem *lahm-toll* vo-

vocant, homo eadem corporis parte, qua virulentum morſum excepit, ſimul, & toto quidem corporis latere, paralyticus evadat; ſin minus, vegetis ceteroquin membris delirium patiatur, aut quandoque, ſine delirio inevitabilem mortem brevi ſubeat, cuiusmodi caſus ipſe data opera obſervavi.

Varii auctores varia & mira monumentis ſuis conſignarunt de hac rabie, ut videre eſt in *Caſpari a* Raies *Camp. Elyſ. iucund. Quæſt. num. 162.* verum hic locorum, ubi haud raro illa accidit, neminem hydrophoborum hominum latrantem vel morſu adſtantes petentem, aut plane inſtar canis venatici ſagacem vidi, neque talem unquam exſtitiſſe percepi: hinc non vane cum Tulpio *Obſ. med. Lib. I. Cap. 20.* auguror, plerosque relatione aliorum falſa & a maioribus per manus tradita deceptos fuiſſe, cuius nimiæ credulitatis evidentia ſpecimina edidit *Petr.* Borellus *Obſ. phyſ. med. Cent. I. Obſ. 74. Cent. 3. Obſ. 38. & 68.* quod eius vitium dudum iure notavit *Ioh. Bapt. de* Lamzweerde in *Molarum uteri hiſtoria Cap. 14.* Nec inter ſigna huius mali diagnoſtica locum meretur vox fracta & tremula, aut more canum ululantium prolata, quam raucam quidem, ſed ſatis volubilem atque articulatam, percepi; ægros vero aut taciturnos, aut nimis loquaces vidi, & quod propter inſignem dyſpnœam verba cum impetu quodam, non ſecus ac irati, enunciaverint. Prodeuntis hydrophobiæ ſignum eſſentiale ſeu pathognomonicum eſt ab omnibus liquidis, ſiti licet urgente, horror, &, malo iam aucto, ſumma abſtinentia, contra Craanium in *Praxi reformata*, quæ malo ad extremum gradum deveniente tanta eſt, ut quoties vel conſpectui offertur quoduis potulentum, vel ſui ipſius ægri urina, erecto utplurimum pene altius miſſa, toties ægrotans graviter inhorreſcat & convulſionibus torqueatur. In quo deplorando ægri ſtatu continetur ratio, ob quam hoc malum inſanabile & mortiferum exiſtit, quoniam neque medicamentum, neque potulentum, illius vehiculum, aut alimen-

mentum ullo modo faucibus ingeri possunt, quibus nihilominus, ut quidam periculum fecerunt, vi intrusis æger illico gravissimis convulsionibus prehensus & suffocatus perit; cuiusmodi triste exemplum & mihi aliquando innotuit, pariterque testes de eo eventu sunt fide digni observatores, quos inter sunt LOMMIUS in *Obs. med. Libr. II. pag. 79.* BLANCARDUS in *Collectan. med. phys. Part. I. Cent. 3. Obs. 45.* ZWINGERUS *loc. cit.* sub tit. de *Canis rabidi morsu & de hydrophobia.* Iidem modo memorati Autores unanimi cum aliis, quorum omnium instar sit TULPIUS *loc. cit.* & in *Cap. 21.* suffragio confirmant, quod neminem unquam vere aut complete hydrophobum curatum, sed raro potius in diem vel tertium vel quartum superstitem fuisse viderint aut resciverint.

Quæ cum ita sint, ut sunt, experientiæ testimonio abunde confirmata, non possum non mirari, qui, quæso! dentur Medici, qui de curata hydrophobia vane non solum gloriantur, sed & ei completæ medendi methodum in homine solidis ac liquidis internis remediis publice tradere sustinent, quippe ex natura mali nullus ore recipiendæ medicinæ hic est locus. Ita enim Medicus Londinensis, *Carl* PETERS, cum celeberrima Societate Regia Anglicana communicavit experimentum Chirurgi RANBY, quod Hamburgense Diarium (vulgo *Magazin*) in *Fascic. I. Part. 2. Artic. 2.* ex Actis eiusdem Societatis in teutonicam linguam translatum continet, atque in homine ex morsu canis rabiosi ægrotante feliciter cessit, cuius ceu curatæ hydrophobiæ mentionem facit noviſſimus quidam Pathologiæ auctor celebris. Verum, si omnes ac singulæ istius casus circumstantiæ attenti animi lance ponderantur, minime vera & completa, sed imminens tantum ac incompleta adfuit hydrophobia; nam a cane mordicus læsus mentis atque omnium actionum fuit compos, potuit bibere & plus vice simplici esculenta æque, ac medicamenta, licet multo cum suffocationis periculo, deglutire.

Curationem eiusdem quod attinet, illa potius admiranda est, quam imitanda, nullo non extremo remedio, eoque aliquoties, tentato; sed ne hoc quidem ille integræ sanitati restitutus, quin potius in singulis lunæ phasibus residui mali insultus mitiores iterato expertus.

Aliud ingeniose & in canibus rabiosis quidem feliciter adhibitum, at fide, quæ penes auctorem sit, indignum experimentum in hominibus curandi hydrophobiam eidem Societati Scientiarum Anglicanæ propositit D. *Robert* IAMES, qui in homine præmisso vomitorio e vino medicato, tres bolos ex Turpethi mineralis granis XII, rad. Contrayerv. drachma & theriacæ Andromachi q. s. parandos & vesperi per tres dies cum vehiculo iulepi cuiusdam infundendos, curaque hac peracta balneum aquæ frigidæ adhibendum commendat, id quod fusius recensetur in *Lipsiensi universali promptuario naturæ, artium & scientiarum Part. I. Artic. XXV.*

Si quando tentamen hoc in canibus vere rabidis voto responderit, homines tamen a cane rabioso demorsi, quos eidem curationi ille subiecit, neutiquam fuerunt imminente, nedum completa, qua canes, hydrophobia correpti, ideoque a metuendo hydrophobiæ insultu, ex illo morsu, quidem iuxta eius mentem liberati, sed non a morbo hydrophobiæ veræ restituti, ut adeo non habeat auctor, quo remedium hydrophobiam completam in homine tollens se invenisse sibi aliisque persuadere possit; mali enim huius specifica qualitas & præscripta medendi methodus, utpote quæ sibi invicem contrariæ, certo certius huic experimento in homine fidem derogant omnem; namque hydrophobus prius suffocatus exspiraret, quam bolus aut mediante illo vehiculo, aut, si, ut in canibus, fieri possit, bacillo per gulam mitteretur & gravissimæ inde excitatæ convulsiones irritam certo redderent omnem nimis officiosi artificis operam, ut superius adductis iam evictum est.

An

An quoque hoc remedium in curatione humanæ hydrophobiæ fidum ac optimum foret, merito dubitandum, eo quod hydrophobia febre quadam, indolis acutæ, ſemper comitata invadat, atque acutiſſima demum febre ſæviens, tertio vel ad ſummum quinto die nunquam non lethalis evadat, cui tam violentum remedium, Turpethum nempe minerale, quod & in partes ſolidas acriter ſtimulando ac per utrumque os evacuando, & in humores colliquando atque ſalivam largiter fundendo impetuoſe agit, opponere idem foret, ac ægrum in maius diſcrimen accelerata morte adducere; nam ſpasmo & ſtaſi inflammatoria iam affectas faucium pulmonumque partes gravius afficeret. In hunc usque diem neminem, iam vere & complete hydrophobum, unquam externis, nedum internis, ſanatum fuiſſe remediis, Obſervatores uno ore profitentur. Dantur quidem caſus, ubi ex corrupta phantaſia levis hydrophobiæ quædam ſpecies, aut potius ſimulata hydrophobia ſubnaſcitur, quæ pariter non niſi proiiciendo ægrum in aquam funditus tollenda, de qua prorſus ſingularem caſum, de virgine eodem modo curata, annotavit *I. B. de* LAMZWEERDE *loc. cit. Cap. 22. p. 230;* verum non fuit vere hydrophoba, licet per aliquot annos bis terve de die latraverit, variosque animalium ſonos confuſe æmulata ſit, quid, quod ab aqua adſperſa inhorruerit; nam, teſte BAGLIVIO in *Prax. med. Lib. I. de Phrenitide*, multi dementes & maniaci eadem methodo, qua hydrophobi, ſanati fuerunt, demerſi nempe in aquam. Eſt itaque huiusmodi hydrophobiæ ſpecies cognomine *ſpuriæ* merito inſignienda. Deinde longe alia ratio eſt hydrophobiam e morſu animalis rabidi metuendam præcavendi, alia iam præſentem atque furentem tollendi, in qua docta plus valet arte malum.

Ad abigendum vero hydrophobiæ humanæ periculum immimens, multa utique interna atque externa proſtant remedia uſu probata, a variis Autoribus ſparſim annotata.

Vetustissimum eorum atque omnium princeps habitum est, quod suadet CELSUS *de Medicina Lib. V. Cap. 27*, læsum scilicet, antequam aquam metuit nec opinantem in piscinam proiicere, alias foret spes in angusto. Experientissimus in hoc malo TULPIUS simul testis est, quod nemini, licet plurimos viderit, tempestive in mare proiecto quicquam sinistri postmodum ex morsu rabioso evenerit, sed salutari hoc remedio vel flocci facto, vel tarde ac timide adhibito, multi irreparabiles incuriæ suæ pœnas dederint, quod memorabili admodum casu de sene rabioso *cit. loc. Cap. 21.* illustrat, cui blandius ob ætatem balneum tantum profuit, ut potuerit interdum parum, licet admodum molestę, bibere, sed sine reconvalescentia. Nihilominus porculis, quos catulus momorderat rabiosus, pluriumque iam interitum improvisum paraverat, eodem pariter, quo ille, modo paralyticis, lavacrum in piscina aliquoties repetitum ultimo saluti fuisse certo memini. An vero a porculis ad hominem argumentum sive idem experimentum valeat, ambigo, ac experientia erit magistra. Auxilii itaque huius summa in eo versatur, ut malo huic ante opponatur, quam aquæ formido accessit.

E specificis mali huius antidotis excellit Electuarium de ovo, ob nucem inprimis vomicam, quæ ipsius compositionem ingreditur; de qua nuce notatu dignus is est effectus, quod canibus pluribusque animalibus sit venenum, homini vero medicina, qua in delirio hypochondriaco, eoque periodico, quendam cum præsenti levamine usum fuisse memini. Eadem ratio est in amygdalis amaris, quæ teste WEPFERO *de Cicuta aquatica*, pariter animalia enecant. Quibus rationibus sine dubio commotus STAHLIUS in *Collegio practico*, quod notis illustratum edidit PELARGUS, ubi de Hydrophobia agit, has amygdalas nuci vomicæ in dicto Electuario substituendas pari iure augumat, atque usui commendat. Quam ob analogiam cum reliquis specificis ego, data mihi sæpius occa-

occasione, in illis adhibendis auspicatum feci periculum; præmissa enim illico partis læsæ scarificatione & cucurbitularum appositione, aliquot amygdalas singulo mane per unam alteramve septimanam comedendas, atque interposito, si ætatis & tempestatis ratio tulit, quandoque aquæ balneo, bono animo esse suasi; ita duodecim a cane rabioso morsos ab omni hydrophobiæ periculo prorsus liberatos fuisse, non sine voluptate in memoriam revoco, quos inter quidam nullo balneo sunt usi.

Notabiles præ reliquis sunt duo casus novissimi, quorum primus de rustica quadam, cuius brachium molossus rabiosus ante dies bene multos graviter morsu dilaceraverat, vulneribus nondum coalitis, & quæ pariter, ac in illo, quem *Carl* Peters *loc. cit.* refert, casu, tanta agrypnia animique perturbatione iam correpta erat, ut hydrophobiæ malum instare nullus inquilinorum dubitaret, cuius tamen periculum usu laudato amygdalarum amararum, nec non pulveris temperantis circa vesperam adhibiti, prorsus evanuit, neque in hunc usque diem, quo anni duo iam sunt exacti, ne minimo quidem sui indicio apparuit. Alter casus accidit in nobili quodam, qui a cane venatico præter opinionem rabioso in dorso manus læsus, incurie nimis cruorem illico e vulnere exsugit atque exspuit, ac usu earundem amygdalarum & balnei aquæ tepidæ ab illo horrendi mali insultu ultra anni dimidium immunis vixit, cum contra eiusdem canis vulnera in diversis animalibus brevi post rabiem & mortem attulerant subitam. Quam maxime autem deploranda est plurimorum incuria, qui ab ignotis canibus mordicus læsi levia utplurimum vulnuscula flocci faciunt, ceu Medici consilio indigna, adeoque calamitatis suæ feralis ipsi autores existunt.

Multum igitur refert & canum rabiosorum notas, &, an morsus canis venenatus fuerit, nosse, quod utrumque elegans limati iudicii scriptor, Lommius *loc. cit. pag. 80. seq.* scite

docuit, si nimirum ex eius consilio panis frustum recenti vulneri aliquamdiu impositum, alteri sano cani ad devorandum obiicitur; quod si hic a rabie immunis maneat, testetur, eum, qui momordit, non fuisse rabiosum. Quod experimentum cum iuglande aut nuce trita & vulneri imposita primum fecisse fertur ORIBASIUS, teste FORESTO in *Obs. Lib. X. Obs. 28. in Schol.* Verum cum experientia doceat, nec canes a morsu alius rabiosi protinus, sed elapsis aliquot septimanis vel mensibus, rabiem conceptam prodere, in hoc quoque experimento haud nimium fiduciæ collocandum, sed consultius est, nisi de cane mordaci certo constet corporis integritas, in tempore opportuna opponere remedia, antequam virus corpori eiusque humoribus altius se insinuat damno irreparabili. Notatu sane digna est observatio SPINDLERI in *Obs. med. 98.* de morsu canis nondum rabidi post consolidatum iam a quatuordecim diebus vulnus intra quatriduum lethali, de quo in annexo Scholio docte non minus, ac perite commentatus est RAYGERUS. Convenit hæc omnibus fere & præcipuis quidem modis cum illa observatione, quam Excellent. D. *Ferd. Iac.* BAIERUS *Actor. Nat. Curios. Vol. X. Obs. 90.* inseruit, ubi vulnusculis suræ levibus, in tertia demum septimana coalitis, vigesimo tertio die mors octennis pueri successit præcipitata: venenati enim morsus indicia evidentia præbuit & pedis morsu afflicti & colli eiusdem lateris rediens spasmus. Et hoc ipsum quoque nullam insignem parit admirationem, quoniam, licet canis, qui in priore casu a rabiosis dudum morsus ferebatur, nondum, ut & in ultimo casu, actu rabiosus, sed tantum qualicunque modo irritatus morsum intulerit, plurima tamen animalium ira percitorum ictu aut morsu illata vulnera suspectæ malignitatis, atque ideo haud raro lethalia animadvertuntur, (conf. ETTMÜLLERI *Opera med. de morsu viperæ punct. 5*) idque eo citius & gravius accidit, si cacochymicus læsi status, quem in illo puero exenterato quinque

lum-

lumbrici teretes prægrandes indicarunt, acceſſerit. Ira autem non modo excandeſcentium horum animalium, verum & piſcium innocuorum, multa tortura internecioni datorum, ſalivam venenoſam & lethiferam fore, experimento anguillæ egregie confirmarunt Medici Angli, ut videre eſt in ſupra allegato *Hamburgenſi Diario Artic. VII.* Caſus vero iſti providos Chirurgos admonent, ne ſuſpecta & morſu quidem inflicta vulnera, licet levia & cuticularia, cito nimis coire permittant, ſed ſuppuratione uberiore, ſolito diutius protrahenda, aut, ut conſilii quandoque in morſibus venenatis eſt, veſicatorio ipſi vulnero applicato virulentiæ facilem & patulam emigrandi viam concedant, id quod conſilium puellæ a fele rabido aliquando morſæ ſalutare deprehendi.

(*Treptoa Halam miſſæ d. 20. Decemb. 1754.*)

Obſervatio XLIII.

DN. D. CAROLI PHILIPPI GESNERI.

Dentium dolor epiſpaſtico cedens.

Remedium ἐμπειρικὸν tentare neceſſitas ſuaſit, cum in Illuſtriſſima matrona neque dentem carioſum evellere integrum eſſet, neque alia, ex omni apparatu chirurgico atque medico petita, quidquam proficerent, medelam tamen diri & diuturnioris iam doloris, officii ratio a me expoſceret. Felix ſupra exſpectationem, fateor, ſucceſſus fecit, ut ſæpius adhiberem idem medendi genus, eodem utplurimum eventu, niſi vel pus in alveolo ad radicem dentis collectum evellere illum cogeret, vel arthriticæ labis decubitus ſpem eluderet. Nunquam vero allium adhibui, cuius odorem difficulter ferunt delicatæ nares. Subſtitui illi Sinapi cum aceti pauculo tritum, & fermento panis ea ratione mixtum, ut commode in placentulam, nummum uncialem argenteum magnitudine

æquan-

æquantem, efformari posset. Apponi volui, ea, qua modo dixi, forma, in brachio lateris affecti, antea leni frictione irrita o, ipsæ bicipitis musculi aponeurosi, ita ut inferior ora, plicæ cutis, ex flexura brachii natæ, responderet; superior ventrem bicipitis attingeret. Retineri iussi tamdiu, donec rubor intensus, vel pustulæ subnatæ, aut cessans dentium dolor, auferendum indicarent. In delicatioribus, minus patientibus, ter aut quater etiam repetendum suasi sinapismum leviorem. Plerumque ad dolorem sopiendum sufficit, ut profunde ruberet cutis. Venæsectionem & pharmaca alvum ducentia pro re nata interdum præmisi, sæpius abstinui, ubi minus indicari videbantur. Vesperi adplicatum epispasticum, somnum, quem pluribus interdum noctibus dolor interceperat, plerumque suavem invitavit, ut mirarentur ægri evigilantes se dormivisse, vix crederent sibi ipsi dolorem esse discussum. Inter plurima experimenta, in differentis sexus, ætatis, habitus hominibus capta, quibus dubius semper & anceps laudabam effectum, cuius causam nec dum assequi eam possum, quæ mihi satisfaciat, multum me confirmavit, quod viderim, in iuvene nobili, deinde iterum in fœmina ætatis satis provectæ, brachio lateris oppositi per errorem applicato epithemate, doluisse saniissimos dentes illius lateris, cessasse dolorem dentis carioši, adhibitum demum epithema illi brachio, cui primum debuerat, dolorem plane discussisse. Molestum fuit aliquoties dolentia & difficilia medicatu ulcera, in loco cui Sinapi apponi iusseram, esse suborta. Hoc vero solum in cacochymicis corporibus evenit. Cesserunt tamen dentium dolores, & ulcera remediis desiccantibus, minus pinguibus, sensim perlanata sunt. Porro inter sexaginta & amplius tentamina, decem certis & indubiis experimentis confirmatum est, plurium annorum intervallo, post usum huius medelæ, dentibus magis etiam carie exesis, dolorem non rediisse. Vererer horum experimentorum in his ipsis Ephemeridibus, iteratam men-

mentionem facere, niſi fuiſſet occaſio illa ſæpius repetendi, & ſpes eſſet, ad obſtruſiſſimam in natura corporis humani hiſtoriam nervorum & doloris, ea aliquid, licet exiguum, poſſe conferre.

Obſervatio XLIV.

DN. D. CAROLI PHILIPPI GESNERI.

Lingua tumens, ſuppurata, cum enormi ſalivæ fluxu.

Vir mediæ ætatis, habitus corporis non adeo pleni, neque tamen ſicci omnino, potui ſpirituoſorum aſſuetus, ſanus tamen, media æſtate ſubito linguæ dolore acuto, prunæ ardentis impoſitæ ſenſum æquante, correptus eſt. Acceſſit ſalivæ fluxus copia, odore etiam mercurii humoribus corporis admixti ſuſpicionem inducens, cuius tamen nullum veſtigium ſedula inquiſitione ægri & adſtantium reperiri potuit. Intra tres dies adeo tumuit lingua, ut nihil deglutire poſſet, & vix niſi per nares reſpiraret æger, plenæ vero lingua fauces omnem inſpectum prohiberent. Intra hoc intervallum data lenia laxantia, clysmata, fomenta, potus emollientiſſimi, copia qua potuit maxima. Acceſſerat ſtatim febris ſatis acuta. Ruptum quinta die in medio dorſo apoſtema, puris circiter unciam dimidiam fudit, e fovea ad lineas quinque in corpus linguæ cavata. Salivæ copia, quæ intra nycthemeron ad libras plus quam duodecim aſcenderat, ſenſim diminuta eſt, ceſſit febris, vorax cibotum appetitus ſucceſſit, ulcus linguæ brevi eſt perſanatum. Inſectum aliquod ſe fœnum currui imponentem pupugiſſe, cum primum apoſtemate rupto loqui poſſet, æger narravit; Chirurgus ſe aculeum in pure, quod expreſſit, reperiſſe arbitratur. Irritabilitatis harum corporis noſtri partium, & exinde impetus humorum ad vicina aucti,

hic ingens salivæ fluxus documentum est. Quid enim? Ex opiato, forte acriore, denti dolenti adhibito, in Domina, magis etiam virtutibus, quam summa nascendi sorte, supra communem hominum dignitatem posita, tumuisse linguam, & largum salivæ fluxum esse subsecutum constat; qui cum quibusdam hydrargyri effectus videretur, docuit tamen eventus, cum ulcus, ad latus linguæ denti affecto respondens, sponte ruptum esset, non aliam fuisse causam huius secretionis auctæ, quam irritationem in corpore & loco acute sentiente, facile ad vicinas linguæ glandulas salivales propagatam, quod etiam in angina contingere norunt naturæ consulti.

Observatio XLV.

DN. D. CAROLI PHILIPPI GESNERI.

Delirium pertinax post febrim acutam.

Iuvenis nobilis prosapiæ, habitus florentis, non mediocris ingenii, viginti & duos annos natus, febri acuta vernali corripitur. Deferbuit impetus febris, sanguine misso, & administratis, quæ debebant, intra dies septem. Remansit delirium, quod a primo momento febris cœperat, ut etiam nunc cum omnibus perfectæ sanitatis signis, dies noctesque terribili voce cantando, quæ in vita sua egerat omnia exigeret, adiiceret singulis periodis, se ideo damnatum pœnas inferni ferre, ceterum sibi constans, noscens adstantes, quin unicuique, qui invisendi causa venerat, cantans, si quare cogitando etiam de illo peccaverit. Repetita venæ incisio, levissima diæta, clysmata, pediluvia, epithemata capiti admota, quæ obediens patiebatur omnia, sermones amicorum ne hilum profuerunt. Denique in fronte largissima sanguinis missio, die decima octava morbi administrata, menti sanæ restituit, & ita restituit, ut viribus intra paucos dies recuperatis,

præ-

præteritorum in morbo immemor, ingenii nullo omnino detrimento facto, octo iam annos sine ulla labe degat.

(*Dresda Halam missæ d. 10. Ianuar. 1755.*)

Observatio XLVI.

DN. D. CAROLI AVGVSTI de BERGEN.

De

Imagine unius eiusdemque obiecti a diversis hominibus in eadem distantia sub diversa magnitudine visa.

Accidit semper mihi & amicis una congregatis, quoties per tubum Gregorianum planetas contemplati sumus, quod area sive orbita unius eiusdemque planetæ cuivis nostrum sub diversa sese repræsentaret magnitudine. Differentia tanti erat, ut qui minimam Iovis videbant imaginem, eam obulo vel ternario, qui maiorem, floreno vel imperiali, qui maximam, orbis stannei depressæ areæ æquarent.

Omnes porro istos, quibus minima erant obiecta cœlestia, ex eorum numero deprehendi, qui quævis obiecta remota minus distincte vident.

Oriuntur hinc quæstiones merito enodandæ:

1) Anne cuivis individuo diversa repræsentandorum obiectorum mensura?

2) Quænam sit causa physica differentis huius repræsentationis in remotis adeo obiectis?

3) An hæc discrepans repræsentatio diversæ magnitudinis imaginem in variarum personarum retinis pingat; an vero hæc sensatio errorem ratiocinii contemplantis pro fundamento habeat?

Quidquid sit, suppeditat hoc phænomenon problema, cuius solutionem a rerum opticarum perito tanto magis exspectarem, quo certius est, huius phænomeni in scriptis Opticorum nullam, quantum scio, mentionem fieri.

Forte etiam per hæc, & similia experimenta, requisita visus pro Astronomo necessaria determinari possent; qui enim cuncta obiecta videt maiora & simul distincta, melius quoque res minutissimas, in his obiectis occurrentes, discernere potis est.

Observatio XLVII.

DN. D. CAROLI AVGVSTI de BERGEN.

De

Maculis & faculis a Solis aspectu in oculo residuis.

Illustris & immortalis famæ Vir, *Isaacus* Newtonvs, in egregio Optices opere (*c*), & quidem in præfatione, monuit, se coronas colorum, quæ circa Solem & Lunam nonnunquam apparent, quadantenus explicuisse, in cuius phænomeni lectione cum non sine animi delectatione versarer, rediit in memoriam aliud simile phænomenon, quod in iuvenilibus annis sæpe miratus sum, & cuius explicationem ex legibus diversæ refrangibilitatis radiorum primigeniorum reddere conabor. Ipsum phænomenon ita se habet.

Si quis, cui nulla organi visus labes est, quique remota æque ac propinqua obiecta distincte videt, quales iuvenum & puerorum oculi sunt, qui lucubrationibus aut experimentis opticis visus aciem nondum debilitarunt, splendentem Phœbum ad momentum tantum intuetur, declinatis mox oculis videt maculam nigram in opposito pariete, quæ sensim decre-

(*c*) quod *Lausannæ & Genevæ prodiit 1740. in 4to.*

decreſcens intra quadrantem horæ penitus diſparet. Aut ſi oculos ab aſpectu Solis removens ſtatim immoto capite claudit, putat ſe videre iubar aliquod rotundum ad inſtar Solis imaginis, quod ſucceſſive in orbitas coloratas mutatur, primo rubram, poſtea auream, flavam, viridem, cæruleam & tandem violaceam, ſub quo colore, ſemper magis magisque obſcurato, tota Solis imago diſparet; apertis rurſus oculis nullas amplius maculas ſentit.

Puer quondam hanc experientiam inſtitui, & noxas inde orituras ignorans, ſæpius repetii in lectulo orienti Soli expoſito, Sole horizontem aliquod gradibus ſuperante & adhuc debili. Facie poſt aſpectum pulvinari impoſita, vidi hos coloratos circulos, & transmutationem unius coloris in alium cum certa quadam oſcillatione & partium motu intrinſeco fieri, nec infra quadrantem horæ penitus diſparere. De cauſa parum ſollicitus, non prius de hoc phænomeno cogitavi, niſi lectis demonſtratis, de varia radiorum ſolarium ſimplicium refrangibilitate, Newtonianis. Demonſtravit ſcilicet vir incomparabilis, ſeptem iſtos radios per priſma productos plus minus refringi, ita ut ruber omnium minime, violaceus & Indicus omnium maxime refringatur: quare phænomeni formalitatem ſic explico:

Radiantis Solis radii per tunicam corneam, aqueum, cryſtallinum & vitreum humorem tranſeuntes & in medio vitrei focum formantes (*d*), in ſuperficie retinæ pingunt Solis, tanquam vividi & lucidiſſimi iubaris, imaginem. Pulpoſa & mol-

(*d*) Per experimenta cum lentibus vitreis ex ipſo cryſtallino humore capta didici, focum, quem cryſtallinus per luminis tranſeuntis radios format, non cadere in ſuperficiem retinæ, qualis multorum Opticorum ſententia eſt, ſed ante retinam ad $\frac{1}{7}$ longitudinis axeos vitrei humoris; ſumma enim convexitas cryſtallini a parte poſtica prohibet, quo minus focus ſuperficiem retinæ attingat.

lis retinæ tunicæ ſubſtantia adeo hanc imaginem ſibi imprimi patitur, ut averſa a Sole facie & clauſis oculis hoc iubar, apertis vero, nigra macula ſuperſit. Communis autem luminis ſolaris proprietas dudum evicit eius ad tempus adhæſionem ad ſuperficiem corporum, & nuper adhuc clariſſimus *Iac. Barthol.* BECCARI (*e*) hanc luminis proprietatem fere univerſalem fecit. Cur vero apertis oculis poſt aſpectum Solis nigra appareat macula, hæc mihi videtur ratio: Imago Solis generari non poteſt, niſi collectis & denſatis radiorum ſolarium igneis particulis, quæ violenter adeo in ſenſiles retinæ medulloſæ fibras agunt, ut inde in motum tremulum & oſcillatorium ruant, naturalis oſcillationis ſphæram ſuperantem, qui longe abeſt, ut viſus aciem acuet, ut potius hebetet turbetque. Apertis ergo oculis in loco, ubi infixa hæret iubaris imago, debiles luminis reflexi radii haud agunt, imo nimis tremulæ & lumine ſaturæ fibræ non ſentiunt, ſed partem retinæ occœcatam relinquunt, pariter ac demonſtratum eſt a BOERHAAVIO (*f*), varicoſa retinæ ſanguinea & lymphatica vaſcula, contiguas medulloſæ retinæ fibras ſeparantia, conſtantes iſtas maculas nigras, in quibus nulla obiectorum repræſentatio eſt, formare. Oculis vero poſt aſpectum Solis clauſis ideo apparet Solis imago ſub ſpecie iubaris, quia particulæ igneæ, formantes imaginem, ſatis denſæ & copioſæ ſunt, ut in obſcurato bulbo & in tenebris ſenſum luminis excitare poſſint. Hoc lumen ex radiis compoſitis, ſeu diſſimularibus conſtat; quamprimum vero colores oriuntur, ſucceſſive ſeſe excipientes, indicium eſt igneas has particulas diſſipari ac compoſitos radios in ſimplices mutari, & quidem legibus refrangibilitatis conformiter, quæ in generatione radiorum colorato-

(*e*) In *Commentario de quamplurimis Phoſphoris. Bononiæ* 1744. 4to.

(*f*) *Lib. de Morbis oculorum. Gœtting.* 8vo.

ratorum ex radio compoſito obſervantur. Radii nempe colorati minoris refrangibilitatis minus diſtant a linea coniunctionis, in qua lumen compoſitum emergit, & hinc quoque minori temporis intervallo ad eandem lineam vergunt; radii maioris refrangibilitatis magis diſtant ab hac linea & plus temporis impendunt, antequam ad communem axin accedant. Quare ratio in promptu eſt, cur diſparente iubare ruber prius in orbita colorata, poſtea ſucceſſione naturali ſequentes colores oriantur; & evaneſcente poſtremo, ſcilicet violaceo & Indico, tota diſpareat orbita colorata. Quis ergo negabit, hoc phænomenon theoriam Newtoni mirum in modum confirmare? In iuniorum hominum oculis hæ imagines breviori temporis intervallo dilabuntur, forte ob pellucidos & intemeratos magis oculorum humores, cui adſcribendum, quod celeberr. *de* Buffon (*g*) retulit, ſeſe multosque alios ab inſpectione Solis talium macularum veſtigia ad aliquot ſeptimanas retinuiſſe. Imo protractus eiusmodi iubaris, luminis, vel ſplendentis & albi obiecti, focique cauſtici & culinaris adſpectus pertinaces adeo maculas gignit, quæ tandem perſiſtunt & in ſpeciem amauroſis vel guttæ ſerenæ degenerant. Hinc Arabes, Perſæ, Ægyptii, per campos arenoſos, ſolis ſplendore corruſcantes, vel nivoſa montium cacumina, lucem vividam reflectentia, iter facientes, primo has maculas & veſtigia, poſtremo ſæpe amavroſin reportant. Recordor pariter, quanto cum viſus detrimento inſtituantur experimenta cum Speculis cauſticis, quæ niſi oculi rica vel ſidonia chlamyde ſint tecti, diuturnas poſt ſe trahunt maculas. Idem contingere neceſſe eſt hominibus fulguri frequenter ſeſe exponentibus, quales inſtar eorum, qui lucubrationes in ſeram noctem protrahunt, viſum adeo debilem ſibi conciliant, ut etiam obiectorum luce duntaxat reflexa illuminantium imagines ad tem-

(*g*) *Memoires de l' Academie Royale des Sciences. 1743. pag. 147.*

tempus retineant, quale exemplum GASSENDVS (*h*) de illustri PEIRESCIO refert, qui millies expertus, *cum respexisset per momentum in fenestram clathris ligneis, quadratulisque papyraceis interstinctam, circumferre sese illius formam in oculis, ita ut si clausos contineret, tunc clathros obscuros & quadratula candida detexerit, sin autem apertos in parietem coniecerit, tum obscura quadratula, clathra vero eiusdem candoris cum pariete contueretur.*

Observatio XLVIII.

DN. D. CAROLI AVGVSTI de BERGEN.

De

Effectu deleterio, causaque sphæricitatis globulorum minorum plumbeorum (vulgo *Schrodt.*)

In Volumine X. *Actorum Naturæ Curiosorum sub num. V. p. 22.* legi nuper observationem Celeberrimi D. MATERNI *de* CILANO, de morte a deglutitis globulis plumbeis (*Hagel*) in intestinis hærentibus, in femina subsecuta, ubi Clarissimus observationis Auctor necrosin & siderationem intestinorum ex deficiente horum vi expultrice deducit. Etiamsi vero non negem, peristalsin intestinorum debilitatam utique accelerare posse noxios effectus ex aliis causis pendentes, nihilo tamen secius persuadere mihi non possum, relati casus tragicum effectum ex allegata causa inductum fuisse. Liceat igitur mihi, cum ab omni contradicendi pruritu abhorream, pace & venia doctissimi observatoris, cuius merita in rem medicam semper magni facio, meas qualescunque de vera lethiferi huius effectus causa meditationes in medium proferre, eruditorumque censuræ subiicere.

Sci-

(*h*) *In vita* PEIRESCII, *Operum Tom. IV. Lugd. fol. 1658. p. 316.*

Scilicet existimo, memoratum effectum unice in virulenta qualitate horum globulorum plumbeorum quærendum esse: quod sequentibus argumentis probatum eo. Parantur istiusmodi grandines plumbei ex liquato plumbo, cui inspergitur auripigmentum pulveratum, quod calore bullientis plumbi solvitur & parte sua arsenicali sese partim cum plumbo miscet, partim in scorias vertitur, quæ sub forma spumæ apparent & cochleari separantur. Repetito aliquoties hoc labore præparatum & denuo liquatum plumbum infunditur cribro cupreo vel ferreo, foramina diversæ magnitudinis habenti, & guttæ liquati plumbi aqua frigida supposita excipiuntur, qua una encheiresi artifex globulos diversæ magnitudinis accipit, quos diversis iterum cribris separat & sub suis numeris venum exponit.

Auripigmentum autem est concretum mineræ, quod, licet Chymicorum consensu constet ex arsenico & sulphure invicem superficialiter mistis, quamdiu in sua naturali syncrisi subsistit, inter deleteria venena non refertur. Sed superficialis mixtio supponit facilem decompositionem, quæ super liquatum plumbum contingit & partem sui arsenicalem plumbo communicat. Quod vero virulentam horum globulorum qualitatem eminenter auget, ab artificum encheiresi dependet, qui, inprimis in Germania, arsenici patria, una cum auripigmento certam portionem arsenici albi super plumbum deflagrare sinunt, qua manipulatione plumbum arsenico imprægnatur; his ergo circumstantiis deleterius horum globulorum effectus adscribendus erit. Simile quid videre est in cupro per arsenicum dealbato, & ad varia utensilia culinaria perquam apto, sed quibus sine periculo utendum non est. Ex aliorum experientia accedit, homines quandoque unum vel alterum maiorum globulorum, sclopetis inservientium, & simplici fusione in forma ferrea paratorum, deglutiisse, eosque salvos suo tempore reddidisse; aut alios tales globos, quibus percussi

fuere, in cavitate ventris vel intra lacertorum interstitia cellularia per omnem vitam citra sanitatis dispendium circum portasse. Tandem ex his concludo, vulnera his globulis minoribus facta, & satis profunde impressa, cæteris paribus periculosiora & generandis gravibus symptomatibus aptiora fore istis, quæ maioribus infliguntur. Non tamen ideo carnis venaticæ delicatioris amatoribus terrorem incutere volo, quasi simile quid ab harum esu metuendum esset; quæ enim animalia inde cito moriuntur, vel semimortua enecantur, circulantibus tantam moram humoribus non concedunt, ut bibulæ venæ venenum absorbere & sanguinis oceano communicare possint.

Alterum huius meæ observationis membrum concernit phænomenon, quod Physicorum ingenia exercere valet, quodque problematis loco subiungam. Omissis scilicet auripigmento & arsenico æque facile, imo facilius liquatum plumbum cribra transit, sed eius guttæ in aquam cadentes nunquam fiunt sphæricæ, sed elongantur in cylindros, vermiculos æmulantes. Quænam igitur existit ratio, quod addito auripigmento & arsenico hæ guttulæ, iam cadendo in ellipses mutatæ, sphæricam figuram recuperent in aqua? Respondeo, nondum meliora edoctus, ex legibus attractionis constare, cur fluida corpora, in guttas divisa, globosam induant figuram; forte ergo plumbum addito arsenico & auripigmento induratur, ut particulæ metallicam guttam constituentes maiori nisu cohæreant & pressione æquali ambientis frigidæ velocius coadunentur in sphærulas; purum enim plumbum liquatum propter mollitudinem summam minus cohæret, hinc aquæ instillatum ex insita gravitate, & fluxilitate, cadendo elongatur. Forte etiam arsenicum & auripigmentum aliquid continet, quod reciprocam aquæ in plumbum & huius in illam attractionem imminuit, ex phænomenis enim guttularum aquearum, diversis corporibus instillatarum, diversa resultat attractio, exemplo sim-

simplicis guttæ aqueæ, quæ fortius attrahitur a superficie marmoris, quam ligni aut folii plantæ. Sed parem perfecte explicando huic phænomeno me non invenio, limites cognitionis physicæ ditabunt, quibus animus est hoc problema solide resolvendi.

Observatio XLIX.

DN. D. CAROLI AVGVSTI de BERGEN.

Camphoræ in aqua solubilis quædam phænomena.

Ante plures annos aliquando experiebar, quomodo Camphora accensa super aquam deflagraret, & postquam hoc experimentum verum deprehendi, experiri etiam volui, an Camphora in pulverem redacta pari ratione accenderetur, in quo experimento irrito vidi ramenta & particulas Camphoræ aquæ inspersas motu gyratorio in orbem ferri, atque hunc motum tamdiu continuari, donec integra particula nudis oculis visa sit penitus evanuisse, aut si forte hoc motu lateribus vasculi appulsa fuerit, ibidem immotam & adhærentem remansisse.

Quo frigidior aqua est, eo magis hic motus gyratorius est sensibilis; quo calidior, eo minus.

In aquæ temperie ad sanguinis temperiem calida nullus se exserit motus, sed particula in superficie aquæ immota iacet.

In aquæ temperie 20. grad. Thermom. Fahrenheit. supra punctum congelationis calida, hic motus superstes erat, licet debilis.

In aqua 20. grad. Thermom. Fahrenheit. infra punctum congelationis frigida, hic motus vehementissimus erat, nec nisi evanescente particula cessabat.

Cum de paradoxo solutionis Camphoræ in aqua phænomeno adhuc dubitarem, oculis armatis, scilicet microscopio composito D. NORD, ad exploranda fluida aptato, has particulas consideravi, & vidi hæc ramenta seorsim in gyrum acta, modo rapide sese attraxisse & plura coniunctim motum rotatorium continuasse.

Quamlibet particulam, præter motum rotatorium, peculiarem oscillatorium habuisse observavi. Omnium porro margines laceros & angulosos, quo diutius motu agitantur, vidi æquales fieri, & æqualem peripheriam acquirere.

Ex peripheria uniuscuiusque particulæ sese moventis cum admiratione vidi plures penicillos effluentis tenuissimæ materiæ, fere tales, quales pro electrica sua materia pinxit NOLLETVS, qui a refractione multiplici horum microscopiorum omnes iridis colores habebant. Profluvium huius materiæ continuavit, donec omnis particulæ motus cessaverit, non tamen ideo, quod nudis oculis videbatur, tota particula in aquæ superficie dissipata est, sed reliquit quasdam quasi exuvias, quiete iacentes, non amplius solubiles, nec penicillos emittentes.

Quo maiora erant Camphoræ ramenta, eo minus sensibiles erant gyri, ita ut frustulum, seminis cannabis magnitudine, nullum amplius motum manifestaverit.

Unius horæ spatio ramenta & atomi Camphoræ in descriptas scorias sunt redactæ, aqua tunc saporem & odorem Camphoræ monstrante, qui tamen uterque intra aliquot horas evanescit & aquam insipidam & inodoram relinquit.

Cum spiritu Nitri acido debili, oleo Tartari per deliquium, aceto destillato, urina frigida, idem reiteravi experimentum, sed ramenta immota iacebant in superficie, nec conquassato vase fundum petebant.

In spiritu vini rectificatissimo fundum petebant particulæ & momento citius solvebantur.

Con-

Conſectaria, quæ ex his obſervatis formo, ſequentia ſunt:

1) Solutionem Camphoræ in aqua non eſſe impoſſibilem, ſed perfectam non dari.

2) Imperfectam eſſe, quia non omnem Camphoram ſolvit, ſed recrementa relinquit.

3) Falſum eſſe quorundam ſcriptorum aſſertum, Camphoram adeo perfecte in auras avolare, ut nulla prorſus recrementa vel ſcorias relinquat.

4) Solutionem hic fieri, qualis nunquam alibi; rarefactum enim phlogiſton, quod Camphoram ſub forma penicillorum continuo derelinquit, non diu moram nectit intra aquam, ſed brevi in auras avolat, longe promptioris diſſipationis, quam eſt phlogiſton ſpiritus ardentis rectificatiſſimi, qui integros requirit dies, antequam auræ liberæ expoſitus, deflagrandi qualitatem amittit.

5) Forſitan pauculum aquoſum, quod in Camphoræ miſcela hæret, in mutuam attractionem cum aqua ambiente niti, unde atomorum motus oſcillatorius & gyratorius.

6) Forſitan etiam phlogiſti concentrati vim expanſivam, quam penicilli materiæ effluentis tenuiſſimæ comprobant, a medio denſiore circumdante intendi & hos motus producere.

7) Fortiorem motum particularum volatilium ab ambiente medio frigido, volatilium menſtruorum actionem augere magis frigore, quam calore, quod dudum iam credidi, toties expertus, me nunquam ſaturatiorem & meliorem eſſentiam aurantiorum ex vini ſpiritu obtinuiſſe, quam ſub ſummo frigore.

Colophonem his Obſervationibus impono, alterius notatu non minus dignæ qualitatis Camphoræ recenſione. Camphora nullum novi volatilius & inflammabilius ſubiectum ex regno ſtirpium; interim igne vitri vel ſpeculi cauſtici ægerrime

accenditur; parvo tali vitro, cuius ſegmenti radius ═══ erat 6. pollic. Camphoram non accendi, licet ſubiecta papyrus & tabula lignea ignem conciperet. Finem dictis impono, commemoratione ſymboli Antagoniſtæ SALMASII: *Quantum eſt quod ignoramus:*

(*Francofurto ad Viadrum Halam miſſæ d. 18. Ianuar. 1755.*)

* * *

Notum eſt mihi quarundam muliercularum ad dentium dolores ſedandos remedium euporiſtum, quod parant ex aqua fervida camphoræ particulæ raſæ vel conquaſſatæ adfuſa, probe tecta, & ſuper fornace calefacta aſſervata. Huius infuſi adhuc calidi portionem largam ore aliquamdiu tenent, deinde exſpuunt, idque aliquoties repetunt, haud raro cum effectu optato. Aqua hac methodo camphoræ quidem parum ſolvit, eius tamen odorem atque ſaporem gravem inſigniter recipit eiusque ope vires laudatas exſerit.

C. I. TREW.

Obſervatio L.

DN. D. IOANN. WOLFG. FRIEDER. BOENNEKEN.

De

Vitiligine, & quidem illa ſpecie, quæ a CELSO ἡ λεύκη *vocatur.*

Medicorum, in deſcribendis multorum morborum ſignis diagnoſticis diſcrepantia per ſæpe tanta eſt, ut nonnunquam admodum difficile ſit Medico, eorum ſcripta legenti, diſtincte cognoſcere, qualis hic vel ille proprie ſit morbus, qui

qui ipsi in praxi clinica obviam venit, cuiusque curationem suscipere debet. Exempli causa illos tantum nominare sufficiet affectus, qui sub titulis *ulcerum serpiginosorum*, *impetiginis*, *herpetis*, *vitiliginisque* occurrunt, quorum unus cum altero in Medicorum scriptis utplurimum confundi solet. Ea propter Medicum praxin facientem omnem quam maxime decet adhibere industriam, ut tam in diiudicandis, quam literis consignandis morbis specificam horum indicet differentiam; qua in ardua sane nec tamen minus præclarissima arte, perantiquus noster Cicero Medicus, CELSVS nimirum, ceteris fere palmam præripit. Ex innumeris autem, quos cum insigni perspicuitate in Libris suis de Medicina descripsit, corporis humani affectibus, *Vitiliginem* huc in medium proferre lubet. Hæc enim cum impetigine sæpe confunditur, ita ut a nonnullis Medicis pro uno eodemque affectu habeatur. CELSVS autem supralaudatus, pro more suo differentiam horum adfectuum perquam distincte *Lib. V. Cap. XXVIII. Art. 17. 18. & 19.* indicavit. Conveniunt quidem quodammodo inter se, cum uterque affectus sit cutis quædam defœdatio magis vel minus ulcerosa, sub qua squamulæ albidæ ex cute decidunt, & quæ in cute, inde simul asperiori reddita, serpendo progreditur. Specifica vero horum affectuum differentia in eo consistit, quod ulcera superficialia, quæ Medicis *serpigo*, *lichen*, *impetigo*, & *herpes* audiunt, cum cutis desquamatione insimul 1) eius inæqualitatem habeant coniunctam, & 2) in illa profundius hæreant, quam in vitiligine eiusque speciebus, quarum prior a CELSO vocatur ἄλφος, ubi color cutis albus est. & fere subasper, ac non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ videantur, ideoque propter similitudinem a germanis vocantur: *Mehl-Flecken, Weisser Aussatz;* altera vero [illegible], alpho quidem exacte similis, sed magis albida, altiusque descendens, in qua pili sunt albi, & lanugini similes. Et hæc ultima spe-

cies

cies ea eſt, quam obſervare ac peculiari hucusque non admodum frequenti remedio ſanare mihi contigit.

Piſtor quidam civitatis Svinfurtenſis, ætate quinquagenarius, vir quadratus, carnoſus, ſanguineo-cholericus, laborioſus, optima ſanitate fruens, diætæ tamen vinoſæ minusque ordinatæ indulgens, mihi anno 1749. d. 30. Decembr. monſtrabat maculas albas latas, cutem eius obſidentes, præcipue in nucha, collo, humeris, dorſo, brachiisque ad flexuram usque cubiti longe lateque deſcendentes, absque ulla tamen cutis inæqualitate, cum aliquali pruritu inprimis noctu eum torquentes, qui ſcalpendo quoque exacerbabatur, indeque ſquamulæ albæ farinaceæ decidebant, absque notabili inflammatione, ſerique acris in magna quantitate effluxu ſubſequente, ſed cutis tantummodo reddebatur madida & maculæ ulterius ſerpebant. Ab hoc itaque adfectu magis fœdo, quam periculoſo, liberari optabat æger, metuens, ne malum hoc ulteriores progreſſus caperet, brachium ſcilicet anterius & manum utriusque lateris occupando, quippe quod panem ab illo ementibus nauſeam movere, & negotio ſuo damnum inferre valeret. Rebus igitur ſic ſtantibus, affectum hunc paucorum dierum ſpatio tolli poſſe negabam; quodſi vero decenti cum patientia & aſſiduitate convenientia medicamenta, ſub ſtrictiſſimo regiminis & diætæ ordine, adſumere vellet, tunc me non dubitare adſerebam, quin intra ſex ſeptimanas ab hoc malo liberari priſtinusque cutis nitor & integritas reſtitui poſſit.

His ergo conditionibus cum ſe lubentiſſime obtemperaturum polliceretur, ſequentem in modum curationem ſum aggreſſus. Præſcripſi nimirum d. 30. Decembr. 1749. ſequentem potiunculam: Rec. Aquæ lax. Vienn. unc. j. & dimid. Elect. Caryocoſt. drachm. j. & dimid. Reſin. Ialapp. ppt. gr. iij. Syr. Roſ. ſolut. drachm. ij. M. D. S. Sumatur mane ieiuno ſtomacho; eamque altera vice, elapſis tribus diebus, denuo adſumebat, cum effectu deſiderato. Poſtea ordinavi d. 8. Ian.

Ian. 1750. ſequentes Pilulas: Rec. Panac. Edimburg. ſcrup. ij. (*i*) Gumm. Guaiac. drachm. dimid. Reſin. Guaiac. ſcrup. dimid. Balſ. Copaiv. q. ſ. M. F. Pilul. ex drachm. j. num. xij. de quibus mane & veſperi ſex ſumendæ. Rec. rad. ſarſæparill. unc. ij. chin. bardan. ſcrophul. polypod. ana unc. j. glycyrrhiz. unc. dimid. raſ. lign. guaiac. unc. ij. ſaſſafr. unc. dimid. paſſul. mai. & min. ana drachm. V. ſem. fœnic. drachm. ij. antimon. crud. in pet. lig. unc. dimid. M. divid. in IV. p. æqu. D. S. Species pro potu, quarum una portio in 3. Menſ. aquæ font. decoquenda ad remanent. menſ. ij. de Colatura bibatur mane, poſt merid. & veſperi quarta pars Menſuræ tepide. Externe laventur maculæ bis de die ſequenti lotione: Rec. Vitriol. alb Alum. rup. ana drachm. ij. Mercur. ſublim. corroſ. drachm. dimid. Sacchar. ſaturni drachm. iij. Sal. tart. ſcrup. IV. F. pulv. eique affunde aquæ font. bull. libr. ij. ſtent in infuſ. per xij. horas & poſtea filtretur. Adſumtis modo dictis pilulis, illas reiterare curavi, ac ſaltem tres illarum mane & veſperi deglutire iuſſi, & ſemper poſt octo dierum intervallum potiunculam ſupra deſcriptam laxantem interpoſui. Hac ergo methodo ad diem usque xx. Ianuarii ſedulo continuata, evitando ſimul cibos ſalitos, fumo exſiccatos, acidos, carnem ſuillam, ſpirituoſa, aromatibusque nimium condita, optima tandem recuperandæ ſanitatis ſpes adfulgebat; hinc æger noſter, plenariam ſanationem anxie quærens, facillime ad ulteriorem medicamentorum adſumtionem perſuaderi poterat, iisque ad Februarii finem usque dicto modo continuatis, omnis cutis defœdatio evanuit, & ſic ſub benedictione divina a malo nonnunquam valde pertinaci fuit liberatus, & in hunc usque diem pancratice vivit, nec unquam poſt hæc præteriti mali veſtigium qualecunque obſervavit.

Obſer-

(*i*) Vid. Acta Edimburg. Volum. IV.

Observatio LI.

DN. D. IOANN. WOLFGANG FRIDER. BOENNEKEN.

De

Exulceratione tonsillarum pertinaci.

Vir quidam perhonestus Civitatis Suinfurtensis, temperamenti cholerico-sanguinei, annum ætatis trigesimum sextum, vitamque sedentariam, pro officii sui ratione, agens, adfligebatur anno 1745. mense Aprili tonsillarum inflammatione, quæ tandem in suppurationem abiit, unde utraque tonsilla reddebatur ulcerosa, quam dolorificam earum conditionem Chirurgus quidam satis prudens inque rebus suis expertus, multis licet hunc in finem adhibitis mediis, tollere non valebat. Cum ergo insimul præcipue circa vesperam febriles accederent commotiones, hinc, ut & his, & acrimoniæ biliosæ, quam in suo ventriculo hærere non sine prægnante causa suspicabatur æger, congruis resisterem remediis, me adiit, statimque ipsi die 21. April. sequentem præscripsi potiunculam: Rec. aqu. card. ben. flor. til. fœnic. ana unc. ij. Pulv. temperant. ordin. m. magnes. alb. cryst. mont. ppt. ana scrup. ij. Syr. acetos. Citri drachm. iij. M. sumantur quolibet trihorio cochlearia duo. Die 23. April. Rec. syr. viol. mell. ros. ana unc. dimid. ess. myrrh. sine alcali drachm. dimid. bals. peruv. scrup. j. M. F. Eclegma, post gargarisationem cum penicillo applicandum. Die 24. April. Rec. resin. lal. ppt. sacchar. canar. ana gr. xij. Ol. de Cedro gt. j. M. F. pulv. pro una dosi mane ieiuno stomacho sumendus. Æstui febrili & siti urgenti sequentem oppositi Tincturam d. 25. April. Rec. tinct. flor. papav. err. unc. dimid. Liquor. mineral. anod. Hoffm. drachm. ij. M. & quolibet quadrihorio sumantur quinquaginta guttulæ.

Ad-

Adhibitis vero his aliisque auxiliis chirurgicis, cum ad ſanationem rebellia hæc tonſillarum ulcera non potuerint perduci, merito hinc interna ſanguinem depurantia medicamenta coniungenda eſſe iudicavi, & idcirco die 29. Apr. pilulas præſcripſi laxantes: Rec maſſ. pilul. Beccher. gr. xv. Reſin. lalapp. ppt. gr. iij. Mercur. dulc. rit. ppt. gr. v. Ol. de Cedro gt. j. M. F. Pilul. num. xi. D. veſperi pro una doſi. Die 1. Maii: Rec. rad. ſarſæpar. unc. iv. chin. gramin. lapath. acut. ana unc. ij. cichor. polypod. glycyrrh. raſ. lign. ſaſſafr. guaiac. ana unc. j. cort. aurant. unc. dimid. conc. & cont. M. div. in iv. p. æqu. D. ad chart. coqu. una portio in tribus menſ. aquæ font. ad reman. menſ. ij. bibatur mane, pomeridie & veſperi quarta pars menſuræ unius. Die 3. Maii ordinavi Gargarisma paulo acrius: Rec. Aquæ prunell. unc. viij. Syr. diamor. dianuc. ana unc. j. Mell. roſ. unc. dimid. ol. vitrioli gtt. ij. Eſſ. myrrh. ſine alcali drachm. j. M.

Hæc vero omnia cum ſperatum effectum haud ederent, motusque febriles magis increbeſcerent, pulveres æſtum febrilem moderantes bilioſamque ſaburram e ventriculo & inteſtinis ſucceſſive educentes, ex pulv. temper. drachm. iij. & pulv. Rhabarb. orient. drachm. j. compoſitos die 6. Maii cum ſequenti vehiculo ſumendos exhibui: Rec. rad. chelid. mai. unc. j. cichor. unc. dimid. herb. veron. beton. ana Manip. j. ſem. aniſ. drachm. ij. Conc. & cont. M. F. Species pro infuſo theeformi, more ſolito ter de die præparando, qualibetque vice 4. vel 5. vaſcula bibendo; itemque ſequens Eclegma: Rec. mell. roſ. drachm. iij. ciner. cent. min. alb. græc. ana drachm. j. M. applicetur ter de die poſt gargariſationem cum penicillo.

Licet vero hæc omnia usque ad decimum tertium diem ſub ſtricte obſervato regimine, convenientique diæta fuerint adhibita, ulcera tamen perſeverabant rebellia, & fere cacoëthea, impura; unde fortiora abſtergentia, aquam nempe viridem *Hartmanni* bis de die cum penicillo applicari, faucesque

paulo post cum sequenti decocto eluere iussi: Rec. herb. malv. hort. man. j. prunell. ver n. salv. plantag. flor. ros. r. ana manip. dimid. rad. polypod. querc. drachm. ij. Conc. & cont. M. decoqu. c. aquæ font. mens. ij. & aceti vini unc. vj. per horam, Colat. D. pro gargarismate; interne vero sequentem pulverem purgantem exhibui: Rec. Diagryd. gr. viij. Mercur. dulc. rit. præp. scrup. dimid Ol. de Cedro gt. j. M. D. mane ex aqua pura. Tandem die 15. Maii sequentes præscripsi pilulas: Rec. Æthiop. min. iuxta meth. Celeb. *Schulzii* parati drachm. j. Extr. cent. min. scrup. j. M. f. c. s. q. tereb. venet. pil. num. xxxvj. consperg. sem. lycopod. & quolibet die matutinis horis novem illarum sumantur. Die 17. Maii interposui pilulas laxantes, ex Massæ pilular. polychrest. gr. xviij. diagryd. gr. v. Ol. de Cedro gt. j. M. D. vesp. pro dosi. Die 20. Maii iterum has pilulas laxantes cum Troch. Alhandal gr. ij. acuatas exhibui, & supra dictas purificantes reiteravi pro 4. dosibus; sicque continuavi usque ad finem mens. Maii, quarto semper die vespertinis horis sumendo pilulas laxantes, & hac ratione atque medendi methodo ulcera hæc admodum refractaria penitus ita sunt consolidata, ut ne vestigium quidem illorum amplius supersit.

Observatio LII.

DN. D. IOANN. WOLFGANG. FRIDER. BOENNEKEN.

De

Carcinomate faucium, velum palatinum, tonsillas atque uvulam obsidente, cum plenaria huius consumtione.

Vir quidam honestus, Cantoris officio in civitate libera Imperiali Suinfurtensi fungens, vitæque sedentariæ & studiis assidue addictus, ætatis 44. annorum, proceræ staturæ, temperamenti cholerico-melancholici, adeo gracilis, ut quoad externum adspectum hectico similis videretur, humorum salsa acredine, hinc crebrioribus catarrhis, coryza, tussi acri, raucedine, cum perpetua fere pectoris oppressione diu multumque vexatus, post improvide admissum refrigerium adficiebatur levi faucium, præcipue veli palatini, tonsillarum & uvulæ inflammatione; cui licet eius ordinarius barbitonsor varia, pro virium suarum modulo, opponeret adminicula, dictarum tamen partium erosionem ulcerosam, in ulcus depascens tandem degenerantem, non poterat præcavere, multoque minus eius consolidationem obtinere, ita ut ægrotus per aliquot septimanas immanes dolores & cruciatus sustinuerit, & malum de die in diem increbescere sentiret, priusquam me die 6 Octobr. 1749. adiret, auxiliumque anxie efflagitaret; quo vero tandem facto, salivationem per hydrargyrum excitandam, quam amicorum suorum nonnulli suaserant, mihi proponebat, ad eamque patienter sustinendam promtum se paratumque esse adseverabat. Fauces eius inspiciens, ulcus magnum impurum, fœtidum, dictas partes depascens, verbo, carcinoma detexi, & uvulam iamiam deperditam deprehendi,

ita ut, si potum aut cibos tenues adsumeret, fere omnia per nares effluerent. In hisce igitur rerum circumstantiis salivationem instituere ego quidem haud hæsitassem, modo 1) subiectum non nimis siccum, sed magis succulentum fuisset, & 2) miasma quoddam venereum eius humorum massæ inhærere ex sufficientibus rationibus suspicari potuissem, probe gnarus, eiusmodi mali moris ulcera salivatione mercuriali, nonnunquam esse sanata; conf. e. g. *Acta Academ. nostræ Vol. I. Obs. CX. p. 225.* Dissuasi ergo salivationem, & blandiori, nec tot tantisque symptomatibus exposita methodo sanationem sub summi Numinis auspiciis ipsi promittens, insimul indicavi, quod uvulæ iamiam consumtæ, cuius vestigium vix ac ne vix quidem adesset, restitutionem præstare non possem. Tum recordabar casus præcedentis eiusque felicis curationis, quam & in hoc subiecto pari methodo suscipere mecum constitui. Iniuncto itaque convenienti regimine & diæta, præscripsi die 6. Octobr. 1749. sequentes formulas: 1) Rec. M. Pil. balsam. D. *Goblii* scrup. IV. (*k*), formentur pilulæ num. XXXVI. obduc. arg. D. S. Pilulæ laxantes, de quibus novem sumantur quarto semper die vespertinis horis. 2) Rec. Aethiop. miner. iuxta method. D. *Schulzii* parat. drachm. iij. (*l*), extr. cochlear. q. s. F. Pilulæ num. LXXXIV. exacte æquales, consperg. pulvere cinnab. nat. ppt. D. S. Pilulæ purificantes, de quibus quolibet die, matutinis horis, sumantur num. VII. excepto illo die, qui operationi Pilularum laxantium est destinatus, superbibendo successive quadrantem mensuræ de sequenti decocto: 3) Rec. rad. sarsæpar. unc. ij. chin. bardan. scrophular. polypod. querc. ana unc. j glycyrrh. unc. dimid. passul. mai. & min. ana drachm. V. sem. fœnic. drachm. ij. Conc. & cont. M. div. in IV. p. æqu. quarum quælibet successive decoqu. cum aquæ font. mens. ij. & dimid. usque ad re-

(*k*) Eius Compend. Prax. clin. p. m. 84.
(*l*) Vid. Eius Dissert. de Auribus manantibus.

remanentiam menſ. ij. indeque bibatur ter de die horis medicis quarta Menſuræ pars, ſive quantum lubet, tepide. 4) Aqua viridi *Hartmanni* partes exeſas bis de die ope penicilli illinire, & paulo poſt fauces gargariſmate ſequenti eluere iuſſi: Rec. Aquæ flor. papav. errat. malv. heder. terreſtr. ſalv. flor. ſamb. vuln. gall. (*l'eau d'arquebuſade*) ana unc. ij. eſſ. myrrh. ſine alcali drachm. ij. pimpin. alb. drachm. j. alb. græc. drachm. ij. lap. prunell. ſcrup. j. ſyr. diamor. viol. ana unc. dimid. mell. roſ. drachm. ij. M. D. in Fictili. Uſu horum medicamentorum per menſem continuato, ulterior quidem progreſſus ulceris multum impediebatur, citra tamen ſubſequentem conſolidationem, unde cuncta die 7. Novembr. reiterari iuſſi, addendo ſimul unciam dimidiam Antimonii crudi, in petia ligati, cuilibet portioni decocti, & Eclegma tenue ordinavi, ex ſucci limon. unc. j. aquæ rut. unc. ij. mell. roſ. ſyr. moror. ana unc. i. ſpiritus nitri dulc. drachm. dimid. Ulcere autem circa finem huius menſis repurgato, eius ſanationem ſequenti eſſentia balſamica promovere contendi: Rec. eſſ. myrrh. ſin. alcali unc. dimid. balſ. peruv. drachm. j. ſyr. viol. drachm. ij. illinatur ter quaterve de die cum penicillo. Totam denique curationem ſequentibus exoptato cum ſucceſſu abſolvi: Præſcripſi nimirum die 5. Decembr. doſin unam pilul. balſ. *Goblii*, & die 8. Decemb. ſequentes pilulas: Rec. pulv. alterant. Edimb. drachm. ij. gum. Guaiac. drachm. j. & dimid. reſin. eiusd drachm. dimid. balſ. Copaiv. q. ſ. M. form. ex drachm. j. Maſſæ pilulæ num. xij. conſperg. ſem. lycopod. quarum tres quotidie mane & veſperi adſumantur, continuando ſimul uſum decocti ſupra deſcripti & eſſent. balſamicæ, cui ſpiritus Cochlear. drachm dimid. addidi, tandemque reiteratis die 16. & 22. Decembris pilulis balſamicis *Goblii*, curationi felicem impoſui finem, ſiquidem ægrotus nunc priſtinam penitus recuperavit ſanitatem, uvula tamen deperdita, cuius iactura effecit, ut vox eius non niſi cum aliquali ſtre-

ſtrepitu vel ſibilo per nares audiretur, inſimulque cibi tenues & potulenta, niſi cum ſummo moderamine parvaque doſi ſimul deglutirentur, per nares regurgitarent, quibus tamen non obſtantibus ab eo tempore prædictus ille vir officium ſuum debite, & cum illibata ſanitate, (ſi dicere de eo licet, quod unquam antea illa gaviſus fuerit,) adminiſtravit, usque ad hunc quinquageſimum quintum annum, qui ipſi fuit fatalis, ſiquidem d. 22. Febr. in febrem incidit catarrhalem, cum tuſſi & ſcreatu materiæ purulentæ e pulmone dextro, quæ, optimis licet adhibitis remediis, eundem nono morbi die e vivis eripuit. Eventus hic ſatis ſuperque teſtatur, virum hunc a multis iamiam annis vomicam in pulmone abſconditam geſtaſſe, quæ ſub ultimo morbo per vehementem tuſſiculoſam commotionem diſrupta fuit mortemque acceleravit. Ob eandem quoque rationem nunquam vere ſanus fuit, ſed diu iamiam diſpoſitionem corporis hecticodem externo adſpectu prodidit. Similem curationem carcinomatis faucium ante aliquot dies, evolvens Volumina Actorum Academiæ noſtræ in *Vol. V. Obſ. CXXXVI. p. 451.* deprehendi, præcipue vero illud ab uſu pilul. iſtarum, ex Panacea Edinburgenſi confectarum perſanatum fuiſſe multa cum delectatione animadverti.

Suinfurto Halam miſſæ d. 9. Mart. 1755.)

Obſer-

Observatio LIII.

DN. D. IOANN. SEBAST. ALBRECHT.

Oculi vulnus, cum graviori contusione, lethale.

Ob concursum plurium nervorum in & circa bulbum oculi, qui neminem Medicorum latet, post graviores contusiones huius visorii organi gravissima sæpe oriuntur symptomata & inter hæc etiam spasmus oris, quæ nonnunquam perversæ tractationi seu male institutæ curationi attribui solent. Orta hinc novissime illa lis est inter *Iosephum* Rocchi & *Herculem* Bartelli *in Italia* (*m*). Non lubet iam huic me immiscere controversiæ, sed historica fide tantum referam ea, quæ circa hanc rem anno 1754. observare mihi licuit, iudicium cuivis cordatiori rerum gnaro & æquo æstimatori relicturus.

Modo indicato anno d. XIX. mens. Octobr. vir iuvenis, ruricola, celebs adhuc, ætatis XXX. annorum, habitus corporis macilenti, evocatus ad exercitia militaria, vespertino tempore domum redux, obscuriori cœlo, a quibusdam iunioribus eiusdem pagi incolis, scomatibus & iocis impetebatur, num pulvere pyrio sit instructus? num adeo audax sit, ut conaretur bombardam suam explodere? & quæ sunt alia. His ludibriis & sannis excitatus in tenebris, nescius quendam ex his sibi stare proximum, explodit hoc instrumentum bellicum & infeliciter charta compacta huius oculum sinistrum petit. Inopinato hoc casu perterritus læsus, cum terrore adstantium, maxime vero lædentis, statim humum antrorsum prostratus sine sensu iacebat, sed brevi tempore ad se rediente animo domum ad parentes adhuc vivos a comitibus reducebatur.

(*m*) vid. Relationum curiosar. de rebus eruditis Göttingensium *(Göttingischer Anzeigen von gelehrten Sachen)* 1755. num. 147. d. 8. Decemb. pag. 1355. sub artic. *Pesaro.*

batur. Per totam noctem negligenter, nulla cura adhibita, simplici splenio & fascia oculo læso deligato, inquietus erat æger. Crescente tandem tumore, auctis doloribus, altero demum die circa meridiem advocatus Chirurgus eiusdem loci invenit palpebras huius oculi rubentes & adeo tumentes, ut ad explorandum statum ipsius bulbi oculi plane nullum potuerit acquirere accessum. Rebus sic stantibus Chirurgo prima cura fuit, resolventibus herbis in vino coctis tumorem discutiendi. Interne simul in subsidium vocabantur medicamenta temperantia, antispasmodica, cum diapnoicis mixta, quibus subsidente tumore tranquillus æger vixit usque ad diem huius mensis XXVItum, morbi vero septimum, quo ipso circa vesperam, ex facta Chirurgi relatione, gravissima accessere subito symptomata.

Postulantibus sic officii mei rationibus, illustris nostri Regiminis Ducalis mandato munitus, statim proximo die, nempe XXVIIto ad ægrum sum profectus. Inveni eundem aphonum, os eius spasmo vehementissimo ad latus dextrum detortum simulque firmissime clausum, ut nulla ratione ingeri potuerint medicamenta & alimenta, ob dentes utriusque maxillæ arctissime sibi insidentes. Musculi inferiorem maxillam sursum moventes, temporalis æque ac masseter, utriusque lateris erant tumidi & durissimi, a quorum & aliorum huius loci vehementi pressione ex declinato oris dextro latere ingens copia salivæ effluebat. Per vices periodicas etiam musculi thoracis, eodem spasmo contracti, maxime difficilem & anxiam reddebant respirationem, illoque remittente, notabilis copia salivæ, ad duorum pedum distantiam, citra voluntatem ægroti, cum sibilo explodebatur per clausos dentes. Neque in his subsistebat actionum tragœdia, sed etiam artus tam superiores, quam inferiores, convulsivis motibus agitabantur, quibus remittentibus æger aphonos manu alterutra indicabat doloris sensum in nucha, applicata vero medicamenta externa moro-

ſus & quaſi demens removebat. Facta nuchæ exploratione nihil præternaturale ibi obſervari poterat, neque etiam, ut ex ſuperioribus conſtat, retrorſum, ſed antrorſum, perpeſſa contuſione, humi proſtratus repertus erat. Interea omnis palpebrarum tumor & rubor per continuam calidam reſolventium herbarum cum vino decoctarum applicationem diſparuerat & liber erat ad ſtatum bulbi ipſius explorandum acceſſus, in quo plane collapſo nullum ſupererat pupillæ & iridis veſtigium conſpiciendum.

Dextri oculi non læſi bulbus per muſculorum ſpaſmum ad canthum externum erat diſtortus, cui propior erat pupilla cum iride. Sub hoc ergo triſti rerum ſtatu, pro officii ratione, & a præſente Chirurgo & ab adſtantibus per quæſtiones nihil poteram percipere, quod accuſare potuiſſem deſideratum. Neque enim frigore, neque iræ excandeſcentia, neque alio quocunque accidente ex diætæ erroribus prægreſſis ſtatum hunc ſubito mutatum eſſe, omnes aſſerebant. Alvus modo per tres dies non ſucceſſerat. Ideoque neceſſario iudicavi, eam clyſtere emolliente & oleoſo, cum nervinis mixto, ſolvere. Effectus reſpondebat votis, hocque facto venæſectionem derivatoriam in pede inſtituere iuſſi; aſt æger 27mo die huius menſis fato concedebat.

Die ergo 29. iudiciali inſpectione & ſectione, præſentibus perſonis forenſibus, ex mandato illuſtris Regiminis legaliter ſuſcepta, præter læſum oculum, in toto corpore nihil præternaturale poterat deprehendi, quin potius retractum ante mortem os, nunc iterum ad ſtatum ſeu figuram plane naturalem redierat. Remotis capitis integumentis communibus, ſub illis ne minimum quidem læſionis apparebat indicium, ſed ſaltem muſculi temporales utriusque lateris, ſine tumore, lividiores erant. Cranium ipſum itaque nunc ſeparandum erat, ut aditus eſſet ad contenta in eodem contemplanda. Sed neque intra cranium & duram matrem, neque inter hanc &

ipſa hemiſphæria cerebri & cerebelli aderant ſigna vel ſugillationis vel effuſi ſanguinis, ſaltem vaſa venoſa, in piæ matris tortuoſis anfractibus ob aliquam turgeſcentiam magis, quam in ſtatu naturali, erant conſpicua. Diametraliter diſſecto cerebro usque ad ventriculos eiusdem anteriores, in his utrisque plexus choroideus, in ſtatu naturali alæ inſtar expanſus, retractus, corrugatus & quaſi complicatus in conſpectum veniebat, ſalva utraque cerebri ſubſtantia, quo exemto neque in eius baſi & medulla oblongata, ſive ſubſtantiam, ſive ſitum partium, inprimis nervorum ad oculos tendentium, conſideres, neque in cranio ipſo circa orbitas peregrini quicquam poterat detegi. Neque nucham inexploratam dimiſimus, quoniam hic doloris ſenſum manibus crebrius indicaverat defunctus: ſed nec in ea læſionis perpeſſæ ſe manifeſtabant indicia. Reliquum nunc erat, bulbum læſum ipſum, debita cura ac diligentia a ſua orbita ſeparatum, eximere & exemtum omni induſtria adhibita explorare. Tunicam corneam perforatam & pertuſam invenimus vulnere, magnitudinis duarum linearum in diametro conſpicuo, per quod, data via, adigebatur cultellus, ſuppoſito vaſculo aqua tepida repleto; ſed omnibus humoribus, aqueo, cryſtallino & vitreo vacuus reperiebatur. De humore vitreo, utpote tenaciore, mirum hoc mihi videbatur; ſed Chirurgus, qui præſens defuncti curam habuerat, aſſerebat, ſe obſervaſſe, quod ſpleniis remotis ſæpius adhæſerit materia tenax, corrupta, griſei coloris, fœtida, quam hunc humorem, extravaſato ſanguine conſpurcatum, fuiſſe, merito ſuſpicari licebit. De aqueo vero & cryſtallino humore nullum ſupereſt dubium, quin ſub ipſo vulnerationis actu, concurrente vehementiori preſſione, ſtatim eorum iactura facta ſit. Uvea tunica, ob defectum humoris aquei, adhærebat corneæ læſæ. Choroidea una cum ſuis vaſculis, ſanguine turgentibus, nullo ſuperſtite pure, ſeparari poterat facile a ſclerotica, contra vero retina firmiori nexu

adhæ-

adhærebat fundo bulbi, quam in naturali ſtatu id fieri aſſo-ſolet.

Lethalem fuiſſe gravem hanc cum vulnere contuſionem, eventus docuit: num vero ad abſolute lethales caſus ſit referenda, difficile erit iudicatu. Non ſum ignarus, læſionem in nucha, ſimili fere caſu a bombarda explosa, cui papyrum loco globuli erat intruſum, alteri inflictam, pro per ſe & abſolute lethali eſſe pronunciatam, etiamſi cerebrum illæſum fuerit repertum (*n*): ſed ibi ſtatim apoplexia tactus concidit læſus, quum e contrario noſter ad initium usque noni diei vitam protraxerit, in initio neglectus a ſuis, ipſe vero moroſe ſæpius applicata externa remedia reiecit, hinc de abſoluta lethalitate iudicium ſuſpendere magis, illudque ſagacioribus in iudicando relinquere malui, ubi de corio humano luditur fabula. Interim ex hoc caſu, ſi cum lite proxime mota, cuius ſub initium huius obſervationis mentionem feci, conferatur, apparet: ſpasmum oris, oculis graviter læſis, ſymptoma eſſe ſæpius contingens, tunc etiam, ubi ſpiritus vini non fuit applicatus. His iam conſignatis forte fortuna mihi obvenerunt, quæ RICHARD. MEAD, celeberrimus quondam apud Anglos Medicus,

 in

(*n*) *Illuſtris b. m. G. W.* WEDELIVS, *in Pathologia medica dogmatica, Sect. III. Cap. X. p. 634.* illam ſequentibus exponit verbis: *Recenſebimus hic mirum caſum, quem anno 1671. obſervavimus. Cum ruſtici exercerentur in armis & quidem, qui papyrum loco globuli bombardæ intruſerat, ioco ſe alterum petiturum ſimularet, alius accedens fune ignito accendit pulverem pyrium: inde cum vi erumpens charta compacta, dictum factum alterum occidit. Iuſſi illum aperire & vulnus inſpicere, deprehendimus, præter minora, pertigiſſe ictum per collum e confinio quartæ vertebræ usque ad cervicem: unde principio ſpinalis medullæ tam vehementer impulſo & læſo ſubitanea apoplexia & mors illata, adeoque vulnus lethale per ſe & abſolute pronunciatum fuit, etiamſi cerebrum eſſet illæſum.*

in Introduct. ad Expositionem venenenorum mechanicam, operum medicor. edit. Gœttingensis Tom. II. p. 15. recenset his verbis: *Chirurgus bene meritus & multa expertus*, RANBY, *in utilissimo libro nuper edito* (on gun-shot wounds) *p. 72. observavit, interdum in vulneribus sclopetariis cum membranarum laceratione lata, etsi satis bene aliquot dies procedere ægri res videantur, repente tamen convulsionibus corripi faciem, quæ ita figunt maxillas, ut loquelæ non restet locus, etsi nondum obfuscatis sensibus, atque eum ægrum certissime mori.* Illud tandem sub finem huius observationis optarim, ut choroidei plexus usus proximius determinaretur ab Anatomicis physiologicis, cum & alias in læsionibus capitis lethalibus eum valde mutatum, & nuper demum in milite malitiose in via publica occiso, accepta gravissima contusione capitis, & cranii fractura, cum longa hæmorrhagia, vasa alias tenuissima, tamen ad dimidiam lineam in diametro, quibusdam in plexus choroidei locis, expansa reperire mihi contigerit.

Observatio LIV.

DN. D. IOANN. SEBAST. ALBRECHT.

Omphalocelotomia a Chirurgo imperito temerario ausu susceptа in duobus infantibus, germanis eiusdem parentis liberis, lethali successu funesta.

Circa umbilicum varios conspici tumores molestos, qui generali *Exomphali* seu *Omphaloceles* nomine veniunt, specialiter vero, pro rei in hoc tumore contentæ varietate, diversa sortiuntur nomina, notior res est, quam quæ hoc loco debeat repeti. Ex his vero *Enteromphale* & *Enteroepiplomphale* frequentiora sunt vitia, inprimis in tenellis infantibus, ob

ob clamores & vagitus, neglectam ſæpe diætam, &, præciſo funiculo umbilicali, non ſatis ſtrictam per ſplenia & faſcias umbilici deligationem. Interim ſatis multi, ſi repoſitis contentis, ſtrictior atque huic loco apta cum piliolo ſeu hemiſphærio ex cera aliisque, debitæ magnitudinis, applicata faſcia diutius retinetur & diligenter cum moderamine conſtringitur, in ætate adhuc teneriore conſtituti feliciter curantur (*o*), adeo ut vix meminerim, quemquam prudentiorum Chirurgorum operationem cultello ſuſcepiſſe in tenera ætate, præter omnem neceſſitatem, immo potius illam argumentis gravioribus convictos diſſuaſiſſe.

Operationem hanc *Hieronymus* Fabricivs *ab Aquapendente* (*p*), vir, qui, teſtante celeberrimo & eruditiſſimo *Hermanno* Conringio (*q*), magno ingenio iudicioque ſcripſit, plane illam diſſuadet his verbis: *Quando exigua eſt prominentia, & recens, propoſitæ* Celsi & Pavli *Chirurgiæ non ſunt neceſſariæ, & abſtinendum ab illis eſt, tum quia illæ non omnino tutæ ſunt, quod expreſſe* Celsvs *dixit in ultima capitis parte, his verbis:* Sed ante chirurgiam quædam viſenda ſunt, ne ex vinculo periculum ſit. Nam curationi neque infans, neque debilis annis, aut ſenex aptus eſt. Levibus tumoribus facile ſubvenitur: At in eorum, qui nimis magni, curatione periculum eſt. -- *Altera cauſa eſt, quia in exiguis prominentiis, tum inteſtinum, tum omentum exiguum excidit, quod etiam facile compreſſum conditur. &c.*

Ex recentioribus vero artis chirurgicæ ſcriptoribus celebrioribus *Petrus* Dionisivs (*r*) etiam in adultis periculoſam eam

(*o*) Modum vide commodiſſimum in celeberr. quondam nunc b. Viri, I. Z. Platneri *Inſtitution. Chirurg. rational.* p. 510. §. 806. *ſeqq.*

(*p*) De operationibus Chirurgicis, Edit. Patavin. in Fol. 1641. p. 62.

(*q*) Introduct. in art. medic. Cap. XII. §. 2.

(*r*) Operat. Chirurgic. Demonſtr. II. Germanic. verſ. p. m. 124.

eam pronunciat, semel tantum a se felici successu peractam. Iure ergo meritoque censura non solum, sed supplicio digni sunt temerarii illi homines, qui, anatomes æque ac rerum eventus ignari, imprudenter imo temeritate maxima eiusmodi quid suscipiunt in tenella ætate, inepta, sub doloribus continendi spiritum in operationis actu, & consilii accipiendi, unde, audacter talia molientes, non salutem afflictorum promovent, sed defunctorum numerum augent. Triste huius rei exemplum superiori anno 1754. in urbe nostra vidimus, ubi Chirurgum se professus quidam, Petropoli, ut dixit, veniens, hospes in civitate receptus, mox, qui mos est horum nebulonum, diversis domibus ac familiis clandestine se ingessit, non licentia Magistratus munitus, sed vestitus ornatu & vaniloquentia empiricis propria commendatus. Hic die VI. Novembr. in sutoris, civis huius loci, venit domicilium, hora ante meridiem nona, non quæsitus, non vocatus, se audiisse asserens, habere hos parentes duos liberos hernia umbilicali laborantes, mire simul iactans, se habere artificium medendorum horum vitiorum. Annuebant parentes, si quidem id commode *sine sectione* fieri posset. Ille sibi ut permittatur explorare vitia, rogat. Parentes securi, quoniam promiserat se filo tantum circumducto ademturum esse tumores in umbilico prominentes, afferunt infantes secure adhuc dormientes, alterum sexus sequioris, annorum duorum, alterum nobilioris, octo & decem septimanarum, adhuc lactantem. Sed vix solutis circumductis fasciis, nulla præmissa præparatione, nullo præsente in re dubia necessario apparatu, contra datam parentibus fidem, temerario ausu primum puellæ, deinde etiam lactanti tenello puello partem prominentiæ cultello resecat. Sed in hoc data per vulnus porta, clamoribus & motibus inde ortis, pressa lubrica intestina tenuia maximam partem prodeunt & extra abdomen in conspectum statim veniunt. Videns hæc temerarius operator, inopinato eventu perterritus, cito

laxe

laxe circumducta fascia abit, sub prætextu, opus sibi esse, ut aliqua medicamenta spirituosa ex pharmacopolio petat, se statim rediturum, ut tranquillo sint parentes animo, hortatur. Sed non tantum abiit, sed excessit & statim ex urbe erupit, parentibus triste hoc spectaculum, læsos miseros, quemque suo fato relinquens. Interim evasionis nescii, perterriti parentes per tres fere horas reditum anxie exspectant, sed frustra, de fraude nebulonis eiusque fuga certiores interim facti circa horam XII. meridianam ad me mittunt, ut succurrerem.

Advolo sine mora & ex parentibus sub larga lacrymarum profusione acta percipio. Interim donec Chirurgus noster iuratus, ex meo mandato advocatus, accedere potuit, a parentibus demonstrabantur mihi particulæ utrique infantum cultello de umbilico resectæ. Illa, quam puellæ duorum annorum resecaverat, erat figuræ globosæ, magnitudinis vix unciæ unius, baseos, qua adhæserat, angustioris, vix trium linearum, cuticula continebat subsstantiam membranoso-cellulosam. Altera particula puelli octodecim septimanarum umbilico ademta saltem membranosa erat expansio, magnitudinis in diametro unius cum dimidio unciæ, ipsius peritonæi particula. Sine mora nunc præsente Chirurgo, & iis allatis, quæ necessaria visa erant, ut pro rei exigentia in promptu quævis essent, remota per chirurgum laxe inducta fascia, statim oculis nostris se offerebat prominens omenti pars, frigidior iam & vasculis venosis, sanguine stagnante turgidis, tumens. Difficile valde & laboriosum erat, ob continuos infantis clamores & eiulatus, partem hanc reponere; ast industria Chirurgi vicit impedimenta, factaque tandem repositione, applicatis spleniis & sacculis, ex herbis resolventibus & nervinis in vino coctis & bene expressis, strictiori ligatura facta hanc dimisimus, ad miserum tenellum properantes. In hoc, remota æque laxe circumducta fascia, statim in conspectum veniebant intestina tenuia protrusa, magnitudine, in tenello hoc corpore, duorum pu-

gnorum, pariter iam refrigerata, livida, flatibus distenta. Quamvis autem omnem operam impenderit Chirurgus, præsente nunc Collega meo honoratissimo, Dno Consiliario & Archiatro SOMMERFELD, Physico urbis nostræ ordinario, aliis quoque præsentibus Chirurgis, qui, casu tali percepto, aderant non vocati, omnes tamen reponendorum intestinorum conatus, ob perpetuos vagitus & clamores læsi infantis, erant irriti. Exhibitis igitur utrisque infantum interne medicamentis analepticis, antispasmodicis, diapnoicis, in forma potiunculæ crebrius repetendæ, externe autem applicatis fomentationibus calidis, ex resolventibus, nervinis, carminativis, rei dare moram consultius esse iudicatum est, quam ad mortem usque, quæ, in utroque infantum intervallo paucarum horarum evenit, dolores augere sine spe felicioris successus. Interim ex temerario æque ac tristi hoc casu discant optarim imperiti & temerarii homines, qui chirurgos aut operatores se profitentur, cautius imposterum agere, nec quicquam moliri arduum, nisi re bene pensitata & in consilium vocatis viris prudentioribus ex anatomica corporis humani sufficiente cognitione & observationum copia doctis, qui in rebus arduis eventus & causas æstimare solent provide, & sic conscientiæ suæ consulerent, nec per homicidia eiusmodi Dei & Magistratus iustam vindictam in se concitarent, nec denique in ignominiam artis adeo salutaris, qualis rationalis est chirurgia, anatomicæ cognitioni superstructa, adeo imprudenter & proterve agerent.

(*Coburgo Halam missæ d. 12. Maii 1755.*)

Observatio LV.

DN. D. CHRISTOPH. FRIDER. KVHN.

Casus aliquot rariores rabiei caninæ indeque ortæ hydrophobiæ.

I. Ad viduam, matronam honestam septuaginta & sex annorum, sanam antea & vegetam, ante annos quatuor, ineunte mense Iulio, vocatus, illam fere suffocatione oppressam & trementem, si quid de præscripta potiuncula porrigebatur, deprehendebam. Quem pavorem fluidi miratus, ex eius famula scisciabar, an a cane rabido forsan demoria esset? quæ a catulo quodam, per multos annos familiari & propter rabiem necato, ante tres menses in sinistro brachio quam leviſſime eandem morsu fuisse læsam, retulit. Tantus hic hydrophobiæ gradus observabatur, nullo vestigio fere vulneris apparente, ut omne fluidum summo cum horore fugeret, & quando invitæ illi quid intrudebatur, illud statim cum multa saliva exspueret. Facies erat horrida, oculi feroces, minaces, vox tremula, rauca, lingua arida, pulsus parvus, calor externus ferme nullus, somnusque interruptus. Die sequenti cœpit delirare, vestimenta aliaque parietibus appensa tanquam horrenda spectra pavere, propriaque lacerare; verba dein absona exclamavit, lectoque ob virium defectum frustra exsilire tentavit. Hoc in statu inflammatorio summe deplorato tantum emulsio leniter camphorata eidem oblata fuit; vesicatoria autem & applicanda clysmata, ut & venæsectionem, manibus pedibusque recusavit. Matutino tandem tempore diei tertii sub diris convulsionibus animam miserrime efflavit.

II. Virgo quædam trigesimum sextum annum agens, sanguineo-cholerica, a cane venatico in mala sinistri lateris die nono mensis Maii 1752. quam leviſſime læsa erat; vulnuscu-

lum erat tanquam acu factum, pollicis dimidii longitudinem æquans, quod consilio meo aqua salsa elutum scarificabatur, cucurbitulaque admota multum sanguinis serosi effundebat & per quatuordecim dies apertum servabatur, balneis etiam, sale communi acuatis, in principio usa fuit, ac interne pulverem *Palmarii* cum bezoardico mixtum & infusum theeforme ex anagallide punicea adhibuit: hæc vero nihil mali metuens, laboribusque domesticis in exsuccandis linteis sub magno calore solis vacans, medicamenta aliaque prophylactica neglexit, vulnusque intempestive sanari passa fuit, quia non nisi de lassitudine, timiditate & insomniis queri poterat. Quo facto mensis sequentis Iunii die octavo, quum illa manus lavare & infusum thee bibere vellet, se catarrho suffocari putans, auxilium meum, huius rei nescia, imploravit. Huc veniens, illam tanta hydrophobia laborantem deprehendi, ut omnia fluida cum summo horrore quasi attonita averſaretur; cicatrix vulneris livida & paululum elevata videbatur. Hinc ipsi bolum ex olei animalis *Dippelii* aliquot guttulis, cinnabari & mosco adsumere iussi, quo sumto iterum se lavare & aliquot cochlearia infusi thee bibere poterat, clysma vero alvo obstructa iniiciendum eo, quo alia fluida, horrore expaveſcebat. Nocte vigiliis, anxietatibus, obambulationibus miserrime transacta, pulsum celerem & parvum, calorem internum cum frigore extremorum, delirium per intervalla, desperationem de salute æterna, oculos turbatos, vocem raucam, linguam siccam, deglutitionem vero meliorem obſervavi; potiunculam ergo pectoralem & emulsionem camphoratam cum seminibus melon. papav. alb. & card. mar. sumendam, & externe collum & pectus oleo Lini & pinguedine castor. inungendum curavi, nihilo minus hoc die magis meticulosa, delira, insidiosa, & anxia videbatur, quemvis aëris motum, ianua aperta vel voce sonora factum, magis quam antea aquam horrebat, mox sedebat quieta, mox iterum exsiliebat, ianuam feneſtrasque petens,

tens, iam desperata anxie de salute, iam iterum patrem mœstum oratione gravi consolabatur, quæ intervalla per noctem durabant, donec misera, mane in terram prostrata, motibus convulsivis accedentibus, animam tandem efflaret.

III. Die decimo sequente eiusdem mensis mater cum infelici filia, annos XV. nata, auxilium meum petebat, quæ ab eodem cane venatico in fronte dextri lateris leviori adhuc modo demorsa erat, cujus vulneris vix vestigium conspiciendum erat. Quam ob levitatem ex incuria consuetis laboribus domesticis operam dedit, de nullo ad præservandum remedio sollicita, excepto illo superstitioso, quod venator quidam sub pane butyro illito hisque litteris inscripto:

I. N. R. I.
P. I. X.
P. A. X.
I. N. A. X.

sumendum persuaserat. Ad aspectum aquæ, quam miseræ offerebam, gula quasi præcluſa attonita fiebat, illiusque potum plane paveſcebat, solidiora vero, uti pruna cocta, libere deglutire poterat, quæ etiam alvum laxiorem reddiderant, cum quibus insimul tres pulveres ex moscho & cinnab. nat. meo consilio adiumsit, venæsectionem vero & clysmata admittere noluit. Dira tamen & horrenda huius mali symptomata, vigiliæ, inquietudo summa, delirium per intervalla recurrens, animus mox sibi constans, mox desperabundus, oculorum ferocitas, respirandi & deglutiendi uti aliorum fluidorum, ita propriæ salivæ summa difficultas, hincque frequens sputum & spuma ante os, horror etiam cuiusvis aëris motus, observabantur. Ob impeditam deglutitionem salivæ parentes aliosque adstantes illa conspurcavit illisque etiam multa oscula dedit, absque consequuto huc usque detrimento. Noctu magis delirare incepit & furibunda effugere tentavit, mox iterum quieta sedebat & non inepte loquebatur, oculi feroces, splen-

dentes, pulsus frequens, urina alba, cruda, calor internus, extrema frigida, subsultus tendinum, tandemque convulsiones, cum spuma oris sanguinolenta, observabantur, quæ deplorandæ huic sociæ malorum circa horam fere eandem vitæ finem determinabant.

IV. Eodem anno, mense Augusto, fœmina pastoris e vicino pago tremebunda ad me confugiebat, quæ ante quatuordecim dies a cane rabido in utroque pede vehementer demorsa erat. Hæc vulnera, quorum quinque ostendebat, erant fere unius pollicis longa & adhuc aperta, pusque coctum præbebant; faciem illa præ se ferebat horridam, oculosque turbatos, liquida, in primo gradu hydrophobiæ constituta, aliquo modo pavebat, multaque absona loquebatur meum auxilium implorans. Rustici cuiusdam suasu aliquot portiones rasuræ aheni cuprei sumserat & sæpius in fluvio sine effectu balneaverat. Ante omnia igitur venam pedis dextri cum larga effusione sanguinis secare, vulneraque, quam diu fieri posset, unguento digestivo cum theriaca & mercur. præcip. rubr. aperta servare, & Turpethi mineralis gr. IV. cum rob Sambuci per tres dies sumere suasi, ipsamque dimisi. Post aliquot menses illa redit ex improviso sana, & mihi gratias infinitas agens retulit, se post assumtum medicamentum multum sudasse, alvumque sæpius deposuisse, omnem timorem fluidorum, anxietatem, omnemque morbum statim amisisse.

V. Hic ipse canis etiam rabie sua totam gregem vaccarum infestavit ac decem earum morsu, unamque in extrema aure vulneravit, quæ omnes post spatium duorum mensium in furorem actæ manu carnificis interfectæ sunt, qui exta earum inspicere iussus, se fauces pulmonesque totos inflammatos sanguineque grumoso infarctos deprehendisse, retulit. Antequam venenum activitatem & vim suam exercuit, complures familiæ lacte vaccarum sine noxa usæ sunt, hactenusque sanæ man-

manſerunt, quod mihi etiam ex alia obſervatione ante decem annos innotuit.

Multi quidem de abominando rabiei caninæ morbo veterum & recentiorum ſatis erudite commentati ſunt, quorum principes viri celeberrimi, Dn. *de* SAUVAGES in peculiari Diſſertatione, & Perilluſtr. L. B. *van* SWIETEN *in Comment. in Aphor.* BOERHAAVII *Tom. III.* naturam huius veneni, uti aliorum huius originis, non ſatis exploratam, verumque eius antidotum adhuc deſiderari, ingenue docuerunt. Sicut igitur aliorum fideliter conſignatæ obſervationes, ſic etiam iam præmiſſæ hiſtoriæ veritates ſequentes confirmare & eruere potuerunt:

a) Virus hoc animale conſiſtere in ſale quodam alcalino-volatili, cauſticæ indolis, quod, activum factum, ex gravitate ſpecifica in organa præcipue deglutitionis hisque vicina reſpirationis, acrimonia ſua partes eorum nervoſas, muſculoſas, irritando, criſpando, inflammationem inducendo, peſſimam ſuam efficaciam exerit. Ad eundem fere modum cantharides, tum interne ſumtos, tum externe ſine circumſpectione applicatos, in partes urinarias nervoſas, & ob viciniam etiam genitales agere, mictum cruentum & priapiſmum excitando, omnibus abunde iam notum eſt. Hinc etiam facilius, quomodo ex ſpasmo & conſtrictione muſculorum pharyngis & laryngis hydrophobia & reſpirationis difficultas oriatur, explicari poteſt. Ex eadem quoque ratione, quia ſalia ſoluta in aquis fortius agunt, ſolidiora liquidis liberius adſumi poſſe (vid. Caſus III.) & in ultimo conclamatoque rabiei ſtatu etiam hydrophobiæ ſymptoma, ob ſupervenien tem ſphacelationem, remittere, fluida iterum ſine metu deglutiri, hocque ſignum inſtantis mortis præbere (vid. Caſus II.) iudicatu non admodum difficile eſt.

b) Ve-

b) Venenum hocce, viſcido irretitum & partibus terreſtribus tenaciter adhærens, per menſes imo annos, pro temperie ægri & gradu veneni, latere poſſe; idem venenum eodem tempore communicatum, determinato etiam tempore eadem ſymptomata producere (vid. Caſus II. & III.); id quoque, pro caſuum ſimilitudine, miaſma venereum, varioloſum cancrique occulti virus corroſivum clariſſime demonſtrant.

c) Nullam ætatem ab hoc diro veneno exemtam eſſe, illudque adhuc occultum & iners tempore calidiori aëreque ſicciori excitari, & ſic ſanguinis motu interno aucto citius activum reddi, bilioſis & ſiccioribus ſubiectis magis infenſum eſſe, vulnera capitis, eaque leviora & minora periculoſiora eſſe (vid. Caſ. I. II. & III.), nullum ſignum plane inverſi & eradicati veneni ſuppetere, ideoque incertum eventum & utplurimum triſtem & fatalem exiſtere, præcipue ſi ex ignorantia & incuria prophylactica cura neglecta fuerit (vid. Caſ. I. & III.), & iam primus aut ſecundus gradus hydrophobiæ acceſſerit, quo facto intra tres plerumque dies mors acceleratur.

d) Multa quidem a Medicis contra rabiem remedia, tam prophylactica, quam curativa tradi; ſed illa partim ſunt ſuperſtitioſa, partim non ſatis per experientiam comprobata. Ad prophylaxin & ſubitaneam communicati veneni eradicationem profundam vulneris ſcarificationem una cum impoſitis cucurbitulis, cauterii actualis applicationem, longiorem vulneris ſuppurationem, per unguentum digeſtivum cum mercurio præcipit. rubro efficiendam, repetitam ægri immerſionem in aquam marinam, purgationem & emeſin, itemque diaphoreſin maiorem, optimi Auctores merito commendant, præſente vero iam hydrophobiæ primo & ſecundo gradu hunc morbum ut maxime inflammatorium tractandum eſſe, hinc largam

venæ-

venæsectionem administrandam, clysmata acriora, si fieri potest, sæpius iniicienda, balneationem non intermittendam esse, verum autem antidotum certumque remedium hocce virus plane immutans, ut nocere nequeat, a Medicis equidem quam maxime adhuc desiderari, non tamen omnem spem de inveniendo illo, præcipue ex genere mercurialium, amissam esse, autumamus, præcipue si consideramus, quid iam ad venenum rabidum exterminandum unguenta mercurialia (vid. DESAULT *Diss. sur la Rage*), turbith minerale (vid. Casus IV. & celeberr. *de* SAUVAGES *Diss. sur la Rage pag. 53. & 54.*), & iam laudatus pulvis Sinicus, ex cinnabari & moscho (vid. *Transact. Anglic. Num. 474. ann. 1745. p. 212.* & Diss. Dn. D. GMELIN *de Specif. antidot. nov. adversus morsus canis rabidi*) præstiterint. Denique quilibet Medicorum, cui occasio tristis contra hunc morbum militandi obtigerit, eo maiorem operam & curam in huius indole magis indaganda, remediisque per experientiam confirmandis & novis detegendis procul dubio collocabit, quo rebellior, calamitosior magisque horrendus hic morbus semper reputandus est.

Observatio LVI.

DN. D. CHRISTOPH. FRIDER. KÜHN.

Puella mirandæ corpulentiæ.

Isenacensis illa ob nimiam corpulentiam satis famosa puella, *Eva Christina Fischer* dicta, in hac civitate anno 1750. mense Martio a patre opilione satis robusto, matre vero debiliori, adeo infirma nata fuit, ut idcirco ab obstetrice baptismate initiari debuerit, post duos vero menses melius se habuit & propter penuriam lactis materni ovillo sæpius nutrita in

tantam molem excrevit, ut nondum uno ſuperato anno ſexaginta fere librarum pondus acquiſiverit, ob nimiam obeſitatem iam omnium oculos in ſe convertens. Poſt ablactationem cereviſiam noſtram admodum ſaturatam & decoctum fabarum Coffee cum cremore lactis libenter bibebat, cibos autem non admodum copioſos adſumebat. Tertium nunc annum agens centum librarum pondus æquabat, & iuxta menſuram noſtram quatuor pedes & ſex pollices in ambitu craſſa erat, longitudo erat fere eadem, inſimulque facie proportionata florida, ingenio non indocili & ſermonis affabilitate gaudebat. Parentes lucri cupidi cum hac admiratione non plane indigna puella per celebriores urbes Bataviæ migrarunt, dein Francofurtenſes & poſtea Lipſienſes nundinas frequentarunt, ibique ſpectaculo puellæ mirabilis multum pecuniæ lucrati ſunt. Lipſiæ vero quum nimium decocti fabarum Coffee & vini dulcis ingurgitaſſet, inter luſus & cachinnos catarrho ſuffocativo oppreſſa anno 1753. menſe Maio diem obiit ſupremum. Celeberrimus Dn. KAESTNERVS dimenſionem geometricam curioſam huius puellæ mortuæ omnium membrorum inſtituit, illamque in Diario Hamburgenſi (*Hamburgiſch Magazin*) Tom. XI. p. 336. communicavit, quæ vero ſingularia ſectio anatomica ibi adminiſtrata detexerit, nondum, prout mihi quidem conſtat, innotuit.

Obſervatio LVII.

DN. D. CHRISTOPH. FRIDER. KÜHN.

De

Electricitate medicamentoſa.

Seculi noſtri noviſſimis temporibus phænomena & experimenta electrica ſcientiæ naturali & medicæ deditos curioſos & attentos reddiderunt, eorumque ingenia tam in expli-

can-

cando modo agendi ignis electrici, quam in applicandis his experimentis ad communes usus hactenus vehementer exercuerunt. Maxima inde incrementa scientia naturalis capiet, si secundum celeberr. Francklini principia, in Epist. suis tradita, doctrina de fulgure, magnetismo, & aurora boreali eius ope explicari & demonstrari queat; non minores quoque progressus faciet Medicina, si electricitas medicamentosa experientia magis confirmata, hincque illi maior fides habenda foret. Ceberr. Vir, Abbas Nolletvs, operationes illas tuborum electricorum Dn. Veratti & Pivati tantopere depræ-dicatas, quibus pro facultatibus medicamentorum communicatorum mox emesin aut purgationem, mox diaphoresin & diuresin excitare se posse gloriati sunt, curiosius examinavit, illasque fallaces vanasque esse ingenue detexit; pari attentione & iudicio ipse cum celeb. Morando ad confirmandam medicamentosam vim electricitatis varia experimenta cum paralyticis & hemiplecticis, adhibita consueta circumspectione, tentavit, effectusque eius incertos ac dubios adhuc expertus est (vid. *Histoire de l'Academie Royale des Sciences l'ann. 1749.*). Veritatis quoque cupidus, machina mea electrica cum quodam sene, fabro vasorum cupreorum, tremore artuum per duodecim annos laborante, tentamina instituit, qui primis statim diebus, forsan novitate & prodigio rei captus, melius se habere gaudebat, hinc quotidie per totum mensem scintillas & succussiones electricas secundum experimentum Muschenbroeckianum patienter sustinuit. Agente hoc igne electrico vehementius maculæ rubræ statim, ad instar exanthematum urticatorum in parte affecta comparebant, membrumque etiam aliquo madore perfundebatur, pulsus vero non mutabatur, musculi metallo electrico tacti quasi convulsivi, non sine eleganti spectaculo, involuntarie flectebantur & extendebantur. Durabat quidem per aliquot menses arridens melior valetudo, ægro de minori tremore artuum

firmiorique eorum motu perſuaſo; recrudeſcente vero malo hæc medicina fruſtra per longum tempus reiterata fuit, & æger per annum priſtino tremore anxie iam laborat. Ex affectu podagrico arthritico vir quidam XLVIII. annorum tanta debilitate totius ſiniſtri pedis & iuncturarum rigiditate affectus erat, ut vix ſolus incedere poſſet, qui audiens multa de hac nova medicina, non ſolum ſimplici electricitate, ſed & interdum per experimentum Leydenſe aucta, ante & poſt meridiem per quatuordecim dies utebatur, unde is toto pede quotidie agilior factus priſtinam recuperavit ſanitatem. Hic igitur hiſtoriam electricitatis abrumpo & cum aliis iudico, illam non prorſus reiiciendam, ſed loco rubefacientis & revellentis medicamenti interdum apte in uſum vocandam, non vero omnibus prodigioſis de ea iactationibus ſtatim fidem adhibendam eſſe.

(*Iſenaco Halam miſſæ d. 20. Iulii 1755.*)

Obſervatio LVIII.

DN. D. IOANN. CHRISTIAN. IACOBI,

De

Mercurio ſalivationem non ciente.

Mirum in modum noſtri ævi deſudant Medici in reperiundis remediis luem Veneream ſine ſalivatione tollentibus. Non evitanda ſubiectisque delicatulis moleſtiſſima ſymptomata in ſalivatione conſpicua, peiorisque indolis morbi, heroicam hanc evacuationem ſæpenumero comitantes, moliminibus hiſce anſam præbuere. Inter ceteros, Medici, quos Gallia fovet, eminent, qui de poſſeſſione arcani, Mercurio ſcilicet vim ſalivatoriam adimendi, magnopere gloriantur, ſiquidem noviſſime Dn. D. Tories Mercurium ſuum ſalivationem non cientem ſummis ornat elogiis; Ravlinvs mercurio Campho-

ræ

ræ nupto easdem vires tribuit, Doctorque Louis in peculiari Epiſtola, cui titulus: *Lettre ſur les maladies venerienes, dans la quelle on publie la maniere de preparer de mercure, dont la plus forte doſe n'excite point de ſalivation. Paris, 1754.* eiusdem artificii promum ſe ſiſtit condum. Attamen modo dicti Louisii integritas in eo laudem meretur, quod exteris etiam Medicis eandem inventionis gloriam tribuat, aſſeverans, Perilluſtr. L. B. *van* Swieten iisdem dotibus inſtructum mercuriale medicamentum inveniſſe. Binæ litteræ Perilluſtris huius Viri, quæ in Tractatu Medici cuiusdam Luccenſis, Dn. D. *Ioſephi* Benvenvto, ann. 1754. in lucem emiſſo, extant, de arcano hocce nos reddunt certiores. Dictus Tractatus inſcribitur: *Diſſertatio hiſtorica epiſtolaris ad Clar. Iac. Barth.* Beccarivm, *qua epidemicæ febres in Luccenſis dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur &c.* In binis ergo illis ibidem occurrentibus litteris Perilluſtris *van* Swieten certo affirmat, pondus grani dimidii mercurii ſublimati corroſivi in uncia una ſimplicis ſpiritus frumenti ſoluti, ſi veſperi pariter & mane unum aut 2. cochlearia huius ſpiritus adſumantur, illud eſſe, quod luem Veneream cancrumque ipſum, exulante omni ſalivatione, certiſſime debellet. Si vero artificium hocce æqua lance ponderare velimus, ne minimum cauſæ nobis certe ſuppetit, illud novis nunquam auditis lectisque annumerare, æque minus ac decoctum antivenereum Medici cuiusdam Groningenſis, Dn. D. *Yvo* Gavkes, quod conſiſtit, ut in tranſitu commemorem, ex raſuræ ligni guaiaci unc. iij. Raſ. lign. ſaſſafr. unc. ij. rad. chin. unc. j. quibus in aqua coctis Mercurii vivi & Antimonii crudi in petia ligatorum ana libra una additur & tamdiu coctura continuatur, donec libræ vj. remaneant, ultimo vero radicis Liquirit. unc. ij. adiiciantur.

Notone notius eſt, iam pridem celeberr. Boerhaavium de decocto Guaiaci, quod in Gaukeſiano quoque Decocto

præcipuum ingrediens eſt, affirmaſſe, quod, ſi ægro tanta doſi illud exhibeatur, ut totus eius ſanguis in decoctum quaſi abeat, luem Veneream radicitus exſtirpari? Nonne Celeberr. KRAMERVS, Proto-Medicus caſtrenſis Cæſareus, eiusmodi decocta in *Commercio litter. Norico* dudum iam communicavit, ibidemque Celeberr. WERLHOFIVS Electuarium e ſolis vegetabilibus conſtans deſcripſit, quod huic etiam uſui apprime inſervit? Simili vero ratione per longum iam temporis ſpatium eadem intentione mercurius dulcis in refractiſſima doſi exhibitus eſt, ſæpiusque laxantia, ad illum verſus glandulas inteſtinales determinandum ſalivationemque inhibendam, interpoſita fuere; iam diu etiam eſt, quod mercurium dulcem millepedis in pulverem redactis nuptum videmus, eum in finem, ut illarum vi diuretica mercurius verſus renes magis, quam glandulas ſalivales determinetur. Doctiſſimus ASTRVC mercurium ſuum diaphoreticum iampridem hac mente nobis commendatum ivit, celeberrimique HOFFMANNI mercurius diaphoreticus Iovialis, præcipue vero Solaris, iisdem virtutibus pollent, dolendumque ſane, neceſſariam mercurii huius Solaris præparationem nimis operoſam proceſſumque a Dno Autore obſcuritatis peplo involutum eſſe, alias enim reliquis omnibus, quorum in præſentia mentionem fecimus, palmam omnino erepturus eſſet. Huic claſſi etiam aſſignandum eſt celebratum hodie remedium alterans PLVMIERI, quod etiam *Æthiopem* ſuum nominare ſuevit, e partibus æqualibus ſulphuris aurati antimon. ultim. præcipit. & Mercurii dulcis quatuor vicibus ſublimati conſtans, de quo in *Actis Edimburgenſibus* noſtrisque pariter Actis Nat. Curioſ. præſtantiſſimi effectus, nulla ſtipati ſalivatione, memorantur. Quoniam vero obſervationes extra dubitationis aleam poſuere, omnia iam dicta remedia mercurialia, excepto mercurio diaphoretico Solari, nimia aut ſæpius repetita doſi exhibita, ſubinde tamen ſalivationem quodammodo excitaſſe, & Dn. D. LOUIS in Diſſertat.

epi-

epiſtolari methodum tradit, mercurium ita exhibendi, ut vel maxima eiusdem doſis nullam ſalivationem cieat, haud abs re erit, eius generis remedium mercuriale detegere, quod iisdem qualitatibus, quæ de Louiſiano prædicantur, polleat. Hoc ne minimum quidem corroſivæ indolis prodit, præcipueque inprimis hac dote gaudet, quod in lue venerea intolerandos plane capitis dolores iucundo modo ſtatim in principio leniat, morboque nondum licet penitus in fugam verſo, omnem tamen moleſti huius ſymptomatis ſenſationem e medio tollat.

Non eſt, ut exactum adeo vitæ regimen ſectentur ægri; ſufficit abſtinentia a duris farinaceisque cibis, minimeque neceſſe eſt, ut lecto vel conclavi affixi teneantur, ſiquidem plane inſenſibili modo deleteriam miaſmatis qualitatem demit, nullo ſubiecti & temperamenti diſcrimine habito.

Componitur autem medicamentum iſtud ſecundum hancce normam. Recipiuntur libræ duæ Mercurii currentis, cui aqua pluvia recens collecta ad trium digitorum eminentiam adfunditur, ambo hæc per aliquot dies terantur fortiter ſine intermiſſione, & quamprimum aqua dicta gryſea turbidaque apparet, decantetur nouaque adfundatur, continuenturque hæ operationes, donec ſufficiens copia dictæ aquæ fuerit collecta. Hæc in loco ſecuro reponitur, ut per aliquot dies quieſcat ad perfectam pulveris fuſci ſubſidentiam, qui ſiccandus & ab adhærentibus globulis mercurii currentis ſollicite liberandus eſt. Pulveris huius una pars ſumitur, & hypnotici mercurialis remedii, in Schediaſmate noſtro, *de viribus hypnoticis a regno minerali haud alienis*, Appendici huius Tomi Actorum inſerto, deſcripti, partes X. Præparatum vero hocce nondum in pulverem redactum ſit neceſſe eſt, ſed fruſtula, qualia exſiccatio exhibet, ſumi debent. Hocce vitreo lapideove mortario indatur, & durante triturationе ſenſim deſcripti pulveris gryſei pars una addatur, ſic enim bina hæc præparata mercurialia

eo

eo melius consociantur. Huius pulveris pro re nata adultis dimidium scrupuli pro dosi, per diem ter aut quater, infantibus vero pro ætatis ratione 2. 3. ad summum 4 grana pro dosi exhibentur. Simplex decoctum rad. scorzon. vel gramin. sub remedii huius usu sufficit, omissis prolixe compositis decoctis lignorum. Ante & post usum huius remedii adhibitum laxans optime simul conducit.

Exulat hic noxium illud acidum salis, usum Mercurii dulcis insecurum reddens, siquidem a quibusdam funesta symptomata, luem veneream sæpe, salivatione peracta, comitantia, huic acido tribuuntur. Veremur, ne farraginem complurium observationum recensendo, aliis notatu dignis locus præripiatur. Remedium perspicue descriptum est, experimentaque itidem imitatu facilia quemvis de veritate reddent convictissimum. Unicum tantum de gryseo pulvere, quod medicamentum hoc ingreditur, accuratiori certe scrutinio dignum, monendum mihi restat; si nempe congrua pulveris gryfei quantitas, oleo lini, in crucibulo bullienti, indita, per aliquot temporis spatium coquatur, & tunc, aucto ignis gradu, oleum combustioni permittatur, in eo, quod combustione absoluta remansit, manifesta admodum complurium granulorum argenteorum vestigia relinqui. Quoniam vero hæc sphæram Alchymistarum ingrediuntur, illud ὡς ἐν παρόδῳ hic delibasse suffecerit.

Observatio LIX.

DN. D. IOANN. CHRISTIAN. IACOBI.

De

novo remedio ulcerum cancrosorum & cancri aperti.

Quod si unquam corporis humani morbus, præter nota adhuc vulgataque, præstantiora pluribusque experimentis magis corroborata exposcit remedia, certe *Cancer exulceratus ulceraque* cancrosa hunc in censum veniant necesse est. Quam multis quæso remediis heroicis adhuc destituimur, quo diro huic malo obviam ire queamus? Laude digna equidem recentiorum Medicorum diligentia, Cancri occulti respectu, quædam, quibus tuto fidere liceat, detexit, inventis nimirum remediis, quibus occultum hocce malum in genuinum scirrhum indolentem transmutari potest, quo ipso occasio in Cancrum ulceratum unquam degenerandi præscinditur; aperto vero ulceri cancroso cognitis huc usque remediis obviam ire, funditusque illud exstirpare, pauciſſimis in casibus licuit, quippe maxima ex parte auxilium chirurgicum, amputatio nempe partis affectæ, in usum vocari debuit.

At enim vero incassum hanc operationem sæpissime institui, minimeque ubivis eandem applicabilem esse, quis non perspicit? Etsi magnis laudibus putredini resistentia salia efferuntur, quæ inter spiritus saliis, sufficienti aquæ copia ad tantum usque dilutus gradum, ut oculorum summa sensibilitas ægre haud amplius ferat eius applicationem, reliquis palmam præripit, leviſſimum tamen & palliativum potius ab illis expectandum est auxilium; acrimoniæ enim cancrosæ ob nimiam diluitionem perfecte resistere non valent, & in concentrata dosi applicata plus damni, quam auxilii afferunt, corrosionique eo citius ac facilius viam pandunt. Neque etiam

decoctum Belladonnæ malo huic debellando semper par est, internusque eius usus, quem *Tiberius* LAMBERGER commendat in Tractatu quodam 1754. ab eo sequenti sub rubro publicam in lucem emisso: *Lectio inauguralis, sistens ephemeridem persanati carcinomatis*, varias insimul adfert molestias, siccitatem nempe oris, vertiginem visusque hebetudinem, quæ omnino imitatores suspensos tenent.

Dictus huius decocti internus usus brevi in hoc consistit. Recipiuntur pro dosi 2. grana Belladonnæ, coquuntur cum aqua & hocce decoctum dein assumitur, singulisque diebus eadem dosi continuatur, hoc tantummodo observato, ut, elapso aliquo temporis spatio, duobus granis pro dosi tertium adiiciatur. Methodus illa pervulgata, applicatione corrosivorum, e. gr. butyri antimon. lapid. infernal. Boerhaav. &c. hostem profligandi, nimios dolores ciet, & haud exiguam requirit circumspectionem, quid? quod sæpius oleum igni addere solet.

Ad internum Mercurii sublimati corrosivi usum, haud ita pridem a Perillustri L. B. *van* SWIETEN commendatum, quod spectat, cuius in Observatione præced. *de Mercurio salivationem non ciente*, mentionem iniecimus, eundem ut examini ulteriori relinquamus, remedii conditio omnino postulat.

Quis itaque nobis vitio vertet, si de remedio inveniendo solliciti sumus, quod in malo hocce permolesto effectum magis desideratum producere possit? Optanda utique esset detectio remedii per tot experimenta confirmati, quod Clariss. KORTHOLDVM inventorem agnoscit, quippe quod, quantum de eo rescisere nobis licuit, ingredientium ratione butyro auripigmenti haud parum respondere videtur, de quo alio tempore fusius, quid de eo compertum habeamus, exposituri sumus. Sed quoniam tunc, quum opus dicto remedio nobis fuisset, illo destituebamur, omnem adhibuimus operam, un-

unguento de lithargyrio, quod a Perilluſtri L. B. *van* Swieten hocce in malo valde commendatur, lenem vim ſepticam largiendi, quo pacto omnes hocce in malo occurrentes indicationes adimplere poteſt. Quodſi enim quævis hoc malum comitantia ſymptomata conſideramus, coniectu facile eſt, remedium huius mali ſequentibus debere inſtructum eſſe qualitatibus:

1) Ut affluentis copioſi ichoris corroſivam qualitatem leniendo ſopiat, id quod, abſorbendo & obducendo acrimoniam, fieri poteſt: ceſſante enim roſione, faciliori negotio ſemel corruptæ partis ſeparatio obtinetur.

2) Sufficiente, leni licet vi, gaudeat neceſſe eſt, ſolidas ab ichore hoc cancroſo corroſas corruptasque partes ſeparandi, quo recens idque ſanum fundamentum in vulnere obtineatur.

3) Affluentis etiam ichoris qualitates perfecte emendet, nullo acrimoniæ veſtigio relicto, quo ipſo ceu genuinum balſamicum & ſarcoticum remedium ſe gerit. Quum enim Perilluſtris *van* Swieten l. c. evidenter admodum demonſtratum dederit, humores in parte affecta ſecretos tempore ſecretionis nondum macula cancroſæ conſtitutionis deturpatos eſſe, ſed ibidem eiusmodi qualitatem depravatam demum induere, utique hinc ichoris huius correctio externi eiusmodi remedii beneficio obtinenda erit. Iam, cum in *Curru triumphali Antimonii* Baſilii Valentini remedium antimoniale deprehenderimus, quod eius Commentator, Kerckringivs, in Cancro aperto inſigni cum ſucceſſu in uſum vocavit, ſiquidem huius ope corrupta cancroſa maſſa perfecte remota vulnusque conſolidatum fuit, occaſionem exinde arripuimus, prævia quadam mutatione, illud ſequentem in modum huic ſcopo adaptandi. In uſum nimirum vocavimus vitrum Antimonii in pulverem ſubtiliſſimum redactum, cui optimi olei vitrioli fumantis, quantum ad conſiſtentiam pultis obtinendam ſufficit,

adiecimus, acetumque vini, ope frigoris hiberni concentratum, ad eminentiam trium digitorum infudimus; peracta digestione cum hoc liquore filtrato acetum Litharg. confecimus, postea sulphur auratum antimonii primæ & secundæ præcipitationis cum ol. Papaveris recenter expresso, simili, ut in Balsami sulphuris confectione fieri solet, modo, ad sufficientem solutionem usque, coximus, posteaque a remanentia separavimus, quam cum Empl. diapomphol. sufficiente quantitate miscelam subire coëgimus. Ex Balsamo hocce sulphuris aurati antimonii & supra dicta extractione lithargyrii lege artis unguentum nutritum paravimus.

Unguento hocce molliſſima plumaceola leniter tepefacta imbuimus, hisque non ulceris basin solum, sed totum quoque ulcus conteximus, superimposito emplastro laudato, foraminulis in tota superficie instructo: sic aëris liber contactus impeditur, ichor unguento contemperatur, & superfluum eius plumaceola penetrans denuo Emplastri ope a rosione detinetur, & si quid forsitan de ichore emplastri foramina penetret, huic linteo carpto, eodem unguento imprægnato, obviam ivimus, hac ratione rosioni & corruptioni ulteriori frena iniecta fuere, massa corrupta, ichorem cancrosum plorans, separata, basisque vulneris colorem sanum induebat, suppuratio novaque appositio sanæ carnis ex voto cessit, omnibus in perfectam medelam conspirantibus, nulloque amplius carcinomatis vestigio deprehenso. Interne arcanum Tartari antimoniale, in *Chymia* Rothii descriptum, exhibuimus. Licet igitur unicus tantummodo hic casus sit, in quo hæc curandi methodus exspectationi satisfecit, animadversione tamen non solum, sed etiam imitatione dignus est, cum omnes indicationes ex asse impleverit, adeoque imitantes de simili eventu fausto securos reddere valeat.

Obser-

Observatio LX.

DN. D. IOANN. CHRISTIAN. IACOBI.

De

tutissima paroxysmorum febrilium abbreviatione.

Quodsi præiudiciis auctoritatis & introductæ semel consuetudini insistere vellemus, de abbreviatione paroxysmi plane cogitandum non esset, sed ægro consueta remedia antifebrilia tamdiu porrigenda forent, donec natura, ob perpessos sæpe insultus maxime debilitata, exterminium febris extorqueret. Verum enim vero, quum Medici partes sint, tuto non minus, quam cito morbos profligare, concedendum omnino erit, citam eamque tutam febris curationem tardiori, æque licet tutæ, longe esse anteponendam. Sed aliæ quoque haud levis ponderis circumstantiæ suppetunt, quæ abbreviationem paroxysmorum necessario postulant. Si nempe perpendamus, negari non posse, nimiam paroxysmi durationem ex observationibus BOERHAAVII (§. 753. *Aphorismor. Practic.*) binis funestis comitibus, laxitate scilicet partium solidarum & spissitudine acrimoniaque liquidarum stipari, ex quibus pessimæ notæ morbi chronici, veluti scorbutus, hydrops, icterus, concretiones scirrhosæ, propullulant, utique hæ circumstantiæ paroxysmi in fugam conversionem exigunt. Præterea in confesso est, eius notæ vehementiam nimiamque durationem insultuum in diversis febrium generibus dari, quæ ægris paucarum horarum intervalla concedunt, adeoque brevi maximam virium prostrationem inducunt, ne de febribus duplicatis & apoplecticis quidquam dicamus, quæ simpliciter interceptionem paroxysmorum necessario requirunt. Eiusdem necessitatis quoque est talis abbreviatio in febribus continuis paroxyzantibus, quarum paroxysmi ægros paucorum dierum intervallo Libitinæ tradere valent. Nec est, quod dubii quid-

quam hic nobis oboriatur. Perilluſtris L. B. *van* SWIETEN in *Commentar. in Aphoriſm. Boerhaav. §. 757.* pronunciat, productionem paroxyſmi nullo modo ſordibus in corpore morboſo hærentibus temporeque apyrexias accumulatis, per paroxyſmum forte evacuandis, originem debere ſordesque dictas inter cauſas occaſionales referendas eſſe, primariam vero paroxyſmi cauſam peculiari characteri nervis impreſſo i. e. diſpoſitioni ad irritabilitatem præternaturali, tribuendam eſſe. Qua ratione genuinus Medici ſcopus eo tendit, ut irritabilitatem ſyſtematis nervoſi præternaturalem lenientibus ſpasmosque nervorum abigentibus remediis, prævia ſaburræ in primis viis hærentis evacuatione, corrigat. Dubio equidem caret, corticem Peruvianum, adhibitis neceſſariis cautelis, quas Perilluſtris *van* SWIETEN æque ac Excellentiſſ. WERLHOFIVS in Scriptis ſuis indicarunt, id efficere, ut funeſti nihil exinde pertimeſcendum ſit; quum vero hic Cortex modo plane inſenſibili, ſine ulla evacuatione, febrem profligare ſoleat, adhæc ob nimiam doſin, in febribus præſertim ardentibus paroxyzantibus, minus iucunde intra corpus aſſumatur, hinc alia remedia magis grata, tantam circumſpectionem non exigentia & ſenſibiles evacuationes comites habentia, in apricum hic proferre iuvabit.

Duorum nempe remediorum mentionem facturus ſum, quæ quidem in vulgus nota ſunt, quorum vero nullam a plerisque ea, qua a nobis præſcribitur, doſi, ad abigendam febrem exhiberi conſuevit. Primo igitur loco nominandum venit *Sal Ammoniacum*, cuius laudes febrifugas W. W. MVYSIVS iam Ann. 1716. in peculiari Diſſert. *de Salis Ammoniaci præclaro ad febres intermittentes uſu*, graviter cecinit, quod vero non ultra ſcrupulum pro doſi, prætereaque aliis ingredientibus iunctum, exhibitum fuit, quum e diverſo, ad paroxyſmos ex mente noſtra abigendos, drachma ad minimum pro doſi,

dosi, tribus vicibus de die, præmisso vomitorio vel laxante, in intermittentibus febribus exhibenda veniat.

Experientissimus Dn. D. LOESEKE asseverat, se maiorem febrium intermittentium numerum beneficio salis Ammoniaci, quam corticis Peruviani, curasse, & quartanam per annum durantem exhibita salis huius drachma profligatam esse (vid. Eiusd. *Abhandlung der auserlesensten Arzeney-Mittel. Berlin*, 1755. p. 94.) Sal hocce ne miculam quidem particularum adstringentium exhibet, tenaces autem humores rarefacit, eosque leni quidem, sed admodum sensibili modo educit, nervos etiam, ob copiose in eo latitans subtile principium tertium BECHERI, quod *terræ mercurialis* nomine cognitum est, mirum in modum corroborat, quo ipso febrili etiam irritationi cohibendæ par est.

Sal dictum in substantia, aut subiectis delicatioribus in aqua Cinnamomi solutum præberi potest, præsertim in ipsa die paroxysmi febrilis binis vicibus dicta salis huius dosis porrigenda erit, qua observata methodo, ægros a multis pertinacibus febribus intermittentibus, Deo assistente, liberavimus. Quum vero haud difficile perspectu sit, sal Ammoniacum in febribus continuis paroxyzantibus minus commode in usum vocari posse, aliud quoque iam cognitum hoc in casu substituendum est, Cortex nimirum Cascarillæ, remedium, quod celeberrimi Medici, quos inter STAHLIVM tantummodo & HOFFMANNVM laudasse sufficiet, magno quidem opere commendarunt, illoque in substantia, refracta tantum dosi, aliisque remediis iuncto, adeoque methodo a nostra alienissima, usi sunt.

Nititur vero nostra exhibendi ratio inprimis experientia APINI, Professoris Academiæ Altorfinæ famigeratissimi, qui, grassante ibidem quadam epidemicarum febrium specie, ab Anglis id edoctus, insigni cum emolumento Cascarillam adhibuit, deinde quoque Gallici Medici, FAGONIVS & BOVLDVC, in iisdem morbis Chaccarillæ usui calculum adiiciunt.

Vide-

Videtur equidem circa corticem hunc exorta controversia, cuius *Commercium litterarium Noricum* mentionem facit, nec non diversæ plane a cortice Peruviano partes Cascarillæ constituentes, ceu valde volatiles, aromaticæ, principioque vaporoso turgidæ, nullis aut paucioribus adstringentibus particulis præditæ, nostratibus Medicis, Apini methodum adoptandi, remoram iniecisse. Sed vaporosæ hæ particulæ irritationes febriles optime sopire valent, eamque ob causam adstringenti Cortici Peruviano longe prior ille præferendus est. Exhibere illum solemus non quidem in substantia, sed forma decocti vel infusi; calore enim, ad hancce formam obtinendam necessario, dissipatur paululum vaporosum principium, ut ebullitio sanguinis concitari nequeat. In eiusmodi igitur casibus ex duabus unciis Cascarillæ, cum mensura dimidia aquæ nitrosæ, succo citri imprægnatæ, decoctum, interdum quoque infusum paravimus, cui syrupo Granatorum vel acetositatis Citri gratum conciliavimus saporem, horisque intercalaribus, & quidem singulis dimidiis cochlear pro dosi exhibuimus, talique modo accessum in nihilum redegimus, quod alias adhibitis compluribus unciis Corticis Peruviani obtineri debuisset.

Quod restat, in votis habemus, ut idem iucundus effectus imitatoribus, observata a nobis commendata methodo, felici sidere contingat.

(*Vinaria Halam missæ d. 10. Octobr. 1755.*)

Obser-

Observatio LXI.

DN. D. GODOFREDI GVILIELMI MÜLLERI.

De

Singulari concreto osseo per anum ejecto.

Ex illo felici tempore, quo corpora humana secandi ars, illorumque structuram demonstrandi scientia, quæ vulgo *Anatomia* audit, ad altius fastigium perfectionis suæ, experientia duce, provehebatur, indurationes & mutationes membranarum, cartilaginum, vasorum sanguiferorum, adipis, nec non partium tendinosarum corporis animalis, in substantiam osseam, quæ præter naturæ cursum acciderunt, omni dubio carent, earumque possibilitas sole meridiano clarior est (*s*).

Tales

(*s*) Confer, præter multa exempla, apud SCHENCKIVM, aliosque rararum observationum collectores, prolata, D. BRAVSERI Dissertationem, de *Indurazione corporum, in specie vero ossium;* Celeberr. *Abrahami* VATERI, Dissertationem, de *Osteogenia naturali & præternaturali;* nec non D. *Ioannis* SALZMANNI Dissertationem, de *Ossificatione præternaturali*, & *Programma Illustris de* HALLER, Dissertationi inaugurali D. SPYELII præmissum, in quo notatu omnino dignissimos casus, e penu suæ experientiæ, cum cœtu medico communicavit. Maiorem insuper attentionem meretur Observatio XXXI. Decuriæ III. Anni IX. & X. *Ephemeridum* Academiæ nostræ, *Anatomen Lithiasi laborantis* sistens, in qua, de membranaceo corpore, in *vesica urinaria* reperto, *calloso*, principia ossificationis futuræ, instar granorum milii in isto disperforum, binaque ossa, promontoriorum adinstar prorepentia, monstrante, fit mentio. Nec minus *Observatio* LXXXIX. Centur. IX. *Ephemeridum* harum erit lectu digna, de calculo videlicet, crusta duriore, cornea quasi, investito.

Tales *indurationes & mutationes oſſium* parum, ratione ſuæ originis, a naturali generatione & incremento aliorum oſſium diſtant. Plerumque vero ibi frequentius obſervantur, ubi craſſiores ſeries tendinoſarum, nervoſarum & vaſis inter ſe iacentibus præditarum fibrarum, poſtquam obſtructæ, oblitteratæ & ſuo nutrimento orbatæ ſunt, pedetentim & proxime ſibi iunguntur, denſius compinguntur, & per quoddam temporis ſpatium naturali calore penitus exſicceſcunt, ſed tamen priſtino in nexu, cum aliis fibris primæ ſuæ ſubſtantiæ, manent.

Quamvis vero pauca dubia & difficultates, ſi ideam talium generationum ſpectamus, occurrant, negare tamen non lubet, poſſe forſitan, hoc in noſtro præſenti caſu, anſam ſequenti quæſtioni præberi: *An talis oſſi ſimilis induratio membranaceæ ſubſtantiæ, in loco ſemper humido & madido, nec non absque omni communicatione & nexu aliis cum fibris primæ ſuæ ſubſtantiæ, oriri queat?* Vel, ut in anteceſſum, quod res eſt, dicam: *An magna conglomeratio membranacearum partium, quæ certo in loco canalis inteſtinorum, qui præ aliis humidior eſt, qualem locum, verbi gratia, fundus globoſus cœci repræſentat, fuit retenta, in denſam & duritie oſſi ſimilem ſubſtantiam ibi poſſit mutari?*

Obſervationes & relationes de his *Oſteogeniis* fide haud indignæ, & a viris optimæ famæ communicatæ, quæſtioni huic clariſſimam affundere lucem & harum poſſibilitatem, nec non veritatem demonſtrare poſſent. Verum enim vero, cum tam antiquos, quam recentiores evolverem obſervatores, & ex eorum ſcriptis ſimiles *Oſteogeniæ* caſus colligere vellem, hoſce in claſſem raro accidentium omnino eſſe referendos, edoctus fui.

Quam ob cauſſam pauca ſaltem proferre poſſum exempla, & quidem talia, quæ poſſibilitatem *Oſteogeniæ in inteſtinis* affirmant. *Iacobus* Carpvs in *Iſagoge anatomica*, de

inte-

intestino colo scripsit: *In colo intestino generantur lapides & coria a pituita exsiccata &c.* RONDELETIVS in *Methodo curandi morbos, Libro III. Capite XXXXIV.* de *Calculo*, contra FERNELII sententiam, refert: *Lapis a colo intestino reiectus, vesicæ calculis similis est. At qui ab abscessu reduntur*, OSSIBVS *similes esse solent, colore fusco. Tales ab abscessu intestinorum mulieris Montisbani redditos fuisse &c.*

Ex choro recentiorum Medicorum *Ioannes Theophilus* BAVERVS in *Epistola* ad *Ioannem Godofredum* HAHN, Dresdæ, ann. MDCCXLVII. de *Molis intestinorum*, data, observavit, in ægroto, molis intestinorum laborante, quod membranacei globi, diversarum indurationum, imo, quod *pars cartilaginosa*, figuræ *coni* & extraordinariæ magnitudinis, per sedes fuerint reiecta & inde æger pristinæ saluti restitutus fuerit.

Plures & clariores, *ossificationis* in canali intestinorum factæ, observationes, sectandi inveniendique, mihi non data fuit facultas. Dubius tamen haud sum, fore, ut hic, cuius relationem sequentibus in lineis communicabo, casus, tam possibilitatem, quam etiam existentiam talium concretorum osseorum in apricum proferre possit.

Vir quidam, procera corporis statura, carnisque & virium magno vigore instructus, quinquaginta tres agens annos, prima a pueritia labori semper gravi & concatenato adsuefactus, nullisque aliis, nisi *intermittentibus*, quas in *vere* & *autumno*, ex continua irregulari diæta & nimiis potulentorum haustibus, tanquam harum, ut ipse fassus est, caussa primaria, plerumque experiebatur, *febribus*, & quod a iuventute ad vomitionem facilis sit, ad annum usque MDCCXLIII. obnoxius fuit morbis.

Eodem anno noster *Dysenteria*, hisce in regionibus furiose tunc temporis grassante, infestabatur. Quo morbo tam graviter laborabat, ut in fine paralyticus & tabidus fieret.

Studio conservandi se ipsum, propriaque auctoritate ductus, iter faciebat ad *Thermas Wisbadenses*, illisque tam externe, quam etiam interne utebatur, & cum mox exoptatum auxilium, restitutione virium amissarum & artuum potentia experiretur, *per duos integros menses*, & quidem ex die in diem, *balneum* in usum vocare pergebat, quo facto tandem pristina sanitas, vigore carnis & virium redeunte, omnibus ex partibus illi restituta fuit.

Proximo autem, post hancce sui medelam, elapso tempore, pedetentim incrementa sumens, incommodum, quando nimirum sinistro volebat incumbere lateri, passus fuit, hocque dolore ita affligebatur, ut, si aliquando vi quadam ad hunc se ipsum adigeret decubitum, ructibus ad vomitum usque divexaretur.

Interea mores pristinos, quod & labores diurnos, quos pro mercede exercebat, graves, & diætam spectat, observabat: sæpius tamen ordinis, imo modi, potando oblitus fuit. Vnde mirari haud licet, quod iisdem, ut diu antea, morbis obnoxius fuerit. Cruciabatur nempe *febribus intermittentibus*, quæ illum *singulis annis*, & *vere*, & *autumno*, sub diverso tamen typo, adfligebant.

Eadem febri, typum *tertianæ* servante, noster verno tempore anni MDCCLIII. tentatus fuit, qua profligata, gravibus, qui mox dorsum, mox lumbos, mox umbilicum exercebant, cruciatibus, pro *colicis* ab ipso ægro reputatis, torquebatur. Hisce varia, e classe *medicamentorum domesticorum*, exhibita remedia, levamen quidem attulerunt, alvinæ vero obstructioni ludibrio fuerunt; quin imo, nec officinalia selecta & solventia præstantissima desideratum ferre valebant opem, adeo, ut ista ad *diem* usque *decimum quartum* perseveraret pertinacissima.

Nihil itaque omnibus & maximis nixibus efficere valuit; attamen sub iisdem sentiebat ac si aliquid in *summo intestini recti*

recti ſedem ſuam fixiſſet, quod, omnibus reſiſtendo nixibus, remoram iniiceret. Tandem digitorum auxilium adhibebat, iisdemque explorando, rimando & terebrando, non ſine maximo ſtupore, corpus quoddam excrementis durius, aſperum & inæquale, nec non arctis vinculis incluſum, tangendo invenit.

Tunc conſilii obtinendi gratia me adibat: ſuaſi ergo, pro uſu interno, oleoſa, iuſcula pinguia, utque per inſeſſus calidos, per enemata, cataplaſmata emollientia, ſuppoſitoriaque pinguia & acria, inteſtini, ad exturbandum ſævum & moleſtiſſimum hoſpitem, adiuvaret potentiam.

Exoptatiſſimum hæcce quoque præſtiterunt auxilium; maiori enim & facilitato niſu, quamquam duplicato conatu, & fecum, & corporis durioris excretionem de novo molitus eſt, nec prius inde remiſit, donec cum interruptis, quaſi doloribus ad partum, exclulerit illud *Concretum oſſeum*, cuius externa forma *Fig. 1. & 2. Tab. IV.* hic oculis ſiſtitur, & denique ſine omni materia purulenta, ſanguine, vel membranacea ſubſtantia, ex alvo nunc ſoluta, ordinaria etiam excrementa redderet.

Cum hoece *concretum*, adhuc crudum, libra examinarem, eius *gravitas ſextunci* reſpondebat. Nunc autem, poſtquam illud ultra menſem, ob peſſimi odoris fœditatem & purgationis cauſa, aquæ iniectum foverem, multam craſſamque, in qua latebat, pituitam abluerem, nec non aëri optime exſiccandum traderem, eius *pondus* adhuc drachmis IX. conſtare deprehendi.

Sic ergo valetudinis ſalutem hoc periculo ſtatim nactus hic Vir, paucis poſtea præterlapſis diebus, rurſus in publicum prodibat. nihilque ratione ſanitatis in votis amplius habebat, quam reſtitutionem hoc morbo amiſſarum virium. Quod ſupererat, maximo afficiebatur gaudio, quod dolores, quos per *decem annos*, cum ſiniſtro lateri incumbere conaretur,

pati coactus fuerat, mali nunc cauſa ſublata, ipſum non amplius excruciarent, nec etiam in dorſo & reliquo corpore priſtinas moleſtias ſentiret, & ipſe alvo non adſtricta laboraret, ſed ſoluta, iuſto ordine, & absque omni moleſtia gauderet.

Relationem ut uno verbo abſolvam meam: ad hunc usque diem optime valet, inſimulque maiore animi & corporis integritate priſtina ſua penſa, circumagendo magnam rotam apud Stannarium, abſolvere poteſt.

Conſpectu morbi ad umbilicum, hiſce præmiſſis, perducto, ad *demonſtrationem cauſæ*, videlicet *concreti oſſei*, progredior, de qua fuſius mentis ſenſa explicare nunc mihi animus eſt.

Imaginem, nec non propriam & iuſtam eius *magnitudinem*, ſolerti *Chalcographi* manu ad amuſſim *prima* & *ſecunda Figura* Tab. IV. delineandam curavi. Externe *colorem* clarum fuſcumque, intermixtis candidis maculis, exhibet. *Similitudo* eius æquat particulam clavæ, vel partem inferiorem cornu cervi, quod nimirum aſperitates, germinationes & gibbos oſtendit. Quamquam figura eius *Cono* ſimilior ſit, quam *Triangulo*, de qua *Fig. 1.* apicem, & *Fig. 2.* baſin repræſentat, *tres* tamen, easque decumanas excelſasque, hic oculis ſiſtit, *protuberantias*. Harum *duæ* in *baſi*, ſicut *Fig. 1. a. c. c.* cum *Fig. 2. c. c.*, demonſtrat, & *una* in *apice*, *Fig. 1. b.* conſpiciuntur. Tota externa *ſuperficies*, uti illam *Fig. 1. & 2.* oculis ſiſtunt, eſt aſpera & inæqualis, inſimulque tam maiores, quam etiam minores *protuberantias*, eminentiasque politas, ac inter has *inciſuras*, foveasque atque anfractus, ex una eademque dura maſſa, oſſi ſimili, conflatas, oſtendit; quæ tamen omnes non prius, quam poſt abſolutam operoſam huius *concreti* expulſionem, abluitionem, amotionemque pituitoſi & glutinoſi, cui involutum erat, integumenti, ſeſe manifeſtarunt.

Emi-

Eminentiæ modo indicatæ ſatis quoque notatu digna monſtrant. Nonnullæ ſcilicet ſunt rotundæ, aut oblongæ, aliæ vero dentatæ, nec non ramoſæ & turbinatæ, altiusque magis & minus protuberantes, omnes tamen uno ex trunco progeneratæ, & invicem ſibi ramos fibrasque communicantes.

Ingentem quoque *inciſuræ* & *anfractus*, iſtis interiecti eminentiis, ratione magnitudinis & proportionis ſuæ, monſtrabant differentiam; ampliores enim & longiores ſunt iſtæ duæ inciſuræ, quas in *Figura 1.* per *d. d.* & in *Figura 2.* per *a. a. b.* indicavimus. Inprimis adnotandam duximus illam *inciſuram magnam*, quæ ſupra, pene in medio incipit, valde in profundum penetrat, & plus quam per mediam partem totius longitudinis, altero in latere, producitur, (*Vid. Figura 2. a. a.*) &, ut in reliquis minoribus quoque monendum eſt, cuius *ſuperficies* haud tota ex parte eſt lævis, ſed *parvis gibbis* obſita.

Vt me denique evidentiſſimis argumentis, de perfecta oſſificatione huiusce concreti, absque omni dubio convictum redderem, ſerrulam ſubtilem per *baſin* & *verticem* illius ad ſitum *horizontalem* ducebam, duasque in partes, iſtas nempe, quas *Figuræ 3.* & *4.* oſtendunt, dividebam. Hoc facto, quum poſtea partim *colorem* & duritiem concreti huius diſſecti, partim *odorem empyreumaticum*, dum ſcobem collectam carbonibus candentibus iniiciebam, exactius indagarem, certior inde evadebam, ſubſtantiam huius *concreti oſſei*, quoad *duritiem* & *albedinem*, *Ebori*, omnibus ex partibus, æquiparandam eſſe.

Vno eodemque tempore, hacce diſſectione, veritas opinionis, antea iam mente mea conceptæ, quod nimirum primum huius *concreti oſſei* fundamentum *conglomeratio portionum membranacearum* præbere potuerit, firmiori incipiebat ſtare talo.

Hæc

Hæc meditatio novo inſuper corroborabatur argumento, quum inter hanc *Ebori candido* ſimilem *glabram ſuperficiem*, *ramorum* brachia ſparſa, (*videas, ſi lubet*, *Figuram 3. & 4. a. b. b.*) haud perfecte oſſea, pene tamen ſubſtantiæ *corio* duriori ſimili, æquiparanda, eaque diſpanſa, obſervarem. *Maior* horum *ramus*, ſerra in longitudinem ſectus, manifeſto oſtendebat, quod antea *canalis*, & quidem cuiusdam *venæ* fuerit; dum tam libero, quam etiam oculo microſcopio armato, eoque perfectius & penitius, *valvula* vera & conſpicua (*vid. Fig. 3. a.*) cognitu & inſpectione facilis erat; quæ etiam, quum eam ſepararem, inſuper adhuc brevem *canalem* monſtrabat, qui vero in duro ac fixo oſſe mox abſorbebatur.

Reliqui *minores racemi b. b.* tantum umbræ primæ ſuæ ſubſtantiæ erant, attamen *maiorem* ramum *a*, omnibus ex partibus æquabant, itidemque ab oſſe abſorpti fuerunt.

Liceat ob has animadverſiones, ut quæſtionem ventilem: *Aberrone multis paraſangis a tramite veritatis? vel iudicii calculum minus ſcite pono, ſi, duce præſente hacce obſervatione, nunc argumentis ſententiam ſequentem adſeverare vellem?*

Hoc videlicet *concretum oſſeum conglomerationi haud exiguarum portionum tunicæ villoſæ & nerveæ, inteſtini, ſcilicet ilei, ſeu ieiuni, in corpore huius viri, eodem temporis tractu, quo ille ante decennium atrociſſima laboravit Dyſenteria, huiusque morbi vi & iniuria laceſſitarum, abraſarum & ademtarum, ortum omnino debere ſuum?*

Id ſane omni cum ratione autumo. Modo dictæ enim *inteſtinorum tunicæ*, ex ſtratis fibrarum nervoſarum, & ex innumeris *vaſculis* ſunt conflatæ, quin imo, *villoſa* dat *gluten* & *gelatinam*, ac propter hanc texturam ambæ minus corruptioni & deſtructioni ſunt ſubiectæ. Non miror ergo, quod harum tunicarum direptæ portiones, exſangues & liquido ſuo orbatæ, eædemque arctiſſime compactæ & contortæ, nec non

in

in quiete ac in calore perpetuo ſibi relictæ, ad promovendam & abſolvendam *offificationem* fuerint aptiſſimæ.

Pro affirmanda hacce mea ſententia, ad nubem teſtium provocare me neceſſitas haud cogit. Saltem benevolos Lectores pro noſtro caſu, eiusque explicationis luce, ad limatiſſimas, tanquam teſtes omni exceptione maiores, aliorum Obſervationes remittam, quibus adſeveratur, *quod portiones membranaceæ, prægreſſa inflammatione & gangræna, ab adhæſione ſua, ſalva & illæſa manente parte, ſeu viſcere, cui adnatæ fuere, recedere & di-velli poſſint.*

Tales fide digniſſimorum virorum non raro, ſed ſatis frequenter adnotatæ deprehenduntur obſervationes, de *tunica externa Pulmonis, Hepatis, Lienis; de interna Oeſophagi, ipſiusque Ventriculi, de Peritonæo, de Veſica urinaria, de Teſticulis*, &c. in *Pſeudomembranas* induratis, hinc & inde excretis & eliminatis. Eodem modo, non ſemel, ſed iterum ac ſæpius, de membranis inteſtinorum a dyſentericis per alvum deiectis, obveniunt caſus. Quin imo, de ingentibus & *tunicæ villoſæ*, & *nerveæ* portionibus, ægro tamen in vivis ſuperſtite manente, priſtinamque ſanitatem recuperante, excretis, in aprico ſunt relationes (*t*). Et id quidem haud abſonum eſt, quum ſuperſtite adhuc *muſculoſa* & *communi* tunica

(*t*) Videatur Schenckivs, *Libro III.* ſub titulo: *De variis per alvum excretis*, ſimulque huc conferatur *Obſervatio* CXXIX. *Decuriæ III. Anni III.* Ephemeridum Academiæ noſtræ, quæ fruſtum fiſtulæ inteſtinalis, ſpithamæ longitudinem æquans, & in altera extremitate membranam illam circularem, quam *valvulam* Bavhini vocant, ſiſtens, per alvum reiectum exhibet. Non minus etiam varia eiusmodi exempla recenſet M. Gvrisch in Tractatu de *Chylo humano*, Capite X. §. V. quemadmodum quoque Valentinvs iunior obſervationem admirandam, de eiectione membranarum per ſeceſſum, formam viperæ referentium, olim communicavit.

nica inteſtinum in ſua forma manere & *canalis* vice fungi poſſit.

Præmiſſis hiſce, hoc in noſtro caſu denique PRIMO, *in quo loco, tanquam receptaculo, globulus iſte abraſarum tunicarum tamdiu latere, et in oſſeam ſubſtantiam mutari?* SECVNDO *vero, qua ratione, quo inſtituto & modo idem ſucceſſive induratus, ſuo habitaculo deturbari potuerit?* ſcrutandum & inveſtigandum venit.

Quod *primam* ſpectat *quæſtionem*, commodiſſimum, qui pro ſuo hoſpitio excogitari potuerit locum, *fundum globoſum* eſſe *inteſtini cœci*, ſequentibus evincere audeam argumentis. Ideo nempe ille aptiſſimus eſt, quia omnia, quæ ex *inteſtino ileo* in *colon* vergere conantur, ab illo *cœci globo* prius recipi debent, quando eiusdem fundus non antea iam repletus eſt (*u*).

In noſtro ægro dyſenterico, ob vim morbi & ob periſtalticum motum, durante illo auctiorem redditum, generandique excrementa dura impotentiam, minime repletus eſſe po-

(*u*) *Alexander* BENEDICTVS *Libro* XIX. *Capite* V. *Evenit interdum, ut cœco alimento repleto, cætera alimenta in colon prætorlabantur ad alvum. Vidimus poſt quadrageſimum diem, omenti fruſtum, quod devoraverat, per inferna demiſiſſe; hic enim latuerat; nam & vermes magna ex parte in eo,* (ſcilicet in fundo cœci globoſo) *generantur.* Plures caſus de *inteſtino cœco* SCHENCKIVS in *Obſervationum medicarum Libro* III. ſub Titulo: *Inteſtinorum lapides*, exhibet, ſub quo titulo etiam de *variis et monſtroſis per alvum excretis concretionibus membranaceis* mentio iniicitur. Conferantur quoque BONETI *Sepulchretum anatom. Libr.* III. *Sect.* XIII. *Obſervat.* VII. & VIII. & *Illuſtris de* HALLER *in Prælect.* BOERHAAVII *in propr. Inſtitut. pag.* 423. *itemque Iobi a* MEEKREN *Obſervat. medico-chirurgic. Obſ.* 53.

potuit fundus ille globoſus, quin potius vacuus & ſupra modum emunctus eſſe debuit.

Ex *tenuibus* nunc ad *colon* tendente *globo*, ſeu, *convoluto* illo *membranaceo*, aut ſimul & ſemel, aut etiam fruſtillatim collecto, vacuum ingredi debuit *cœci fundum*, eundem totum ſua mole occupare, ſupraque modum expandere, et admodum gravare.

Sub iſto conatu extenſionis noſtri *globi* commoratio tuebatur. Tanta enim moles non ſolum ſuperabat vim *elaſticitatis tunicarum*, ſed etiam eiusdem inteſtini *tria ligamenta*, alias fortiora, conſueta actionis ſuæ potentia privabat, imo vero hæc etiam *ligamenta*, per nixum & reactionem ſuam arctius ſe comprimebant, & incluſum complicando maiori retinebant vi. Nequaquam autem *liquidum* iſtud, quod *glandulæ folliculoſæ* & in *proceſſu vermiculari*, & in *fundo cœci* ſtillant, hocce incarceratum ſolvere, aut diluere potuit, quod alias in excrementis præſtat, quin potius illud idem, utpote *naturæ ſalinæ*, ad *offificationem* accelerandam, ſi non ſimpliciter *x*), quoad magnam tamen partem facere potuit; inprimis quum poſt exantlatum morbum, per crebriorem potum *aquarum Wisbadenſium*, iſta *falſedo* quotidie magis aucta fuerit. Nobis vero dubium nullum ſupereſt, quin harum calor intenſior *offificationis* & indurationis maximum fuit adiutorium *(y)*.

A *figura* & *forma* noſtri *concreti offei* firmiſſimum quoque deſumi poteſt argumentum, demonſtrans, ad quod aptum ſibi domicilium & ſtabile *fundus* ille *globoſus* fuerit, quia inter huius *formam* & illius *figuram*, nullum omnino diſcrimen

(x) Fernelivs in *Pathologia*, *Libr.* VI. *Cap.* IX. multa de *pituita* iſta lenta, craſſum & viſcoſum de ſe excrementum proferente, imo, in *calculos* concreſcente, notatu perquam digna adfert.

(y) *Hieronymus* Capivaccivs, in *Practica* Libro III. Capite XIII.

intercedit. Iſte enim, *fundus* nimirum *globoſus inteſtini cœci*, in corporibus plurium hominum irregularem repræſentat *conum*, aut *ſaccum*, ex tribus quaſi conglutinatum, qui, vi nexus *trium* ſuorum *ligamentorum* in *tria* agentia *puncta*, *cœci verticem* hoc modo attrahunt, ductaque recto aſcenſu ſecundum *coli* longitudinem, usque ad *cœci principium* ſic formati videntur. Horum *ligamentorum* unum potentia, a *ligamento meſocolico* abſcedens, poſteriorem *cœci*, duo vero reliqua priorem, & quidem unum ſupra, alterum vero infra, ambit & tegit parietem.

Quando itaque ex icone huius *concreti oſſei protuberantiam primæ Figuræ b.* ad implendum maiorem ſaccum in vertice; & duas minores a latere, quas *Fig. 1. & 2.* ope *c. c.* oculis hic ſiſtunt, in ſubſidium ſupplementi duorum minorum ſaccorum in *baſi*, aſſumo; ſi porro *incifuram magnam*, quam *Figura 1. d.* itemque *Fig. 2. a. a.* oſtendunt, in baſi tanquam effectum conſtrictionis potentioris ligamenti poſterioris parietis *cœci* & *arteriæ* cœcalis pulſus; *minorem* vero *inciſuram*, quam *Fig. 1. per d. d.* in latere ſiniſtro, & *Fig. 2.* per *b.* demonſtrat, tanquam ab efficacitate & attractione unius ex duobus ligamentis anterioris partis cœci, & forſan ſuperioris productam, conſidero: nullus ſane melior exprimens, ſimiliorque referens, ipſique omnibus ex partibus convenientior *iconismus* delineari poterit, quam huius *concreti oſſei*, quod *fundum globoſum inteſtini cœci* exactiſſima repræſentatione hic in *Figura 1. & 2.* exprimit.

Quando porro *fibras* (z) tunicæ muſculoſæ & nerveæ huius fundi, tanquam orbiculares ac longitudinales, & haſce fortiores, congregatas, immediate ſe contingentes, imoque funium in modum conglutinatas, utrarumque vero poſt impul-

(z) Vid. Diſſertat. Dn. D. Gosse, de *Inteſtino cæco eiusque appendice vermiformi.* Gotting. 1749.

pulſum dictorum *trium ligamentorum* (quod tamen alia ratione ſe habet in fœtu, qui non indiget illis, indeque *cœci fundum* non ex *tribus* conſtantem habet *faccis*) intorſiones, mox elongationes, mox abbreviationes, mixtamque & ſibi implicatam directionem adeptas, mihi ante oculos pono; ſi quoque ad ſtructuram *glandularum*, aliter hoc in fundo, quam in aliis craſſis inteſtinis comparatam, cum magis ſint planæ, diſtinctæ, & ſupra tunicam internam, villoſam dictam, ibidem planiorem, quam alias obſervatur, eminentes, animum refero, tunc delineatio quoque ſuperficiei inæqualis externæ huius *concreti offei*, plura, quæ illi quaſi propria & ſupra iam recenſita ſunt, tanquam typus *fundi globoſi cœci*, monſtrare poterit. Quae vero ſingula hic, pro ulteriori demonſtratione recenſere, noſtri haud eſt inſtituti.

Sequitur nunc *reſponſio* ad *ſecundam* ſupra propoſitam quæſtionem: *Qua* nimirum *ratione, quo inſtituto & quo modo, concretum noſtrum offeum ex ſuo habitaculo, fundo ſcilicet globoſo inteſtini cœci, deturbatum ſit?*

Nullus morbus, nullaque vis naturæ, (quæ alias artificioſe & ultra hominis prudentiam corpus ſæpiſſime conſervare ſolet,) ad propriam ſuam deſtructionem vergens, concreti huius expulſionem produxerunt, ſed alius caſus, qui iure meritoque attentione dignus eſt, & qui ad oculum demonſtrabit, quo modo & inſtinctu illud *concretum offeum*, ſuo quaſi ex carcere eiectum fuerit, ſalutarem iſtam eius eliſionem accelerabat (*a*).

(*a*) Similem fere caſum exhibet *Obſervatio* CXCVII. *Decur.* II. *Ann.* V. *Ephemer. Nat. Cur.* ubi mulier quædam, trahendo & retrahendo machinam, lapidibus, pro lævigandis linteaminibus, onuſtam, violenter nimis & incaute corpus extendens, per *alvum* egeſſit corpus quodpiam, pugnum fere aequans, duræ conſiſtentiæ, ut nec malleo fortiter percuſſum confringi potuerit, coloris cine-

Erat ſcilicet huius *concreti* genitor & parens, brevi ante partum, ſuis tanquam quotidianis penſis, Stannario cuidam a circumagenda magna rota, qua ad polienda vaſa huius generis opifices utuntur, hocque nunquam alias familiari labore vitæ ſibi parabat alimenta.

Quando itaque vehementius, ſub violento hoc labore ſuccedens reſpirationis negotium auctamque abdominis muſculorum actionem conſidero, & quidem, quod hæc ultima ſub iſta corporis agitatione mox explicationem, mox coarctationem *thoracis* & *abdominis* cavi, & in huius viſcera intenſiorem impetum & torſiones, concitare valeat; ſique naturalem ſimul *inteſtini cœci* in dextra *ilei* regione, inter eius lateris *renem* & *ilium os*, his duobus ſimul incumbentis, reſpicio ſitum; ſi porro ad *tertiam coli curvaturam*, *fundum globoſum cœci* tegentem & alia molimina, quæ ſub dicta corporis agitatione hunc ipſum contorquere, & in illum impingere valebant, attendo, facili negotio concipere poſſum, quo modo huius fundi *baſis* verſus *valvulam coli* dirigi, & eius *vertex*, mole prægnans deorſumque magis pendens, in altum & in lineam horizontalem diſponi, atque in hoc ſitu (quo alias evacuat feces,) naturali quaſi reſtituto iſtud, quo repletus erat, in *colon* potuerit effundi. Ad hoc negotium, quin huius *fundi ligamenta*, aliorum moliminum ope fulta, ad retinendum illum in ſitu horizontali multum inſimul contulerint, nullum omnino reſtat dubium. Illorum ſcilicet actio intenſior evadebat, quum breviores eo reddebantur *fibræ*, & faciliori modo,

cineritii, cum intermixtis albicantibus ſtriis. Sic quoque *Obſervatio* XXI. *Decur.* III. *Anni* III. caſum recenſet, *de calculo per alvum excluſo*, poſt vehementiorem corporis inclinati agitationem, quum ægrotus in furno purgando occupatus fuiſſet; quorſum etiam referri meretur *Obſervatio* CLXXXIV. *Decur.* II. *Ann.* VIII. de curvatura corporis & ſitu erecto, ſimili in caſu.

do, dum *gravitas & pondus concreti ossei* in hoc situ simul accedebat, & versus *colon* in *basin* potuit propelli. Hac ergo ratione, dictis *ligamentis* tandem liberatis, a quibus in *incisuris, Fig. 1. d. d.* & *Fig. 2. a. a. b.* delineatis, hactenus retentum fuit *concretum* hoc *osseum*, quasi ex tot laqueis sese extricavit, suoque pondere profundius descendit, inprimis cum insuper etiam humor ille mucilaginosus, quem glandulæ, quarum supra facta est mentio, continuo in magna quantitate plorant, & qui procul dubio post crebriorem spasmodicam constrictionem tam *fundi*, quam etiam *appendicis intestini cœci vermiformis*, in maiori adhuc copia expressus fuit, lubricando vias, multum adminiculi insimul huc contulerit.

Postquam ergo *concretum* hoc tali modo prædictum *fundum* deseruit, nihil omnino eius progressum in *intestino colo*, eiusque excretionem per *rectum*, remorari poterat, quia inprimis tam eiusdem *gravitas*, quam etiam *figura sphærica*, quin imo *pituitosum eius involucrum* viam ipsi aptiorem in libertatem erumpendi sternebant.

In fine quidem angustia *intestini recti* quodammodo obstabat; quoniam vero illud ingentem expansionem admitt,it hinc modo indicato, fores aperiendo, una cum *alvum* moventibus simul adhibitis, tandem feliciſſimo cum successu, quamquam sub diriſſimis ad partum doloribus, non a *fœmina*, sed a *viro, fœtus iste decennis osseus* expulsus fuit.

EXPLICATIO TABVLAE IV.

Figura 1. & 2. Concretum sistit *osseum*, cuius *Historia* hactenus relata fuit; huiusque externam superficiem, asperitates, germinationes, gibbos, sinus, & anfractus, nec non figuram *Coni* irregularis, tres habentes protuberantias, duas nimirum in basi, unam vero in apice. Speciatim autem notat

Figu-

Figura 1. idem illud concretum ita situm, ut eius vertex, seu apex, oculis præcipue obvertatur.

a. indicat basin.

b. Verticem, qui tertiam protuberantiam, ex qua eius forma constat, efficit.

c. c. Duæ reliquæ protuberantiæ, in basi *a.*

d. d. Duæ incisuræ. Superior, quæ in basi medium locum occupat, est maior, & in *Figur. 2. a.* exacte conspicitur. Altera est minor, in sinistra protuberantia lit. *c.* & in Fig. 2. lit. *b.* notata.

Figura 2. idem hoc ita exhibet, ut eius basis integra conspici possit.

a. a. notat incisuram maiorem, basin in medio profunde incidentem & quasi in duas partes dividentem.

b. Incisuram minorem, protuberantiam sinistri lateris in longitudinem dividentem.

c. c. Duas laterales indicat protuberantias.

Figura 3. & 4. Concretum hoc in medio per basin & verticem ad situm horizontalem serrula dissectum monstrant, prout substantia rigidissimi ossis, Ebori similis, interspersis brachiis ramorum coriaceæ naturæ, apparuit.

a. a. est maior ramus dissectus, *canalem* ostendens, in quo membranula in *forma valvulæ*, alias in venis exstantis, reperta fuit, quam *Fig. 4.* exactius sistit.

b. b. Reliqui rami sub *ossificatione* superstites.

Appendicis loco Figuras 5. 6. & 7. adiecimus, exhibentes *tres calculos*, raritate mirabiles, quarum *historias* ideo adiicere non lubet, quoniam complures eius indolis in Ephemeridibus & Actis huius Academiæ exstant.

Figu-

Figura 5. ex communicatione *Amici honoratissimi*, repræsentat *calculum*, qui ex uteri & vesicæ urinariæ prolapsu exsectus fuit. Historia eius coincidit cum illo casu, quem *Excellentissimus Dn. D. Ioannes Philippus* Burggravius, *Collegii Medici* in libera & Imperiali hac Civitate iam *Senior*, itemque *Consiliarius aulicus et Archiater Electoris Moguntini*, in prolixe descripta *Observatione*, quæ sub numero CXXVI. in *Volumine IV. Actorum physico-medicorum Academiæ nostræ prostat*, *anno* MDCCXXXVII. cum publico communicavit. Differt tamen præsens hic tam *mole*, eaque *maiori*, quam *forma* ab illo iam olim descripto, qui post mortem inventus fuit, quum hic vivente adhuc ægrota viam sibi ipse ad exitum paraverit et absque difficultate extractus fuerit. Prolapsus, in quo per satis notabile temporis intervallum delituit, *bursa* erat, seu *vagina uteri*, quæ a pondere *calculi*, in *hernia vesicæ* latentis, una cum ipsa *hernia* in grandioris *sacci* speciem successive dilatata & extensa erat, ita ut longitudine novem, et latitudine sex pollices æquaret.

Plura *vesicæ urinariæ herniarum* exempla prostant in *Ioannis* Saltzmanni elegantissima *Dissertatione*, de eodem argumento *Argentorati* anno MDCCXXXII. ventilata.

Figura 6. monstrat *calculum vesicæ urinariæ*, ponderis quatuor unciarum, a vetula per urethram excretum, quæ dein, ab hoste illo liberata, per plures adhuc annos in vivis mansit, nihilque incommodi, præter urinæ incontinentiam, inde perpessa fuit.

Similes casus de calculis absque sectione excretis, occurrunt in *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX. et X.*

Obſerv. XC. Decur. III. Ann. IX. et X. Obſerv. CCLII. et apud TVLPIVM, *Obſervation. medic. Lib. III. Obſervat. VII.*

Figura 7. exhibet *Cholelithum* ab ægroto quodam vivente excretum, *pondere* unciam dimidiam æquantem. *Forma* eius *externa* convenit cum lagenæ obturamento ſubereo, quod, patrio idiomate, *ein Flaſchen-Stöpfel*, audit. In externa ſuperficie fuſcum monſtrat colorem cum ſtriis & circulis croceis diſtinctum; in medio vero circulorum, in extremitatibus conſpicuorum, nucleus profundior flavus conſpicitur.

Conferantur *Ioannis Georgii* BEZOLDI *Diſſertatio de Cholelitho, Argentorati*, anno MDCCXXV. habita, & *Abrahami* VATERI *Obſervatio rariſſima Calculorum in corpore humano generationem illuſtrans.* Wittenb. 1726.

Utrosque ultimos hos calculos iam Academia noſtra poſſidet & adſervat in Collectione illa *rariorum Naturæ*, quam cum *Bibliotheca* ſua coniunxit, illosque cum ſatis numeroſa ſupellectile meorum *Præparatorum anatomicorum* & variorum *Calculorum*, ex corporibus hominum et brutorum deſumtorum, a me, Saxoniæ *anno* MDCCXXXVIII. valedicente, ſibi comparavit.

(*Francofurto ad Mœnum Halam miſſæ d. 12. Novemb. 1755.*)

Obſer-

Obſervatio LXII.

DN. D. HENRICI NEPOM. CRANTZII.

De

Infante recens nato, ex palati defectu mortuo.

Viennæ in Noſocomio St. Marci hoc ipſo anno MDCCLV. d. xxv. April. infanti recens nato, ceteroquin omnibus numeris perfecto, totum deficiebat palatum. Deſiderabantur nempe apophyſes palatinæ oſſium maxillarium, utriusque oſſis palati pars palatina proprie dicta (b), adeoque tota fornix oſſea palati. Aperto ore, mox conſpiciebantur, internus maxillæ ſuperioris, ſine palati enaſcentis veſtigio (c), paries, medias nares dividens ſine fulcimento vomer, oſſa ſpongioſa ſuperiora & inferiora, totumque cavum narium, quod ſaltem recta via a naribus externis in os & in fauces hiabat, naturaliter conſtitutum & membrana pituitaria conveſtitum.

Ceterum erant, quoad externum adſpectum, ſatis bene convallatæ nares, interne vero ita, ut modo deſcripſi, comparatæ, & ad os cribroſum perviæ. Velum pendulum palatinum, ſeu valvula mobilis, alias cavitatem oris & faucium horizontali ſuo ſitu dividens, & medias conſpectui fauces ſubripiens, hic in duas fimbrias, ingenti in medio relicto hiatu, diviſum, totam concameratam faucium caveam intuenti oculo liberam permiſerat. Fimbriæ vero hæ, veli penduli rudera, ex proceſſibus alaribus palatinis, ut & tuberoſitate molari poſteriori dependentes, utrimque in apicem conoideum, reliqua parte muſculoſiorem, conceſſerant, & ſic in parte late-

 rali

(b) Traitè d'Oſteologie par Mſr. BERTIN, a Paris 1754. Chap. XIX. Tom. 2.

(c) Alio ac in iunioribus embryonibus modo, in quibus palatum, ab initio fiſſum, dein ſenſim connaſcitur,

rali radicis linguæ divisa uvula stetit, vel nullo functura officio, vel errore partium decepta præpostero.

Hac difformitate mulctatum a natura infantem, ceterum sanum, post aliquot a partu septimanas invenio; atque dum in incommoda deficientis structuræ, huic ætati tamen vel maxime necessariæ, inquiro, suctionem nec facilem, nec felicem (*d*), suctum lac, in deglutitionis opere, partim per nares, partim in cavitatem infralingualem se subducere, minimam vero quantitatem in œsophagum, idque adhuc cum tussicula, devehi, animadverto, quæ omnia phænomena, ut & præsentem iamiam totius corporis contabescentiam, tum ex legibus mechanicis, tum ex præternaturali fornicis ossei palatini conformatione, ut & nutritionis defectu intelligens, infantem hunc diu in vivis manere superstitem haud posse, statim prædixi, id quod etiam lethalis brevi post insecutus confirmavit eventus. Neque enim quidquam emolumenti attulit illud, quod natura matri statim ab initio suggessit, adminiculum, narium nempe sub lactatu occlusio, ut et horizontalis infantis situs, quoniam cavum supralinguale, ex defectu palati magis sublime & vastum, lingua nec debite implere, nec captam lactis portionem in illo coërcere potuit, sed in summas nares pressam, postea in cavum infralinguale et buccarum, tandemque subterfugientem in carinam revocare sæpius debuit, ut ultimo in gulam transmitti illa posset.

Quod

(*d*) Notum enim est ex physicis, infantum suctionem ad antliarum leges flecti: Labia enim, in rotundum foramen contracta, aperturam, genæ, maxillæ, palatum, corpus, lingua embolum antliæ effingunt, ut præclare docuit Dn. Petit, in *Commentariis Academ. Reg. Scient. Parisin.* ann. 1715. p. m. 189. minus autem vere expostuerunt Auctores novi illius Operis, quod sub titulo: *Encyclopediæ* prodiit, Tom. I. artic. *Air*, circa finem secundæ columnæ.

Quod vero in universo hoc exiguæ cuiusdam portionis lactis transmittendæ labore vel maxime mireris, erat, quod nunquam strangulationis aut convulsionum periculum, ex guttula quadam intra glottidem descendente, subierit infans, licet tussiret sæpius, & in eodem ipsissimo molimine lac in summas nares ope linguæ pressum, dein partim decidere, partim iuxta latera depluere debuerit.

Ceterum tussicula illa lactationi sæpe infesta, quæ pultibus ex farina & lacte confectis communiter mitigatur, nullam hic opem pro deglutitione facilitanda attulit, quoniam & pultes per nares redibant, ni mater digito bolum in fauces profundius adigeret detruderetque.

Vixit infans hic per sex septimanas, caputque eius, debite anatomico more præparatum, adhuc servo. Dolui mortem infantis, & cogitavi sæpius, quid, si similis iterum sese offerret casus, agerem, atque tum hoc proficuum fore iudicarem consilium, esse nimirum ex eburnea aut aurea lamina, dimensionibus prius sumtis, arte effingendum palatum, quod pro lactatu appositum, in externa ossium maxillarium superficie firmaretur, ut prima illa nutritio, quantum possibile, adiuvetur felicius; interim paulo spissioribus alimentis magis esse insistendum, quam liquidis. Forte etiam fœcundior imaginatio quondam aliud cuidam, nec infelix, nec natura indignum suggeret pro hoc vitio medium. Casus enim talis, licet rarissimus, attentionem tamen meretur, ne, quem servare forsitan per aliquod tempus adhuc possemus, infelicem eiusmodi, frivole sic & præmature fame perire patiamur.

Obſervatio LXIII.

DN. D. HENRICI NEPOM. CRANTZII.

De

Hernia abdominali, ab exeſo per gangrænoſum anthracem abdomine nata.

In eodem Noſocomio nuper adferebatur mihi adſpiciendus a quatuor & decem diebus natus infans, totus extenuatus, abdomen autem tumidum gerens; ſoluta, qua hoc ſtringebatur, faſcia, & arido iam, ob diuturnam moram, fomento remoto, herniam abdominalem mire fœtentem, abdominisque muſculos cum integumentis undique abſumtos deprehendi. Tumor erat in circulum extenſus, cuius centrum umbilicus conſtituebat, radius vero ad pubem usque extendebatur, ſuperius convexus, & craſſitiei inæqualis in parietibus ſuis, hic arroſis & laceris ſtratis carneis adhuc muſculoſus, illic iam ad peritonæum exeſus, undique autem coloris ex livido virideſcentis.

Ipſum autem hoc malum adeo grave tali modo enatum erat. Prima a partu ſeptimana in ipſo umbilico infantis ceteroquin ſatis ſani, prodit tuberculum durum et rubrum, quod colore ſtatim mutato cruſtaceum & ſerpens evadit, omnesque has partes, ut modo deſcripſi, exedit. Irrita hinc fuerunt omnia in uſum vocata remedia, elapſoque vix octiduo fatis ceſſit miſellus, accedente alvi ſegnitie, nullo vero vomitu.

In cadavere eiusdem, quod Dn. *Rechberger*, nunc Noſocomii ad St. Marcum Chirurgus ordinarius, in Theatro anatomico publice diſſecuit, obſervavimus ſequentia: Facta ovali, a cartilagine xiphoide utrimque incepta, & in genitalibus

bus finita, abdominis in ſana parte ſectione, & ſublato, ab eadem cartilagine incipiendo, abdominis operculo,

1) protruſum in herniam peritonæum;

2) omentum in illam receptum, ibidemque accretum, & gangrænoſum offendimus. Quoniam autem, ſub elevatione integumentorum & muſculorum, omentum fere corruptum dilacerabatur, facileque ſub ulteriori partium illarum allevatione univerſus herniæ ſtatus immutari potuiſſet; idcirco iuſſi, ut viſcera abdominalia, in hernia hærentia, a ſuis ſolverentur vinculis, quibus diſſectis pronus volvebatur infans, tuncque deprehendimus

3) inteſtina quoad maximam partem in cavitatem herniæ protruſa, eique multis in locis accreta, inflammata & maculis gangrænoſis hinc inde conſperſa.

4) Peritonæum obſcure rubro & livido colore inquinatum & ob muſculos abdominales eroſos totum fere denudatum, nullo vero in loco, quantumvis tenue & quaſi chartaceum, ruptum, nec etiam per annulum egreſſa inteſtina, nec in ipſo umbilici annulo herniam obſervavimus, utpote qui potius a vena umbilicali ope ligamenti plani (*e*) exacte obfirmabatur.

Ceterum ipſa cavitas herniæ, quæ hic mitrulam presbyterialem, Gallis *Calotte* dictam, referebat, latitudine tres cum dimidia pollices, profunditate autem unum cum dimidio æquabat, & præter tenuia inteſtina etiam colon, itemque omentum

(*e*) Satis bene hoc deſcripſit in *Commentariis Academ. Reg. Scient. Pariſin.* anno 1716. pag. 180. Clariſſ. Mery, licet in eo a vero recedat, quod a vena umbilicali peritonaeum perforari velit; optime vero Celeberr. Günzivs, in *Obſerv. anatom. chirurg. de Herniis Cap. XV.* ubi ligamentum hoc *tendineam faſciolam* vocat.

tum & anteriorem hepatis prorſus ſani partem, ubi ligamentum ſuſpenſorium (quod undiquaque ſaturato flavo colore tinctum erat,) annexum eſt, continebat.

Externe vero, infra & ſupra umbilicum magna pars muſculi recti, itemque oblique adſcendentium, & paulo minor transverſorum, eroſa erat; extrema autem horum margo herniam ita cingebat, ut in fibrarum ſuperſtitum vicinia evaneſcere videretur protruſus peritonæi ſaccus.

Hæc ergo de dira hac externa herniæ cauſa ſufficiant; de illa vero, quæ ab eiulatu pluribus infantibus contingit, umbilici hernia id monere tantum lubet, præcaveri eandem facile poſſe, ſi ploratus iſte, ſub mundatione & faſciarum mutatione plerumque eveniens, exhibitis dulcibus leniatur, & faſcia applicata umbilicus probe firmetur.

Observatio LXIV.

DN. D. HENRICI NEPOM. CRANTZII.

De

Rara & ingenti muſculorum pectoris eroſione feliciter tandem ſanata.

Infanti ante quatuordecim dies nato, in eodem Noſocomio, tuberculum durum rubrum, ſine evidenti cauſa, in papilla mammæ ſiniſtræ ſuccreſcit. Mater ad mitigandos dolores, ex continuo eiulatu coniiciendos, farinam fabarum leniter calefactam imponit, ſed irrito cum effectu, ſiquidem elapſo vix quatriduo durus ille tumor in ſuppurationem adeo malignam degeneravit, ut, toto glanduloſo mammæ corpore exeſo, cum ſuperincumbente cute, panniculus adipoſus per totum ambitum muſculorum pectoralium & dentatarum inſertionum ſuperiorum muſculi obliqui ſuperioris abdominis, ichore fœtido conſumeretur.

In

In tali statu primum ego infantem vidi, prorsus nempe, ut modo dixi, iuxta pectus & abdomen carnibus denudatum; ulceris margo ex flavo cinereus, musculi quasi docto scalpello praeparati, vividissimo colore rubri, tunica vero cellulosa, quæ muscularem fibram investit, musculi tendo, intacta. Ad hæc musculi pectoralis actionem, fibrarum motum, contractionem, relaxationem, pro brachii ad pectus adductione, vel abductione, iucundissimo sane spectaculo oculus intueri poterat. Aqua calcis vivæ cum mercurii sublimati exigua portione applicabatur.

Quum elapso hinc octiduo ob alios ægrotos accitus in idem Nosocomium pergerem, observavi

1) regenerata, cum panniculo adiposo, toto pectorali dextro, omnibusque dentatis insertionibus musculorum abdominis, integumenta, adeo eleganti & æquali appositione, ut nunquam exesa fuisse credidisses; etenim nec regenerationis principium, nec appositionis callus, nec adunationis cicatrix ulla ratione conspici poterant, quod in hoc negotio sane est maximum.

2) Novis etiam pectoralem sinistrum integumentis tectum, at non in integrum, et dispari longe forma deprehendi; in media enim distantia e sterno et illo loco, ubi quondam mamma sinistra fuit, erat adhuc nudus illius musculi hiatus, magnitudine aureum Gallicum, quem *Louis d'or* vocant, referens. Ad hunc obtegendum accedentia integumenta duplicabantur in aggerem eadem ratione, sicuti videmus duplicari purpuream labiorum partem ad sibilandum corrugatam. Inter summas vero corrugatorum integumentorum plicas, apparebant duræ vulneris sanati crustae, caput maioris aciculæ aequantes, ita ut primo intuitu futuram ibi filo undique factam esse iurasses, qua exulceratorum integumentorum margines adductæ fuissent; naturali vero hac tensorum integumentorum futura id factum est, ut sinistri lateris thorax, in ante-

riori parte, dextro magis depressus, in laterali magis acutus et extrorsum pulsus, continuam infanti tussiculam moveret. De reliquo satis bene is se habuit, tandemque perfecte sanatum fuisse audivi, siquidem mater ex Nosocomio brevi discessit.

Casus hic magnam cum praecedenti affinitatem habet, et nemo erit, qui hic inflammationis causticae, quam diversis exemplis in egregio *de Gangræna* Tractatu Clariss. QVENAY confirmat, effectum non intelligat; sed quae causa fuit? an iam in adeo tenellis corporibus ex recenti & novo sanguine tanta malignitas possibilis? an ex communicato a parentibus miasmate venereo, aut potius praepostera infantum his in locis nutritione haec mala propullularunt?

(*Vienna Hâlam missæ d. 18. Decemb. 1755.*)

Observatio LXV.

DN. D. FRIDER. LVDOV. CHRISTIAN. CROPPII.

Hæmorrhagia uteri gravidi, a praeternaturali situ placentæ, parte quadam ab utero solutæ, orta, matri et proli funesta.

Quam misera sit mulierum, partim in urbibus, partim vero & praecipue ruri degentium, conditio, quae corpus suum, vitam & prolem imperitis saepe & imprudentibus ac non satis doctis obstetricibus committere coguntur, satis superque inter omnes ubique constat. Saepius enim adeo perverso & periculoso modo cum parturientibus miseris rem suam agunt, ut, nisi plurimi partus naturales facillime & sua sponte rite procederent, vix dimidia pars et matrum et prolium a partu superstes conservaretur. Summo igitur iure Medici, quorum

curæ

curæ ſanitas hominum a Deo concredita eſt, arti etiam obſtetriciæ operam ſuam iam diu navarunt, omnique modo eo allaborarunt, ut innumeras graviſſimasque ſaepe in ea occurrentes difficultates convenientibus modis & aptis hunc in finem excogitatis variis inſtrumentis feliciter tollerent, licet in eo deſideratum non ſemper aſſequi valeant ſcopum, unde tanto minus mirari licet, ſi obſtetrices, ſæpe ſatis rudes, aut ad minimum non ſufficienter inſtructæ, partim ex eiusmodi difficultatibus tanto minus eluctari poſſunt, partim autem temerario etiam modo in corporibus miſerarum eiusmodi parturientium fœminarum funeſta faciunt experimenta.

Optimo idcirco conſilio iamiam, iuxta votum Bohnii *f*) & Deventeri (*g*), ex mandato Regum, Principum & Magiſtratuum, in civitatibus præſertim maioribus, artis obſtetriciæ Magiſtri, iuramento & ſalario obſtricti, eumque maxime in finem conſtituti ſunt, ut obſtetrices non ſolum ex eorum ore artis ſuæ principia haurire, ſed et in caſibus gravioribus & periculoſioribus, auxilium illorum implorare queant, id quod tamen, prout triſtis loquitur experientia, frivole ſæpius negligunt aut ſpernunt, eoque ipſo ſupervenientibus variis tragicis anſam præbent caſibus, prout hoc, novo quaſi documento, ex ſequenti luculenter patebit exemplo.

Virgo quædam, temperamenti cholerico-ſanguinei, ſæpius varias menſium turbas, variaque exinde evenientia incommoda experta, anno ætatis ſuæ xxxmo matrimonium inivit cum ſartore, & biennio circiter elapſo gravida reddita, conſueto tempore filiolam vegetam ſanamque partu ſatis facili in lucem edit, quæ vero, lacte materno nutrita, decimo tertio menſe præmature iterum deceſſit ex febre ob dentitionem difficilem oborta, graviſſimisque ſpaſtico-convulſivis motibus ſtipata.

(*f*) de Officio Med. dupl. Part. II. Cap. III. p. 574.

(*g*) in Operat. Chirurg. novum lumen exhib. obſtetricant. p. 3.

Licet autem ab eo tempore parcior & irregularis, cum decoloratione, succesſerit menſtruus fluxus, altera tamen vice anno MDCCLIV. imprægnatur, iterumque filiolam per ſeptem priores menſes absque incommodo quodam notabili in utero gerit.

Ad finem autem properante hoc anno leve quoddam ſentit ſanguinis e genitalibus profluvium, ſæpius per intervalla recurrens, pluraque ſemper incommoda ſub ceſſatione, inprimis autem maximas præcordiales anxietates cum phlogoſibus, inferens, quam ſub recurſu & ſucceſſu ſuo. Varia equidem a variis, tam domeſtica, quam ab agyrtis & medicaſtris petita, interna æque ac externa, adhibita fuerunt remedia, ſed omnia incaſſum. Adpropinquante ergo tempore partus, Calendis Februarii MDCCLV. horis ſtatim matutinis magna ſanguinis grumoſi quantitas, cum vehementiſſimis doloribus & intercurrentibus animi deliquiis, e genitalibus prodit. In conſilium idcirco vocatus, & ab obſtetrice iam vetula ſatisque perita intelligens os uteri internum firmiter adhuc eſſe clauſum, venæſectionem in brachio inſtituere iuſſi et temperantia remedia interne aſſumenda præſcripſi, irrito tamen cum effectu. Licet enim excretio illa ſanguinea & grumoſa quadantenus remitteret, per intervalla tamen redibat, & ſpeciatim die IV. Februar. gravioribus ſtipata erat anxietatibus præcordialibus & veris doloribus ad partum tendentibus. Accerſita itaque denuo obſtetrix, prævia conſueta per tactum facta exploratione, audacter adſeveravit, partum plane adhuc impoſſibilem eſſe, quoniam uteri orificium arctiſſime adhuc clauſum deprehenderet, nulloque modo ab hac dimoveri potuit ſententia, licet a me, tunc abſente, per litteras, & ab adſtantibus aliis mulierculis contrarium ſuſtineretur. Fruſtra enim tangendo orificii uteri aperturam ſæpius indagavit, in errorem ſeducta a placenta uterina, quæ intra orificium matricis internum detruſa ibidemque coarctata erat. Inde ergo factum

eſt,

eſt, ut miſera gravida, viribus exhauſta & ſanguine orbata, hora undecima antemeridiana diei IV. Februar. vitam cum morte ſub graviſſimis commutaret doloribus, fœtu interim ultra dimidiam horam adhuc in vivis ſuperſtite & manifeſtos motus exſerente, qui idcirco ſectione tempeſtiva forſitan ſervari adhuc potuiſſet, ſi modo citius adeſſe potuiſſem. Percepto interim triſti hoc eventu, rem iſtam Prætori Civitatis huius denunciandam eſſe duxi, indeque factum eſt, ut raram anatomen fœminæ gravidæ & partui proximæ d. V. Februarii dicti anni inſtituendi, cauſamque præmaturæ & inopinatæ mortis indagandi nactus fuerim occaſionem, dum ex decreto Ampliſſimi noſtri ſenatus Collegæ meo amantiſſimo, Dn. D. *Bolten*, Phyſico civitatis primario, mihique id negotii committebatur, ſub cuius executione ſequentia a nobis notata fuerunt.

Corpus fœminæ gravidæ macilentum & tenue, nulla læſione externa notatum deprehendebatur; pudenda autem externa multo ſanguine grumoſo inquinata adparebant. Mammæ turgidæ poſt compreſſionem coloſtrum e papillis præbebant. Abdomen conſueto gravidarum more valde extenſum erat & elatum; integumenta autem communia, una cum muſculis, tenuia & fere exſanguia comparebant. Aperto abdomine viſcera omnia ſalva rite quidem ſe habebant, ſanguine autem privata & pallida erant, ne hepate quidem excepto, quod in aliis cadaveribus rutilo ſuo colore eminet, & ſtatim in conſpectum prodit. Vterus porro in abdomine extra pelvim prominebat cum fundo ſuo antrorſum, & ſic, inteſtinis ad ſuperiora propulſis, repræſentabat fere figuram cordis, cuius apex pelvim, baſis autem, ſeu fundus, pectus reſpiciebat. Diameter latitudinis uteri circa ilia decem pollices, a ſuperiori autem regione ad inferiorem usque, a fundo nempe uteri ad os pubis usque, octo pollices æquabat. Proinde etiam prorſus fere exſanguis & præter morem pallidus erat, craſſities

autem eiusdem quinque lineas referebat. Interdum quidem sub eius dissectione hic illic guttæ sanguineæ occurrebant, sed rarius & longe minori copia, quam in aliis gravidis (*b*). Aperto dein utero mira notabatur adhæsio tunicarum fœtum ambientium, utpote quæ glutine quasi cum matrice coniunctæ, & a meconio, liquori amnii mixto, colore subviridi transparente tinctæ conspiciebantur. Leniter itaque separatis tunicis a substantia uteri, & sacco earum dissecto, liquor amnii, a meconio tinctus, in forma pituitæ ex nigro viridis effluxit. Hoc facto fœtus maturus & sanus, fœminini generis, in conspectum prodibat, sed in præternaturali situ constitutus; dorso enim suo uteri orificio incumbebat, capite dextrorsum & pedibus sinistrorsum spectantibus. Circa brachium eius sinistrum funiculus umbilicalis semel contortus erat. Fœtu sic ex utero excepto & ad latus matris deposito, placenta uterina non fundo uteri, uti solet (*i*), affixa, sed præter morem parieti posteriori uteri interno & orificio eiusdem adnata visa est, sanguine fere omni suo destituta. Pars porro eiusdem inferior, antrorsum spectans, a matrice avulsa, orificio uteri incumbens, in illud cunei instar coarctata erat. Quum enim tunicas fœtus utero adglutinatas, & placentam leniter a matrice cultro separaremus, pars placentæ inferior uteri orificio ita infixa deprehensa fuit, ut tota illius forma in ea descripta & quasi expressa conspiceretur. Et sic causa mortis insolita & rarior magis apparebat. Orificio enim matricis per dolores partus aperto, placenta uteri avulsa, & ab inferiori huius parte soluta fuit. Quocirca vasa placentæ nudæ dilacerata sanguinem profuderunt ad extremum usque vitæ halitum, placenta autem a doloribus ex nixibus partus in orificium internum detrusa fuit, quod constrictione sua repetita formam suam parti placentæ molliori impressit. Quoniam enim placenta

(*b*) Roederer Elem. art. obstetric. §. 64. p. 27.
(*i*) Idem l. c. §. 51. 54. & 69. p. 21. 23. 31.

centa tota ab utero soluta erat, hinc orificium uteri internum non clausum, sed apertum offendimus ad tres & dimidium pollicem usque. Sic itaque obstetrix præsens turpis erroris convicta, facile eum agnovit, & se per placentam orificio uteri interno infixam seductam fuisse libere profitebatur. Non opus enim est, ut causam mortis miseræ matris & fœtus, post mortem illius adhuc se moventis, operose indagemus, dum hæmorrhagia uteri & placentæ utrisque absolute funesta fuit, cui per convenientem & debitam encheiresin, placentam nempe semovendo vel pertundendo, & fœtus pedes arripiendo eumque sic educendo (*k*), obstetrix improvida opem ferre debuisset.

Observatio LXVI.

DN. D. FRIDER. LVDOV. CHRISTIAN. CROPPII.

Miasma venereum per salivam & sudorem mire disseminatum & propagatum, feliciterque iterum sublatum.

Quamquam complures Medicorum, inprimis Iüngkenivs (*l*) aliique luem veneream seminium suum fœtidissimum nullo alio modo dispergere autument, quam per coitum impurum & contrectationem pudendorum infectorum veneream: summos tamen & in Praxi maxime exercitatos mecum habeo consentientes Medicos, qui frequenti satis superque edocti & persuasi sunt experientia, luem hanc, merito *scortatorum flagellum* dictam, in insontes etiam vario & miro modo transferri

(*k*) Vid. Roedereri Elem. art. obstetric. Cap. XX. p. 310. & Boessel *Grundlegung zur Hebammen-Kunst*, §. 490. p. 172.

(*l*) Chym. experiment. Part. II. Cap. 27. p. m. 741.

ferri posse. Sic enim contagium ab ægroto in sanum transmittitur sub generatione, ab infectis parentibus in prolem suam (*m*); sub lactatione, ab impura nutrice in infantem sanum, & ab infante infecto in nutricem sanam (*n*); per salivam, sub mammarum suctione & osculis (*o*); per compotationem cum infectis e communi poculo; per sudorem (*p*) in cubitu solo (*q*); per lintea, chirothecas, vestes & conversationem intimiorem, præcipue in infantibus (*r*); per obstetricem (*s*), variisque aliis modis. Iam vero de familia Vigilis cuiusdam huius urbis ea saltem referam, quæ autumnali tempore anni MDCCLIII. dum auxilium meum ab illa implorabatur, observare mihi licuit. Hic vir egenus quidem, sed probus, VI. liberorum parens est, quorum V. fœdissimo hoc morbo laborarunt, & quidem IV. minores a sorore sua natu

(*m*) Ioann. Astruc in Libro suo eleganti de Lue venerea p. m. 96. & Boerhaave Aphor. §. 1441.

(*n*) Astruc l. c. p. 99. Boerhaave in Prælect. Acad. de Lue venerea Edit. Franeq. 1751. p. m. 6.

(*o*) Astruc l. c. p. 99. *Georg.* Baglivii Oper. p. m. 98. Boerhaave l. l. c. c. Hoffmann Med. rat. syst. Tom. IV. Part. V. p. 151. Dan. Turner Siphyl. p. m. 71.

(*p*) Illustr. G. G. Richter, Præceptor meus æternum colendus, in Commentario suo doctissimo Mscto in Aphor. summi Boerhaavii §. 1441. p. m. 1318. notabile exemplum Venetorum affert, quod nimirum in publicorum Nosocomiorum æstuariis, per fornacem calefactis, vapor tam virulentus sit, ut saniissimi per horulam ibi commorantes, os pustulis plenum ex illo loco reportent.

(*q*) Astruc l. c. p. m. 100. Baglivius l. c. & Illustr. G. G. Richter l. c.

(*r*) G. W. Wedelii Exercit. Semiot. patholog. p. 213. & Hoffmannus l. c. p. 151.

(*s*) Astruc l. c. p. 100. it. *Salent. Ern. Eugen.* Cohausen in Act. Nat. Curios. Vol. VII. p. 251. & *Ioann. Herm.* Fürstenau in iisdem Actis Vol. IX. p. 372.

natu maiore per contagium infecti fuerunt. Hæc enim tunc temporis annorum XXIII. in servitio suo luem veneream sibi conscivit modo quodam mihi prorsus incognito; si autem fides ipsi habenda est, virus hoc concepit mammam sugendo heræ suæ, quæ antea a fœmina infecta lac sibi e mammis suctu detrahi & evocari curavit, sicque sibi ipsi & infanti insonti fœdissimam illam luem conciliavit. Interim misera illa serva morbo hocce diro mense Sept. MDCCLIII. infestatur, ignara qualis ille & quomodo ortus sit, primumque eius vestigium in illa parte sentit, quæ primo contagium suscepit, in ore nempe & faucibus, per tumores & pustulas ulcerosas, quæ sensim ulterius semper serpunt, & sanguinis massam ita inquinant, ut brevi post diros, per integram hyemem fere durantes, capitis & mediorum artuum dolores nocturnos, cum variis ulceribus malignis faucium, pudendorum & circa anum experta fuerit, ad quæ incommoda gravissima abigenda inopes parentes, impurissimi huius morbi inscii, varia quidem, ast irrito plane cum successu, adhibent, nec a morbo hoc fœdissimo reliquos liberos immunes servant. Factum enim inde est, ut filia hæc natu maior, parentes invisens, cum sorore sua annor. XV. in eodem lecto semel cubuerit & frequentibus osculis eam complectens, pernicioſissimam luem, in hanc, & hoc modo in reliquas sorores & fratrem insontem quasi transplantaverit.

Dum itaque pro scorbuto & sanguinis impuritate & corruptione parentes morbum liberorum suorum habent, variaque ulterius, licet pariter incassum, adhibent remedia, binæ interim hæ filiæ impurum morbum propagant in fratrem natu minorem, annorum V., qui inprimis blandiendo & osculando, non solum aliorum hominum, sed inprimis etiam sororum suarum animum sibi conciliavit, simul vero hac ipsa ratione virus gravis huius & exsecrabilis morbi in se ipsum transtulit, dum labiis ori infectarum sororum adplicatis contagium hausit.

Hinc pariter in ea parte, quam peſſimum illud miaſma primo occupavit, prima etiam morbi initia ſeſe manifeſtarunt (*t*). Ab initio enim de tumoribus & gravi exulceratione oris externa, & poſtea de interna cancroſa inflammatione faucium & genitalium, cum variis excreſcentiis circa anum, conquerebatur. Poſtquam dein verno tempore anni MDCCLIV. filia natu maxima e famulitio ſuo domum reverſa, & omnis a miſeris parentibus adhibita medela fruſtranea fuit, ſuſpicio tandem de maligno iſto morbo exinde oritur, & idcirco Chirurgus in auxilium vocatur, e cuius ore certiores tandem redduntur de fœda & impuriſſima liberorum ſuorum lue, hocque facto, dum omni ope deſtituti ſunt, auxilium implorant Patronorum & Antiſtitum Noſocomii publici, quod maiores noſtri religioſi in gratiam lue venerea laborantium variis ſtipendiis in hac civitate fundarunt, & quod vulgo *das Pocken-Haus* dicitur, ubi inopes gratis, alii autem pro levi ſoſtro a peſſimo hoc morbo reſtituendi, recipiuntur. Optimi hi viri, Antiſtites & Proviſores, inopia parentum & miſeria ægrorum ducti, tres hos ægrotos curæ Chirurgi, qui his morbis curandis in Noſocomio illo præeſt, tradiderunt, & ſic binæ filiæ natu maiores ope mercurii interne exhibiti, indeque excitatæ ſalivationis, a malo iſto liberati ſunt, quod vero in filiolo, ob deficientem exſpuitionem, non penitus eradicatum erat, unde brevi poſt e Noſocomio domum rediens, ob novam obortam inflammationem faucium & genitalium, & ob verrucas & condylomata circa anum prodeuntia, iterata vice curationem priſtinam mercurialem ſuſtinere debuit, quam ipſe ego debite adornatam optimo cum ſucceſſu abſolvi. Durante autem hoc tempore miſeri parentes de filioli ſui morbo non perfecte ſublato dubii, & Chirurgi vel ſcientiæ, vel dexteritati, licet immerito, diffidentes, multo cum ploratu ingentem ſuam mihi expoſuerunt calamitatem, auxiliumque meum anxie im-

(*t*) Vid. Boerhaavii Aphor. §. 1442. p. m. 361.

implorarunt. Aliud enim ex alio iam malum illis impendit, & virus hoc malignum latius paullatim serpens, in binis reliquis filiabus innocentibus, quarum una annorum VIII. altera vero unius & dimidii anni erat, per varia sese prodidit ulcera faucium, pudendorum, itemque per ficus circa anum & pudenda, & per dolores capitis & artuum nocturnos. Lacrymis itaque parentum, ac innocentium infantum miseriis commotus, opem quoque his ferre annisus sum. Digni enim non tantum commiseratione, sed validiore etiam medico præsidio ii sunt, qui citra suam culpam in nefandum hunc morbum innocenter incidunt. Hinc, præmissa corporum præparatione, mercurium dulcem cum decocto lignorum, debito modo & sub accurata diæta, tribus his ægrotis felici cum effectu præbui, siquidem remedium hoc absque salivatione (*u*), per alvum inprimis, itemque sudorem (*x*) & diuresin (*y*), diri huius morbi fomitem ita sustulit, ut nunc omnes athletice valeant. Ceterum mirandum omnino est, quod unicus ex omnibus his superstes filius, annorum VII. truculentum hunc effugerit morbum, & adhuc ab eodem immunis sit, licet fratri suo annorum V. accubuerit, & in eodem lecto, non ita diu quidem, cum eo dormiverit; simulac enim morbus parentibus innotuit, statim infantes, quantum fieri potuit, separarunt. Vel enim miasma adhuc in corpore delitescit, de quo tamen dubito, vel temperamentum huius pueri melancholicum & tardum illud non ita cito suscepit, inprimis cum postea præservationis gratia eidem laxationes mercuriales exhibuerim.

(*u*) Eiusmodi exemplum exhibet Fickivs in Act. Nat. Cur. Vol. V. p. 66.

(*x*) Conf. Illustr. Elleri *Medicinische und chirurgische Anmerkungen*, p. m. 236. & sqq.

(*y*) Huius salutarem effectum exponit Celeberr. Schlichtingivs in Act. Nat. Cur. Vol. VIII. p. 25.

Pro ratione enim constitutionis corporis miasmati excipiendo unum subiectum præ altero magis minusque, iuxta SYDENHAMII observationem (z), est idoneum. Facile ergo patet, virus venereum varie a corpore excipi & in corpus agere, in unum citius, in aliud tardius, ac in alio nullam demum vim exserere (a), nec solo coitu impuro, vel contactu pudendorum venereo, nec generatione solum & lactatione, vel consortio in eodem lecto, sed saliva etiam & sudore per oscula, consuetudinem, & ludum puerilem in corpus occulte deferri, longe lateque dispergi, & insontibus subiectis, præsertim infantibus, communicari, quod pluribus confirmari posset exemplis, si per temporis & loci angustiam liceret.

(*Hamburgo Halam missæ, d. 12. Februar. 1756.*)

Observatio LXVII.

DN. D. IOANNIS FRIDERICI WEISMANNI. Sen.

De

Specifico quodam antepileptico.

Quandoquidem aliud hominum genus vitam sectatur placidam atque tranquillam, aliud vero turbulentam bellicosamque; aliud litterarum se addicit studiis, aliud vero mercaturis faciendis aliisque officiis honeste rem quærit. Vt adeo verum illud sit, quam quod verissimum, VIRGILII effatum, dicentis:

Trahit sua quemque voluptas.

Ego

(z) Epistol. Respons. II. ad *Henr.* PAMAN, p. m. 86.

(a) Confirmat hoc experientia edoctus Celeberr. KNIPHOFIVS, in Act. Nat. Cur. Vol. V. p. 76.

Ego vero a teneris, quod aiunt, unguiculis omnes cogitationes curasque diligentiſſime contuli ad ſtudium medicum, & ſingulariter ad eam huius doctrinæ partem, quæ in chemicis verſatur; cuius multiplex variaque amœnitas animum meum magis, quam credi poteſt, delectavit. Hoc conſilio in parentis mei officina Neoſtadienſi incubui primo pharmaciæ, poſtea vero, ex Gymnaſio Rotenburgenſi ad Muſas Altorfinas ſtudiorum cauſa digreſſus, ibidem in laboratorio chemico, ſub auſpiciis Excellentiſſimi Domini Doctoris *Iohannis Mauritii* HOFFMANNI, Profeſſoris Medicinæ, & Archiatri Onoldini celeberrimi, per triennium, & quod excurrit, omnes labores chemicos diligentiſſime exantlavi. Hinc vero ad Salanas Muſas concedens, & in hoſpitio Excellentiſſimi Medici, *Iohannis Hadriani* SLEVOGTII, exoptatiſſimam hoc excolendi ſtudium occaſionem nactus, omnes huius generis labores, duplici prælectionum academicarum curſu, quem dicunt, propoſitos, maximo cum ardore peregi. Denique vero Lugduni Batavorum in Laboratorio chemico ſtrenue operantem vidi Excellentiſſimum D. *Iacobum le* MORT, Profeſſorem Chemiæ indefeſſum celeberrimumque, ex cuius lectionibus ſelectis maximum percepi uſum. Hinc tandem lenam redux, ſtudium medicum abſolvi, ſimulque ex illo tempore, quam ex chemicis ſemel conceperam laboribus, nunquam depoſui delectationem.

Inter hæc quum in ſcriptorum chemicorum lectione aſſidue verſarer, forte fortuna incidi in librum, qui inſcribitur: *Specimen Laboratorii chemici Andreæ* STISSERI, in Academia Iulia Profeſſoris Chemiæ celeberrimi; qui multis elogiis aliquod extulit medicamentum, ex Venere parandum & in morbo epileptico aliisque ſoporoſis affectibus adprime fructuoſum. Cuius remedii parandi modum clariſſimus hic auctor pæne totum deſcribit, illud ſolum, quod hanc præparationem ingreditur, & præcipitando, ut Chemici loquuntur, eandem

absolvit, silentio prætermittens. Quod cuius generis sit menstruum præcipitans, & multos irrito conatu consului Chemicos, & multiplicium experimentorum spe fructuque excidi. Tandem vero quum eodem consilio forte fortuna *Offæ Helmontianæ*, ex commixtione salis ammoniaci & spiritus vini rectificatissimi parandæ, confectionem hilari animo susciperem, eandem quoque felici absolvi successu. Antequam vero totum, quem dicunt, processum describam, ipsa verba clarissimi STISSERI ex *Laboratorii Chemici Specimine secundo*, apponam. *Dubius hinc*, dicit p. 5. Auctor, *factus sum, utrum liquor coeruleus in crystallos similis coloris cogi posset, & certe eiusmodi lapillorum vitriolaceorum egregii coloris parandorum spem abieci, donec post longam dierum seriem, nescio quo casu, tincturæ huic aut liquori demum parato, liquorem quendam nec acido-corrosivum, nec alcalicum lixiviosum affunderem; cuius miscela totus liquor turbidus primo, mox tamen colore cœruleo longe intensiori cernebatur, subsidentibus paulo post ad fundum vitri, in quo continebantur ambo mixti liquores, particulis quibusdam splendentibus salinis, saturate coerulei & violacei coloris: has quum chartæ bibulæ imponerem, cum stupore crystalli minores innumeræ micantes & incredibili amœnitate visum delectantes, apparuerunt, quibus elegantius hactenus ex vitriolo nihil vidi. Servo eas in vitro exacte clauso, quum aëris accessu earum structuras nonnihil lædi observarem. His autem crystallis postmodum in epilepsia, vertigine, capitis doloribus chronicis, ictero, mensium obstructionibus, gonorrhœa, fluore mulierum albo, felicissimo cum successu usus sum, & obtinui donum, pro quo Deo omnipotenti immortales debeo gratias.*

Ne vero te diutius detineam, lector benevole, en! communicabo tecum iam totam præparandi huius medicamenti methodum, quam sæpenumero in hoc ipso labore chemico magna cum animi hilaritate felicique successu secutus sum.

Reci-

Recipe nimirum Vitrioli Cyprini, quantum placet, ſolve in aqua pluviali, ex toto ſolutum poſtea filtra per chartam bibulam; huic liquori filtrato & puro infunde primo ſpiritum ſalis ammoniaci aquoſum concentratum, cum ſale tartari factum, ad punctum ſaturationis. Temporis momento fit ebullitio, & color cyaneus elegantiſſimus in vitro apparet; relictis his parumper in quiete tandem affunde ſpiritum vini rectificatiſſimum, ſeu alcohol vini, quantum ſatis eſt, & videbis liquorem turbidum & ferme obſcurum, e quo poſtea præcipitantur cryſtalli elegantiſſimo colore ſuperbientes, quas ſeparabis omnium optime mediante charta bibula. Sic in filtro remanent cryſtalli elegantes, oculis animoque gratiſſimæ, quæ exſiccari & in vitro bene obturato conſervari debent; quoniam ab aëris acceſſu color ſapphirinus in viridem mutatur.

Vt vero intelligas, benevole lector, quam proficuus huius remedii antepileptici fuerit uſus, ecce! duas epiſtolas, luculentiſſime hæc confirmantes, ab Excellentiſſimo Dn. D. WINTERO, Medico Stutgardienſi, Onoldum ad Socerum meum. D. HEROLDVM, Conſiliarium Baruthinum, iam pridem transmiſſas; in quarum altera prælaudatus vir clariſſimus: *Specificum*, inquit, *antepilepticum dedi puero gravissimis insultibus epilepticis laboranti, & quidem ad grana quatuor, quod aliquos vomitus excitavit, ægrotusque multum materiæ peccantis eiaculavit; ab illo vero tempore ſanus & vegetus vivit, nihilque de insultibus epilepticis ſentit.* In altera vero epiſtola: *Adulto*, ſcribit, *epileptico, ætatis triginta quinque annorum, dedi novem grana ſpecifici epileptici, aſt nullum vomitum habuit, ſed tantummodo aliquoties operationem per alvum paſſus eſt. ab illo vero tempore æger ſanus & incolumis vivit. Militem, qui per multos annos insultibus epilepticis laboravit, unica doſi, ad grana quinque adhibita, a gravissimo morbo liberavi.*

(*Erlanga Norimbergam miſſa d. 9. April. 1756.*)

Obſer-

Obſervatio LXVIII.

DN. LIC. CHRISTIAN. FRIDER. IOERDENS.

De

Morbis nervinis eorumque remediis.

Cognitas ex Anatomia quidem habemus omnes humani corporis partes, ſed ratione intimioris earum ſtructuræ non omnes ſatis inveſtigatæ ſunt. Has inter præcipue numerandum eſt cerebrum, mole magnum & ex ſubſtantia valculoſa, ſubtiliſſimis tubulis tortuoſo ordine compoſitis, conflatum. Ipſa hæc eius tenerrima & mollis textura impedimento eſt, quo minus indagatio exquiſitior & perluſtratio ſufficiens in eo locum habere poſſit, quamvis celeberrimi Anatomici maximam in eius diſquiſitione diligentiam adhibuerint. Facta artificioſa & apta diſſectione diverſas & colore diſtinctas ſubſtantias conſpicimus, quæ, quod etiam diverſis uſibus deſtinatæ ſint, produnt, ſed quale præſertim cuilibet officium competat, de eo præter varias coniecturas, nil certi nobis conſtat. Diverſas equidem cavitates, & protuberantia in his corpuſcula obſervamus, forma & magnitudine differentia, ſeroſumque humorem vehentia, ac inde coniicimus, quod in cerebro ſeparatio huius humiditatis contingat; unde autem illa præciſe affluat, & quo tendat, ſicque circulum ſuum perficiat, & quibus uſibus deſtinata ſit, demonſtrare minime valemus. Certi ſumus & experimentis quibusdam ſatis evidenter demonſtrare poſſumus, quod nervi, qui a cerebro & cerebello eiusque continuatione, medulla oblongata, ortum ducunt, & ad omnes corporis partes progrediuntur, ſint ſenſus & motus inſtrumenta, & quod in his, utpote canalibus perviis, vehatur liquor ſubtiliſſimus ſummeque mobilis & elaſticus; ſed demonſtrare

ſtrare non poſſumus, utrum humiditas, quae in neruis occurrit, ſit ille ipſe liquor, qui motus tam repentinos in corpore noſtro præſtat, aut, an haec potius vehiculum tantum ſit ſubſtantiae cuiusdam longe ſubtilioris & ſpirituoſioris, quae, a ſanguine in cerebro & cerebello ſecreta, nervorum canales permeat? Interim omni dubio caret, quod, quo ſubtiliores & mobiliores ſunt huius liquidi partes, eo facilius quodlibet etiam ſumme exiguum heterogeneum, in canalibus cerebri aut nervorum præſens, & vel interius obſtructionem minitans, vel exterius irritans aut comprimens, motum liquidi nervei vel imminuere, aut ſiſtere uel accelerare, et eo uſque augere poſſit, ut vel totum corpus, uel partes eius in inordinatas & efferatas actiones rapiantur, & mentis facultates vel deprimant, vel nimium excitent, vel perturbent & ita pervertant, ut tali modo afflicti ſana ratione uti non valeant, prout hoc in affectibus apoplecticis, paralyticis, deliriis melancholicis, maniacis, in epilepſia, motibusque convulſivis & ſpasmodicis, ſatis ſuperque adparet. Ex his etiam liquet, quam difficulter nervorum morbi medelam admittant & quam arduum ſit negotium, eiusmodi aegros in integrum ſanitatis priſtinæ ſtatum reſtituere. Meo quidem iudicio hic remedia maxime activa, volatilibus particulis prædita, & ad ſubtilitatem ſpirituoſam fluidi nervei accedentia, requiruntur, quae uel ex primis viis facile cum chylo ad ſanguinis maſſam, & ſic ad cerebrum & nervos tranſeunt, vel inſtar auræ, uti ad reliquas corporis partes, ita ad cerebrum & nervos tranſire, & heterogenea aut corrigere, aut ſolvere & diſcutere valent. Manet quidem etiam fixioribus nervinis ſua laus, inprimis, ſi materia peccans, nervos & cerebrum afficiens, in primis viis hæreat, & obſtructiones vaſorum hypochondriacorum & viſcerum abdominis ſimul concurrant, ad quas tollendas cum fructu adhiberi, & ad curationem facilitandam præmitti poſſunt, & potiſſimum tunc, ſi imminens non nimium urget periculum.

culum. Si vero morbus nervinus acceleratam exigit medelam, utique supra dictis activioribus, spirituosis & nervinis, e. g. salibus volatilibus, C. C. viperarum, salis ammoniaci, spiritu C. C., eboris, salis ammoniaci, liqu. miner. anod., liqu. Corn. cerv. succin., oleo rectificato C. C., camphora, oleo Caieput, &c. statim initium curationis faciendum est.

Confirmavit haec meam sententiam experientia, & nullus dubito, quin & alii Medici practici mecum horum nervinorum effectum felicem in eiusmodi affectibus deprehenderint. Salutaris etiam fuit illorum usus in morbo illo spasmodico vago, quem Germani *die Kriebel-Kranckheit* appellant, forsan a vellicante & formicante sensatione, de qua ægri interdum ante morbi invasionem hinc inde in artubus conqueruntur. Raro quidem ipsum hunc morbum in Praxi mea, quam per XL. annos sub divina benedictione, felicem satis exercui, videre licuit; anno vero MDCCLI. quinque ægri, eodem illo afflicti, curæ meæ concrediti fuerunt, quumque nuperrime, elapsis vix aliquot septimanis, iterum pro ægra, tali nervino malo laborante, consilium meum desideratum fuerit, hoc priores casus in mentem mihi reuocauit simulque stimulum admovit, ut notatam morbi historiam hac occasione communicarem.

Corripuit hic morbus spasmodicus homines tam puerilis, quam virilis ætatis, cum, vel sine prægressis animi motibus gravioribus, terrore, iracundia, &c. Incipiebat semper cum spasmis, qui aut hoc, aut illud membrum occupabant, e. g. manus, brachia, pedes, oculum, os, linguam, &c. eaque vel involuntarie movebant, vel nimium extendebant, vel contrahebant, aut plura simul membra, aut corpus totum infestabant. Quandoque ægroti, in gaudium rapti, vociferati sunt, cantarunt, saltarunt, gesticulati sunt, hominum & brutorum voces imitarunt, quadrupedum instar manibus & pedibus ingressi sunt, saltus super mensas, scamna & sellas fecerunt, in

gyrum

gyrum volutati sunt (*haben sich über den Kopf gestürzt*) plus quam centies, corpusque in circulum multoties egerunt; quandoque benignos & placidos se exhibuerunt; quandoque in lacrymas soluti & summa tristitia afflicti fuerunt; interdum in delirium rapti & variis phantasticis imaginationibus detenti sunt; quandoque maniaci apparuerunt, alios verberarunt, & adeo vehementer ira commoti sunt, ut ad eos compescendos vix plurium virorum robur sufficerit; ante paroxysmum, itemque eo durante & declinante, unus alterve anxietates præcordiales, palpitationes cordis, cardialgiam, insultus suffocatorios, lipothymiam expertus est; cessante paroxysmo ægri plerumque maxima debilitate correpti, nec manibus, nec pedibus libere uti posse videbantur, & sic lassi iacuerunt, donec vires denuo redirent, & tunc usque ad novi paroxysmi recursum, qui nullum certum tempus observabat, sibi constantes manebant, talesque se gerebant, quales ante morbum fuerunt. Non vero in omnibus hoc morbo afflictis ægris adeo gravia observata sunt symptomata. Fuerunt, quorum paroxysmi in unius, aut alterius, aut plurium membrorum spasmis tantum consistebant, illæsa phantasia, qui etiam curationem facilius admiserunt. Observavi aliquando, quod puella IX. annorum, quæ aliam sibi ætate parem visitatum venit, & hanc in paroxysmo conspexit, eo ipso malo & iisdem symptomatibus correpta fuerit. In his ægris omnibus, sive levius, sive vehementius hoc malo afflictis, expertus asseverare possum, curationem omnem potissimum me supra dictis nervinis activioribus & spirituosis absolvisse, utpote quæ nervos penetrare & peregrina in eis detenta solvere, dissipare, aut apta reddere valent, ut, auctis intensioribus corporis motibus, per excretoria ordinaria tandem eliminari queant. Non defuerunt quidem, qui, litteris consulti a parentibus sub malo pertinaciori, responderunt, a volatilibus prorsus abstinendum, & eorum in locum, ad acrimoniam nervos irritantem involvendam, substituenda esse mucilaginosa, oleosa, inviscantia; alii anthelmintica commenda-

runt, quia causam mali vermibus intestina vellicantibus & arrodentibus tribuerunt; sed his me movere non passus sum, & firmiter inhærens prædictæ methodo, Deo benedicente, modo enarratis remediis scopum desideratum feliciter obtinui.

(*Curia Variscorum Halam missa d. 26. Februar. 1756.*)

Observatio LXIX.

DN. D. IOANN. BERNHARDI de FISCHER.

De

Pelecano.

Quicunque falsa illa, quæ in historiam naturalem irrepserunt, emendare & resarcire tentant, tantum illi lucis affundunt, quantum tenebrarum errores ipsi dederunt. Quod itaque de *Karakatiza* in Vol. IX. horum Actorum præstiti, id nunc de *Pelecano* conabor.

Inveni nuper in Volum. V. Actorum huius Academiæ p. 251. Observationem Frischii, historiæ naturalis non gregarii amplificatoris, in qua descriptionem avis, lato rostro instructæ, in agro Berolinensi repertæ, exhibet, quem *Pelecanum* nuncupat, nominis originem a πελεκάω, *seco*, & πέλεκυς, *securis*, recte quidem deducens, sed pro mea opinione, incompetenter, addit, hanc avem appellari Anglis *Schofler*, a germanico *Schauffel*, quod spatham significat, cum qua rostrum eius aliquam habet similitudinem; Germanos autem aves has vocare *Löffler*, sive *Löffel-Gans*, ob similitudinem rostri cum cochleari: rectius autem putat Autor, avem hanc, quam describit, esse nuncupandam *Löffel-Reiher*, i. e. ardea rostro cochleato, inprimis quia tota eius structura ardeam refert. Interim nomini Pelecani inhærens Frischivs, rostrum secu-

ſecuri æquiparat, qua cum fabri lignarii aliquid transverſim incidere & ſecare ſolent. Quia autem illius figura maiori, vel ſimili iure cochleari & ſpathæ competit, quo ſecuri adſimilatur, inſuperque etiam nomen Pelecani aliis quoque avibus, tali roſtro non inſtructis, ab Ornithologis impoſitum eſt; hinc ipſum illud nomen præ aliis avibus huic inprimis, quæ & *Onocrotalos* vocatur, vi fabulæ competere iudico. Notat laudatus FRISCHIVS l. c. inter alia ibi prolata monita, hanc, quam deſcripſit, avem, in Magnatum & Principum aulis aſſervari, e. g. Petroburgi. Recordabar, hæc legens, protinus vivarii Imperialis Petropolitani, & errorem hic latitare facile deprehendebam: evolvebam ſimul mox in ſubſidium WILLVGBEII *Ornithologiam*, & in illa non ſolum etiam erroneam cum *Platea* & *Pelecano* ſynonymicam denominationem inveni, ſed etiam, quod duo Pelecani, quos & recte, addito nomine *Onocrotali*, determinat, ſuo tempore, ab Imperatore Moſcovitico Regi Angliæ fuerint dono miſſi, & quod maxime mihi arriſit, figuram addit, vero Pelecano, qualis & Petropoli, meo tempore, alebatur, iuſte competentem. Ad anſerinum enim genus eſt referenda avis, Pelecanus, Onocrotalus. Cygnum corpore ſuperat, non vero altitudine, nec collum habet adeo arcuatum, roſtrum autem longum, in extremitate acutum & uncinatum, & ſub illo ſaccum plicatilem, ingluviem nempe, quæ magnam quantitatem piſcium, quibus veſcitur, capit; hinc eſt, quod WILLVGBEY l. c. recte aſſerit, gulæ initium viri caput abſcondere poſſe; cum autem hæc gula verſus pectus maioris adhuc ſit capacitatis, hinc ſacci huius amplitudinem exinde facile diiudicare licet: coloris eſt gryſei, fere aſinini, maxime circa caput, & cum frondem habeat præter avium modum elevatam, ſimulque cum roſtro interdum crepitet, ceu aliæ aves longo roſtro inſtructæ, ideo *aſini crepitantis*, ſeu *Onocrotali* nomine Græci eundem ſaluta-

runt. Ruſſis audit *Baba*, i. e. *vetula*, ob imaginariam collectionem linearum ſeu rugarum frontis quaſi ſenilis.

Avis haec incola eſt Ponti Euxini, & fluminum in illum decurrentium, lacuumque vicinorum; forſan etiam maris Caſpii; hinc Ruſſorum Imperator perquam facile ex ditione ſua eiusmodi aves Regi Angliæ dono mittere potuit: ad Danubium etiam in Bavaria, Pelecanos ſeu Onocrotalos enecatos olim fuiſſe, WILLVGBEY refert. Accolæ dictarum illarum undarum aſſerunt, Pelecanos gregatim piſcatum ire, ſuperficiem lacus commodi ſemicirculo natatu occupando, & tunc piſces, undas magnis ſuis alis pulſando, in angulum cogere, quo facto facili negotio ſaccos ſuos piſcibus replent, pro penu ad certum tempus ſufficiente. Non recordor amplius quantitatis piſcium, quæ Pelecano quotidie porrigebatur. Cur autem Pelecani nomen gerat Onocrotalus, ex fabula petendum eſt; ſecuris enim figuram roſtrum revera non habet; carpere potius & pertundere cum illo valet, quam ſecare & findere, prout multæ aves cum roſtro ſuo acuto id præſtare poſſunt. Antiquitas illum pectus ſuum findere, pro nutriendis pullis, temere finxit: anſam vero pro formanda hac fabula ex eo deſumtam eſſe firmiter credo, quoniam hæc avis roſtrum ſuum acutum plerumque pectori contiguum tenet, cumque viderint quidam vel finxerint, pullos ex matris roſtro, pectori contiguo, cibum capere, inde ex vulnerato eius pectore cibum illos obtinuiſſe ſibi aliisque perſuaſerunt, & idcirco *Pelecanum* illam nominarunt. Mitto ſimul ex WILLVGBEII Ornithologia deſumtam Pelecani delineationem, ſi forte eandem uberioris illuſtrationis gratia huic deſcriptioni addere placuerit (vid. *Tab. V. Fig. 1.*): quantum autem adhuc recordor, roſtri apicem ſemper pectori propius admotum tenet Pelecanus, quam quidem in hac figura deprehendi.

Abſoluta iam erat hæc obſervatio, cum inquirere in Ephemeridum noſtrarum priores annos adhuc ſtatuerem: evol-

evolvi itaque in hunc finem *Indicem* olim editum, *Wurfbainianum*, & ecce! inveni loco debito, ad complendum Indicem (quia tantum duabus primis Decuriis repertorii loco est,) a me adscripta verba: *Pelicani vera descriptio, Dec. III. Ann. IV. Observ. 119.* Revolvi itaque avidus locum citatum, & a celeberrimo VOLCAMERO datam de hac ave descriptionem inveni, dubius an lectorem eo relegem, vel observationis potiora hic repetam. Iudicavi autem optimum fore, verba observationis hic repetere, quia forsan in omnium manibus non sunt priores Ephemerides, & vero perquam simile est, laudatum FRISCHIVM illis caruisse, alioquin sine dubio eius mentionem fecisset. Continetur autem sequentibus, l. c. pag. 247. *Anno 1690. contigit mihi Lugduni Batav. degenti, nundinis Lugdunensibus, Pelicanum, (ut Nutritor referebat 50. annorum) videre, aquila multo maiorem & robustiorem, figura & colore simillimum, nisi quod a capite ad alas usque ex senectute canescebat, reliquis partibus naturali colore gaudentibus. Hic præ cæteris volucribus maxime longævus, & aquilæ instar reiuvenescens, 100. aliquando, ut referunt, annos superans, singulare, quod curiosissimum, & notatu dignum, præ aliis habet, quodque de nullo alio volucrum genere unquam observatum legi, est, quod spatium inter duas claviculas non continuum, & cute obductum, sed potius contiguum sit, magnumque satis efficiens foramen, orificium præbens ductui seu potius pseudo œsophago, inde immediate & recta via in ventriculum tendenti, tam amplo, ut commode manum meam immittere, alimentaque in ventriculo semidigesta & calidissima, manus fere exurentia, palpare & explorare potuerim. Via hæc est, per quam pulli nutrimentum suum capiunt: Pelicanus enim proprio rostro, dicto foramini immisso, cibum iam præparatum, vixque alias a pullis digerendum, tanquam ex promptuario extrahit, eoque pullos reficit & nutrit. Hinc forsan subor-*

ta

orta fabula, Pelicanum rostro pertundere pectus, eoque vulnerato sanguineque effluente nutrire pullos. Avis hæc optimus est œconomus, parcissimo contentus victu; toto enim hebdomadali spatio frustulo radicis arboris oleæ, latitudine digitali vix duplo longiore contentus vivit, nullo alio utens alimento, quam dictis radicibus. Animalis autem hæcce œconomia rationi perquam est consentanea; calor enim & acrimonia lymphæ gastricæ, utpote rodentis qualitatis, facile ventriculo, reliquisque partibus nociva esset, ni acrimonia hæcce a corpore quodam duro temperaretur, spiculaque salina infringerentur, ut inde laudabile, individuoque conveniens nutrimentum elaborari queat.

Positiva hæc assertio viri celebris, fabulam apertissime quasi detegens, & πελεκᾶν, *sectam avem*, digito fere monstrans, me commovit, ut olim, absque sufficiente pensitatione, eidem assensum meum præbuerim, idque ita Indici inseruerim. Nunc autem meliora edoctus, illusum fuisse bonum VOLCAMERVM, & plures sine dubio, a circumforaneo, mediante factitio quodam pseudo-œsophago, firmiter credo. Qualis enim in ipsum ventriculum via! quantus ventriculus avis, manus insertionem admittens! quale ex frustulo radicis per septimanam alimentum! Suboleo quidem ex *Commentariis Academ. Scient. Parisienſ. Ann. 1693. & 1713.* artificium, quo mediante hic pseudo-oesophagus fuerit fabricatus: demonstratur enim ibi, Pelecanum sub plumis circumdatum esse membrana, per innumeras cellulas dilatabili, qua opitulante volucris hæc, pondus viginti librarum communiter superans, devorata magna quantitate piscium longe ponderosior reddita, admisso per totam membranam aëre, specifice levior inde facta, in altum evolare possit. Facili enim negotio impostor ille dolosus membranam hanc incidere, illamque pro lubitu excavatam certis horis materia quadam calida, naturalem avis calorem non nimium exsuperante, replere potuit.

Re-

Remanet nihilominus magna falſi ſuſpicio, quia hic Lugdunenſis aquilariæ fuit figuræ, cum verus Pelecanus anſerini ſit generis.

Quoniam de reliquo Pelecanus, cuius figuram dedi, cicurari facile poteſt, merito hinc optandum eſſet, ut aptis vivariis Principum mares & femellæ ſimul alerentur, quo ex illorum ovis pulli aliquando producerentur, totam hiſtoriam fabuloſam definitive decidentes. Notum enim eſt quam quod notiſſimum, anſerini generis aves pullos ſuos non ex roſtro cibare, ſed illos ad convenientia deducere loca, ut ipſi ſibi ordinariam ſuam quærant eſcam.

(*Riga Halam miſſa d. 12. April. 1756.*)

Obſervatio LXX.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Singularis & præternaturalis inteſtini coli conformatio, una cum liene ingentis magnitudinis & ponderis, cauſa tumoris abdominis, graviditatem per novem menſes mentientis, poſt mortem ſectione cadaveris detecta.

Femina ruſtica, triginta quinque annos nata, ſtatura corporis elatiori, habitu carnoſo & temperamento gaudens ſanguineo-cholerico, quæ tres iamiam liberos felici partu edidit, febri per aliquot menſes laboravit tertiana intermittente, quam ut profligaret, inconcinnis remediis variis, & circumforanei tandem cuiusdam uſa eſt auxilio. Hic methodo minus curatiori atque legitima brevi temporis ſpatio illam ſuppreſſit, a quo tempore fluxus menſium, alias ſemper, imo durante febre legitime fluens, ſubſtitit, quod autem neuti-

quam pro signo adversæ valetudinis, suppressione febris contractæ, habuit, sed potius novam eamque iucundam imprægnationem factam esse, sibi persuasit, atque illam ob causam virium prostrationem, respirationem difficilem, vomitum cruentum, quem quarto mense post tributi lunaris emansionem fuit experta, pro consequentiis graviditatis reputavit. Conceptam hanc opinionem confirmavit ventris intumescentia adparens, quæ augeri videbatur, simulque motum, perquam tamen debilem, mentiebatur. Nihil certius itaque, quam, sub fine adpropinquantis noni mensis, partus tempus exspectavit, eaque propter maritus omnia, pro consueto convivio baptismali necessaria, comparauit. Vltimo autem die noni mensis, calculo dierum absoluto, tristi casu hæc scena subito fuit mutata. Filiolus enim natu minimus, trium annorum, in flumen, *Schwarze* dictum, quod per totum pagum eiusdem nominis permeat, ponticulum non circumseptum transiens, incidit, et licet exinde statim a transeuntibus incolumis extraheretur, nihilominus tamen vehementi terrore perculsa fuit mater. Superato hoc, animoque iterum composito, ad refocillandas vires, adsumta cœna, in lectum se contulit atque obdormivit. Vnius horæ spatio elapso, subito expergefacta, loquendi facultatem amissam sentit; signis igitur manu datis maritum accersit, qui sanguinem ex ore fluere tristi spectaculo animadvertit, quod illi magis fuit terrificum, cum videret mulierem ad interrogata respondere non posse. Terroris & mœroris hinc plenus, media nocte omni festinatione ad me properat, mihi ea, quæ coniugi, ex sua opinione partui proximæ, accidissent, refert, meumque anxie efflagitat auxilium. Ego morbum pro insultu reputans apoplectico, statim venam secare iussi, & medicamenta huic malo convenientia dedi. Aegrotam die sequenti cum visitarem, linguæ paralysin esse sublatam, eamque ad interrogata paucis verbis negando vel affirmando respondere, minime autem cogitata ordi-

ordine proferre, & multo minus præterita in memoriam revocare posse, cognovi. Abdominis tumor, quem ob verecundiam mulieris nimiam vestibus tectum explorare mihi licebat, magis in sinistra hærebat regione, insimulque nec tantæ molis erat, nec, ut plerumque tempore graviditatis notari solet, undique æqualiter acuminatus prominebat. Adpetitus simul deficiebat, calor corporis naturali maior, cum siti aucta, accedebat, & maximam temporis partem ægrota dormiendo consumebat. Primis diebus exhibita medicamenta cum exoptatum non ferrent auxilium, alius Medici, artis suæ peritissimi, Dn. D. Perthes, Consiliarii & Archiatri Ducalis Rudolphopolitani, Soceri mei honoratissimi, consilio fuit usa, brevi autem post medicamentorum pertæsa, ab iis plane abstinuit, & fato sese commisit. Trium hebdomadum spatio elapso, insultu apoplectico novo iterum fuit correpta, qui, cum linguæ artuumque paralysi coniunctus, vitæ tandem finem imposuit. Dubia mihi varia circa uteri gestationem, cum irregularem abdominis formam conspicerem, statim sunt oborta, & fortasis conceptionem tubæ Fallopii sinistræ factam esse (cuius exempla ab Auctoribus fide dignis relata leguntur,) existimavi. Corpus itaque defunctæ ut incidendum mihi permitteretur, optavi, multisque tandem pollicitationibus a marito, ut abdomen saltem aperire & perlustrare concederet, impetravi, cui sectioni Socer honoratissimus supra nominatus simul interesse voluit.

Integumentis abdominis, vulgo communibus dictis, una cum peritonæo dissectis & remotis, statim in conspectum veniebat intestinum colon, quoad situm & formam mutatum. Cum enim secundum ordinem naturæ ab hypochondrio dextro per abdomen transversim transeat usque ad hypochondrium sinistrum, ubi inflecti solet, iam in medio fere abdominis deorsum versus umbilicum descenderat. Diameter eiusdem, qui plerumque per totum intestini tractum æqualis

eſſe ſolet, in medio inteſtini valde augebatur, & brevi poſt ad triplum minor contractiorque adparebat, eiusque capacitas adeo coarctata erat, ut inteſtina tenuia vix æquaret, quæ uſque ad inteſtinum rectum quoque continuabat. Vid. *Fig. 2. Tab. V.* ubi *A.* partem huius inteſtini in naturali adhuc magnitudine conſtitutam; *B. B.* partem eius contra ordinem naturæ diſtenſam ac in medio abdominis hærentem, & *C. C.* partem nimis iterum coarctatam denotat.

Reliqua inteſtina, una cum ventriculo, ſtructura & forma decenti & regulari gaudebant, eorum ſaltim vaſa ſanguifera, ne minimis quidem exceptis, ſanguine valde referta adparebant. Meſenterii inprimis vaſa ſanguifera uſque adeo ſanguine repleta atque expanſa erant, ut calami ſcriptorii maioris craſſitiem ſuperarent, arcuſque vaſorum, mirum in modum intertextorum, elegantiſſimam iniectionem artificioſam vincere viderentur.

Hepar, in dextro hypochondrio ſitum, ſolito erat paulo maius. Lien vero tantæ magnitudinis & craſſitiei erat, qualem nunquam in alio corpore animadverti. Magnitudine ſplenem bovis, & pondere quatuor libras ſuperabat. Vaſa ſplenicæ, brevia dicta, cum ventriculo communicantia, ſanguine valde erant diſtenſa.

Vterus, cuius vaſa ſanguifera, ut & ovariorum, tubarum & ligamentorum, calamo ſcriptorio adparebant craſſiora, non erat gravidus, nec in Fallopii tuba aliquid præternaturale deprehendebatur. Reliqua viſcera, pancreas nempe & renes, integra erant & ſana.

Pectoris & capitis cavitates cultro aperire anatomico maritus non concedebat; quodſi vero id obtinuiſſem, fortaſſis vitia pulmonum, aut polypoſas concretiones in cordis thalamis, aut rupturam vaſorum plexus choroidei in ventriculis cerebri anterioribus factam, tanquam cauſam apoplexiæ, detegere potuiſſem.

Sectio-

Sectionem hanc si omisissem, falso quilibet sibi persuasisset, demortuam mulierem gravidam fuisse sepultam, cum de eiusmodi extraordinaria conformatione intestini coli, causam tumoris, graviditatem mentientis, constituente, forte ne per somnium quidem quispiam cogitasset.

SCHOLIVM.

Structuram hanc vitiatam intestini coli a nativitate repetendam minime duco, causam potius eius esse partim descensum huius intestini in medium abdominis, partim molem & magnitudinem auctam lineis, antrorsum prominentis atque dictum illud intestinum prementis, admodum probabile mihi videtur; iudicio tamen sagaciorum virorum relinquo, an hæc, vel alia, veritati magis consentanea, accusanda sit causa. Interim coarctatio hæc intestini coli, motum eius peristalticum impediendo & retardando, ansam præbuit diuturniori fecum retentioni & copiosiori illarum accumulationi, unde illud sensim eum in modum fuit extensum, ut tumorem abdominis adeo insignem & manifestum formaverit. Lienis infarctui, eiusque ingenti magnitudini & ponderi, itemque mensium obstructioni, suppressionem tertianæ febris ansam præbuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Fieri itaque aliter non potuit, quin, vasis sanguiferis meseraicis, splenèticis, & sic dictis brevibus, cum ventriculo communicationem habentibus, ob repletionem nimiam apertis, vomitus cruentus, & vasis sanguiferis plexus choroidei ruptis, apoplexia lethalis tandem sequeretur.

Observatio LXXI.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Processus Vermiformis, sex pollicum transversorum longitudinem atque unius crassitiem superans, in senili corpore repertus.

Vir senex septuaginta quinque annorum, corpus statura magnum & membra valida valdeque robusta habens, militiæ in iuvenili ætate addictus, deinde vero ad agri culturam rediens, prædiique equestris conductorem agens, exoptata semper gavisus est sanitate. Per aliquot annorum autem spatium ante obitum de dolore insigni colico, quem in dextro hypochondrio sentiebat, & quidem semper in uno loco, frequenter admodum conquestus est. Dolor hic, quamvis medicamentorum usu sopiretur, sæpius tamen, si præcipue corpus vehementer moveret, aut ira excandesceret, recruduit, & interdum eo usque increbuit, ut lectum petere fuerit coactus. Hic ex pago in urbem tendens, animadvertit iuvenem rusticum eiusdem loci in pratis vicini cuiusdam, pariter a se conductis, iumenta pascentem; ira itaque accensus, sub cœlo ventoso accurrit, cum illo iuvene altercatur, & pileum eius, pignoris loco, ad resarciendum damnum, capiti detrahere studet, id quod ut impediret iuvenis, cum sene manus confert eumque in terram prosternit. Hic fremebundus domum revertitur, centum autem & quinquaginta gressibus absolutis, prona facie in terram procidens, vitam cum halitu amittit. Huncce conflictum quum nonnemo, in vicinia præsens, viderit, Iudicem de eo fecit certiorem, unde fieri aliter non potuit, quin sectio iudicialis decerneretur, quæ peragenda mihi, utpote Physico provinciali, demandata fuit.

Ex-

Externam corporis superficiem cum inspicerem, nulla signa violentiæ notatu digna, & leviores saltem sugillationes cum separatione cuticulæ, in supercilio, bucca, & mento dextri lateris animadverti.

Sectione instituta, in capite, remoto cranio, dura piaque matre dissectis, lympha rutilans in conspectum veniebat, quæ, ventriculis cerebri anterioribus apertis, maiori in copia, albidioris tamen coloris, exinde profluebat. In pectoris cavitate, præter polypum minorem, in sinistro cordis ventriculo hærentem, nihil præternaturale notabatur.

Abdominis autem cavitate aperta, intestinum cœcum ab initio, ubi intestinum ileum inseritur & valvula Bauhini collocata est, inflammatum deprehendebatur, quæ inflammatio ad ulnæ quadrantem in intestino colo progrediebatur. Quod vero in hac cavitate attentione & admiratione summa dignum mihi videbatur, id erat processus vulgo dictus vermiformis, cuius constitutionem ut paulo accuratius exponam, operæ esse pretium existimo. Hic processus, qui ordinarie, uti ex anatomicis constat, intestino cœco est adnatus, eiusque appendicem constituit, & ob figuram & parvitatem, vermi non dissimilem, *vermiformis* vocatur, cuiusque interna substantia glandulis, Brunnerianis dictis, obsita est, quæ uti glandulæ intestini cœci, secundum recentiorum Physiologorum sententiam (*b*), liquorem, humectationi secum, lubricationi intestinorum eorumque motui peristaltico inservientem, secernunt, quoad figuram valde mutatus erat, & cum ordinarie exiguus sit & crassitiei calami scriptorii sæpius æqualis, ad longitudinem sex pollicum transversorum erat in linea recta extensus, diameter autem eius undique æqualis, pollicem superabat. Vid. Fig. 3. Tab. V. ubi *A.* intestinum cœcum; *B.* partem intestini ilei; *C.* processum vermiformem præternaturaliter distensum & elongatum, *D.* vero eiusdem naturalem confor-

ma-

(*b*) Vid. Illustr. Hambergeri Physiolog. med. §. DCCCV.

mationem monstrat. Tunica eius exterior rubens & leviter inflammata adparebat. Dissectis huius processus tunicis, materia quædam viscida, ovi vitello quoad colorem & consistentiam similis, nullius autem adversi odoris, illum replens & distendens, promanabat.

Conformationem hanc singularem & irregularem processus vermiformis unicam fuisse causam doloris sæpius revertentis fereque continui, de quo senex, dum viveret, conquestus est, liquido nunc patere existimo, indeque hic dolor, partim sub vehementiori corporis motu, partim si intestina crassa fecibus aut flatibus nimis repleta fuerunt, adeoque processus vermiformis premebatur, aut fibræ tunicarum eiusdem distendebantur, semper exacerbari debuit. Materia, in processus vermiformis cavitate contenta, pro ulcerosa & purulenta haberi commode non potest, dum omnis ingrati odoris expers fuit, quin potius vero simile magis est, prognatam eam fuisse a liquore ex huius processus glandulis secreto, qui, via ad intestinum cœcum præclusa, accumulatus, maiorem spissitudinis gradum adquisivit, partemque illam ad tantam usque magnitudinem extendit.

Rebus ita comparatis, tanta nempe lymphæ extravasatæ copia in capite præsente, & tali statu præternaturali morboso intestinorum reperto, iudicavi senem partim colica spasmodica, partim, & quidem præcipue, apoplexia serosa, quibus altercatio & levior conflictus ansam dedere, esse enectum, mortemque, ob inflammationis initium iam propinquam, casu esse acceleratam. Illustre ergo Dicasterium provinciale, cuius arbitrio res maioris momenti hic loci geruntur, meo iudicio innitens, iuvenem, ob imputatum homicidium in carceres coniectum, quum nullum habuerit occidendi animum, nulloque usus sit instrumento lethifero, extraordinaria pœna mulctandum esse putavit, atque ad labores ergastuli per anni quadrantem, cum expensarum restitutione, condemnavit.

Obser-

Observatio LXXII.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Infanticidium violentum, ex ossibus capitis, per integrum annum sub terra defossis, diiudicatum & declaratum.

Inter casus illos singulares, de quibus Medici forensis postulatur iudicium, infanticidia sæpius quidem occurrunt, quæ tamen iudicatu aliis interdum sunt difficiliora, quo plures ex parte infantis & matris circumstantiæ adesse solent, quæ obscura & dubia illa reddunt. Hunc quoque in finem multas dubitationes contra ea movere, & partim vitam infantis, partim matris animum occidendi negare causarum patroni conantur.

Cum variis modis infanticidia possint committi, vel neglectu solutionis & separationis recens nati infantis a placenta, & debitæ eius curæ, vel omissa deligatione funiculi umbilicalis discissi, vel suffocatione, vel cranii depressione, vel læsionibus aliis violentis; eo curatiori res indiget investigatione, ut corpus delicti firmum & certum stabiliatur.

Summa cum iam cautione opus sit in ferendo iudicio de vita & morte infantis, quando corpus integrum & nondum putredine corruptum inspiciendum est, merito hinc longe maiorem requiri attentionem iudiciique adplicationem, si ex ossibus, sub terra per integrum annum defossis, infanticidium indagandum fuerit, nemo forte unquam negabit. Casum itaque hunc prorsus singularem, quem, Physici munere fungens, explorandum habui, communicatione non plane censui indignum.

Fœmina vidua, quæ viri vidui ſenis, in urbe Kœnigſee habitantis, res domeſticas gerebat, cum eo autem ſimul commercium illicitum libidinoſum exercebat, ob ventris auctam molem in ſuſpicionem graviditatis incidit, illam autem cum conſtanter negaret, & venter iterum detumeſceret, a ſe removit. Anno autem integro & fere dimidio ab eo tempore elapſo, cum ſene turpi contentionem habens, verba nonnulla, ſuſpicionem priſtinam reſuſcitantia, in medium protulit, & Iudici novam inquirendi dedit occaſionem. Omnibus itaque locis & angulis domus, qua utebantur, luſtratis, in cella tandem oſſa infantis, folliculo ſtupæ lini involuta, ſepulta inveniebantur. Carnem & vaſa putredo iam conſumſerat; a ſordibus itaque mundata, cum Phyſicus eiusdem loci de iis ferre iudicium non auderet, a Præfecturæ adminiſtratore huc ad illuſtre Dicaſterium provinciale ſunt tranſmiſſa, a quo mihi examinanda & diiudicanda tradebantur. Ego rem ſatis arduam intrepide adgreſſus, ex decenti oſſium magnitudine & firmiori illorum compage, nec non ex unguibus perfectis & capillis a Phyſico adhuc viſis, fœtum fuiſſe maturum intellexi, & cum in oſſe occipitis & bregmatis ſiniſtro maculam atro-rubentem, ad floreni magnitudinem extenſam atque oſſis diploën penetrantem, una cum oſſis bregmatis fractura, animadverterem, *fœtum maturum non ſolum & vivum fuiſſe natum, ſed etiam poſt partum manibus violentis eſſe occiſum, adfirmavi.*

Ad probandam meam ſententiam ſequentes adduxi rationes, quarum prima erat: Maculam fuſcam atro-rubentem, in oſſe bregmatis conſpicuam, neceſſario vitam fœtus excluſi & circulum ſanguinis præſupponere, cum in nullo oſſe infantis aut hominis demortui, ſi contundantur aut frangantur, unquam macula oriatur; eo maiori itaque vi illam eſſe inductam, cum oſſis bregmatis fractura ſimul coniuncta fuerit. Ratio ſecunda, qua nitebatur mea ſententia erat: Tantam vio-

violentiam, quæ tam notabiles maculas imo fracturas efficiat, fœtui utero incluſo, tunicis & liquoribus circumdato, atque integumentis matris munito, vix unquam, & non ſine inſigni læſione matris ſimul inferri poſſe, adeoque manifeſto exinde ſequi, fœtui vivo atque in lucem iam edito, læſionem hanc inflictam eſſe, eamque ob cerebri inſignem commotionem, & ſanguinis in eo extravaſationem pro ſimpliciter & abſolute lethali eſſe reputandam.

Acta iudicialia de hoc caſu conſignata, cum ad Scabinos venirent Ienenſes, illi cum Ordine Medicorum de eo communicarunt, eiusque de certitudine corporis delicti petierunt iudicium. Diſſentiebant inter ſe membra huius Collegii, atque illuſtri HAMBERGERO, reipublicæ litterariæ medicæ præmatura morte erepto, Præceptori & patrono meo æternum devenerando, ſententia mea in re tam incerta nimis rigoroſa videbatur, nihilominus reſponſum Facultatis ex votis plurimis datum, ſententiæ meæ rationibusque adductis ſuffragabatur. Scabini itaque hoc freti reſponſo, veritatem & criminis confeſſionem tortura eliciendam eſſe decreverunt. Ante autem, quam tormenta adplicarentur, femina ſponte profeſſa eſt, ſe fœtum felici partu vivum edidiſſe, illumque pugni inflictu (*durch einen Fauſt-Schlag*) occidiſſe. Quo facto ab Ordine luriſconſultorum capitis fuit damnata, caputque eius detruncatum, aliasque ut vetulas meretriculas a crimine hoc ſceleſtiſſimo patrando deterreat, palo eſt impoſitum, triſti ſpectaculo adhuc conſpiciendum.

Observatio LXXIII.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Singularis renum figura in pueri corpore reperta.

Lanionis cuiusdam filius, eleganti corporis forma & textura teneriori gaudens, duos annos natus, improvide aëri frigido & humido expositus, febri peripneumonica fuit correptus, cui, cum nec medicamenta oblata ægrotus sumeret, nec expectoratio rite succederet, mederi non potui, sed, cellulis pulmonum, & bronchiorum ramis materia purulenta refertis, suffocatione fuit extinctus. Parentes afflicti infantis mortem non morbo, sed lapsui in terram, ancillæ negligentia, brevi ante morbum facto, adscribendam esse putabant, meque ut corpus inciderem, instanter rogabant. Pectoris cavitate cultro aperta, sternoque remoto, externa pulmonum superficies inflaminata atque exulcerata deprehendebatur. Lobi pulmonum cum dissecarentur, eorum cellulæ plurimæ, una cum ramis bronchiorum, materia purulenta erant refertæ. Inter viscera abdominis renes mirabilem ostendebant structuram, dum non solum ordinariam magnitudinem longe exsuperabant, sed etiam figuram boum renibus simillimam præ se ferebant, quarum superficies externa, alias æqualis & lævis, inæqualis & in lobos fere divisa erat, uti ex forma depicta adparet. Vid. *Fig. 1. & 2. Tab. VI.*

Sectione hac parentes edocti, mortem infantis a morbo esse inductam, inde ceperunt solatium, culpæque suspicio, quam ancillæ imputaverant, simul fuit sublata. Ceterum talem renum figuram ego nunquam vidi, quamvis plures infantes, duorum, sex & decem annorum, lustrarim, imo quinque recens natos, ob violentæ mortis suspicionem, legali sub-

subiecerim sectioni. Veram equidem huius lusus naturæ causam addere non possum, ea tamen mihi admodum videtur probabilis, matrem tempore graviditatis forte marito, bovem cum mactaverit, adstitisse, & renes exemtos intentis oculis acrius contemplatam fuisse, eorum figuram animo firmius impressisse, indeque ideam constantem & fixam natam, huic formationi irregulari, uti aliis nævis maternis, modo tamen incognito & nondum satis ab eruditis expositio, ansam suppeditasse.

SCHOLIVM.

Renem sinistrum ingentis magnitudinis, per fissuras quatuor insignes quasi divisum, retenta tamen phaseoli figura, nisi quod lobus superior, elatior, longior & crassior exstitit, in puella XIII. annorum notavit *Ioann. Iacobus* HARDERVS, simulque refert, BAVHINVM figuram exhibuisse renis pueri in octo lobos divisibilis, qui vitulinos æmulatus esse videtur, & hinc iudicat e re fore, ut in renum structuram in fœtibus immaturioribus & recens natis, data occasione inquiratur, imprimis cum ARISTOTELES *Lib. III. de Part. animal. Cap. IX.* inquiat: *Hominum etiam renes bubulis similes sunt, quippe qui tanquam compositi, ex multis renibus exiguis constant.*

A. E. Büchner.

Observatio LXXIV.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Canalis arteriosus sinistræ subclaviæ arteriæ insertus.

Quum in Theatro anatomico, hic loci in usum chirurgorum atque obstetricum, ex voluntate Principis sapientissimi & de civium salute summe solliciti, exstructo, cuius memoria *Lipsiensibus Commentariis de rebus in Scientia naturali & Medicina gestis, Volum. I. Part. II. pag. 336.* itemque Novellis litterariis Ienensibus, Gœttingensibus aliisque inserta legitur, varia hactenus cadavera, diversi sexus atque ætatis consuetis subiecerim sectionibus, eaque rara simul mihi obtigerit felicitas, ut Sereniſſimus Princeps, physicarum rerum curiosissimus, duorum corporum demonstrationibus, quarum unaquæque per octo dies duravit, ab initio ad finem usque interesse voluerit clementissime, varios naturæ lusus in structura viscerum & vasorum animadverti, ex quibus hunc æque, ac binos subsequentes notatu digniores, commemoratione non plane indignos fore iudico.

Ex principiis tam anatomicis, quam physiologicis, omnibus medicæ artis peritis sufficienter iam constat, canalem arteriosum a summo Creatore pro conservatione circuli sanguinis, in fœtu utero adhuc incluso, esse constitutum, perque illum sanguinis copiam haud exiguam, in arteria pulmonali hærentem, ex parte in arteriam aortam, & quidem eius truncum descendentem, ordinarie deferri, ne pulmones, ob respirationis, ac exinde dependentis refrigerationis & qualiscunque condensationis sanguinis defectum, plus iusto repleantur, aut violenter disrumpantur, & sanguinis circulus sufflamine-

minetur. Canalis hic arteriosus ordinarie arteriæ pulmonalis atque aortæ cavitatem connectit, & inter truncorum utriusque arteriæ parietes decurrit, brevis quidem est, ast capacitate fere dimidio arteriæ pulmonalis æqualis deprehenditur(*c*). Fungitur is tam diu saltem vasis communicantis officio, quam diu fœtus utero hæret inclusus; simul ac vero in lucem editus respirare incipit, & sanguis per pulmones rite progreditur, ac rarefactus ibi condensatur, tunc eadem ratione, ut foramen ovale, coalescit.

In cadavere mendici cuiusdam, catarrho suffocativo in via extincti & pro instituenda publica sectione in Theatrum anatomicum delati, deprehendi, canalem hunc arteriosum ab arteria pulmonali sursum ascendisse, atque arteriæ subclaviæ sinistræ fuisse insertum, quam plane singularem structuram & connexionem, nondum hactenus ullibi notatam, animadvertere mihi licuit.

Observatio LXXV.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Hepar per totum abdomen transversim se extendens.

Hepar, tanquam viscus maximum, rubicundum, bilisque secretioni destinatum, cuius integritas sanitatis conservationem insigniter adiuvat, vitiata autem constitutio complures parere solet morbos, ordinarie in hypochondrio dextro situm est, & minor saltem pars extremitatis sinistræ ventriculo incumbit. Mihi vero, cum corpus ancillæ, viginti duos annos natæ, quæ ob infanticidium, nulla quidem violentia, sed

(*c*) Vid. Illustr. HAMBERGERI *Physiolog. medica §. MDI. num. 8.*

sed saltem neglectu deligationis funiculi umbilicalis & debitæ curæ recens nati commissum, capitis pœna fuit mulctata, in Theatro anatomico publice secarem & demonstrarem, hepar per totum abdominis cavum usque in hypochondrium sinistrum transversim extensum, ventriculumque integrum tegens, licuit animadvertere, colore eius ex rubro in plumbeum atque ex parte in flavum simul mutato.

Figura hæc irregularis, & aucta hepatis magnitudo, an a nativitate originem iam duxerit, an vero durante illo tempore, quo in carcere fuit custodita, demum sit producta, affirmare non audeo. Admodum probabile tamen mihi videtur, incremento huic insigni hepatis partim lochiorum suppressionem, terrore inductam, ex qua febris acuta & purpura alba nata fuit, partim mensium obstructionem, quæ febrim superatam excepit, nullisque medicamentis, licet optimis & satis efficacibus, removeri potuit, præbuisse occasionem. Ceterum vitæ genus ex laborioso in sedentarium mutatum, victus penuria, animi afflictio, cachexiam & tumores œdematosos simul produxerunt, ut vix omni adhibito studio vita illius ad horam usque decretoriam adhuc conservari potuerit.

Observatio LXXVI.

DN. D. IOANN. CHRISTIANI REINMANNI.

Ventriculi mala conformatio, thoracis abusu inducta.

In eodem cadavere observavi & auditoribus demonstravi damnum, quod corpori humano nimia constrictio per illud vestimenti genus, quod thorax vocatur, (*eine Schnürbrust*) inferri solet. Hæc enim ancilla, vilioris quamquam esset

esset conditionis, tantæ tamen erat ambitionis, ut thorace nimis angusto semper uteretur, quem per dies noctesque, in carcere etiam detenta, non deposuit, eoque induta ultimum quoque tulit supplicium. Huius ventriculus a coarctatione nimia per assulam illam ferream, gallico nomine vulgo *Planchette* dictam, in externa corporis superficie iam conspicua, vitiatam obtinuerat conformationem, ita ut margo anterior extremitatis dextræ introrsum fuerit incurvatus, et ventriculi capacitas summe coarctata, uti Fig. 3. Tab. VI. docet, qua compressione ciborum digestio valde fuit impedita, quæ prima origo aliorum malorum esse solet, dum vitia primæ concoctionis non corriguntur in altera & tertia.

Dolendum de reliquo est, complura sexus sequioris subiecta hoc malum, quod ex abusu thoracum nasci solet, perspicere nec posse, nec velle, fictitiamque corporis elegantiam sanitati præferre, nec considerare quod viscera abdominis, per thoracem nimis compressa, mille imbecillitatibus & morborum insultibus occasionem præbeant.

(*Rudolstadio Halam missæ d. 27. April. 1756.*)

Observatio LXXVII.

DN. D. IOANNIS PHILIPPI BVRGGRAVII.

De

Monstroso funiculo umbilicali.

Honesta mulier K. annorum 40. putabat se decimum, & quidem a XXII. septimanis gravidam, & citra manifestam causam, prævia hæmorrhagia uteri, die X. Febr. 1755. abortu embryonem excludebat, mea sententia vix trimestrem. Hic non nisi parum ultra sex pollices erat longus; latus iuxta humeros vix $1\frac{1}{2}$ pollicem. Seorsim caput a vertice ad collum

sub mento $2\frac{1}{8}$ pollicem referebat. Sexum distinguere non potui, utut in aliis minoribus, sive iunioribus, saepius id licuerit. A parva, terete, oblonga prominentia, masculinum futurum, opinatus sum. Anus erat imperforatus. Forsan ut anus, ita & genitalia, structuræ erant præternaturalis. Palpebras distinguere licebat, suis commissuris cavum quoddam signantes, ab oculorum rudimentis occupandum. Lamellæ etiam parvæ futuram externam aurem præmonstrabant. Oris hiatus lingulam iam satis formatam continebat. Manuum pedumque digiti satis manifesto iam formati. Sed umbilicalis funiculus prorsus extraordinariæ erat conditionis. Pendebat nempe more solito funiculus, vix, ac ne vix quidem lineam crassus, vagina destitutus, leviter intortus, ita tamen, ut tria eius vasa haud distinguere potuerim. Emensa circiter longitudine duorum meorum pollicum, quasi in nodum ligatus, surgebat exinde duplo fere crassior, ex uno pluribus, (sed quot, distinguere satis non potui) nunc filis aut fistulis, non tam invicem contortis, quam potius implicatis sibi & intertextis, constans: & hac structura pergebat longitudine circiter trium pollicum, ut sic totus esset quinque pollicum. Sed ultimum huius crassioris portionis dicti funiculi, non placentæ uterinæ, sed dextro proprii thoracis embryonis lateri inserebatur singulari structura, et imperfectum ortu suo ex umbilico, & insertione hac in proprium thoracem, liberum & mobilem circulum describebat. Duo nempe, ex quibus implicatis prope dictam insertionem constabat funiculus, tubuli, ita a sexta costa vera usque ad infimam spuriam, supra embryonis cutem in fimbriam quasi contorti, mox a se secedentes inserebantur alter superne, inter sextam & septimam veram, alter inferne, inter ultimam & penultimam spuriam costam. Tandem ex illo huius funiculi nodo, ex quibus illum crassescere cœpisse dixi, exibat alius valde tenuis, vix lineam crassus funiculus, sesqui pollicem circiter longus,

altero

altero ſuo extremo liber et fluctuans, quo illum cum placentula cohæſiſſe puto.

Quo vero huius funiculi geminam cum embryonis corpuſculo connexionem modo deſcriptam, & interiora ipſius embryonis perſpicerem, hunc caute, acutiſſimo cultello & ſuſpenſa manu diſſecabam. Totam fere anteriorem abdominis cavitatem, a diaphragmate uſque ad umbilicum, occupabat hepar flaveſcens, quo molliter elevato, non ſolum inſertionem venæ umbilicalis in cavum hepatis, ſed et ſurgentes binas arterias umbilicales, & ex fundo veſicæ urachum, ad umbilicum tendentes, diſtincte cernebam. Non minus & inteſtinula iam formata, ſed obſcure rubentia, iucunde conſpiciebam. Inciſo thorace, binos lobulos pulmonales attente intuebar, veſicularem autem & vaſculoſam ſtructuram nondum dignoſcere potui, ſed tanquam duo tenerrimæ carnis lobuli apparebant. Cor perfecte formatum ſe conſpectui exhibebat: ſed, quod præcipuum huius mei ſtudii erat, luci obverſo toto dextro thoracis latere, eoque diu & attente undique conſiderato, non potui perſpicere, externe inſertum & accretum funiculum umbilicalem profundius intraſſe, aut cum vaſis intercoſtalibus commercium habuiſſe. Id autem mox mihi certo conſtabat, cum hunc embryonem per aliquot dies in aqua frigida aſſervaſſem, ut pluries illum luſtrare poſſem, & ille, quamvis aqua eſſet frigida, propter ſui teneritudinem inde maceratus eſſet, ego vero non ſatis caute aliquando funiculum, ubi thoraci inſertus hærebat, traherem, ille a thorace ſecedebat integer: ubi patuit, illum integumentis tantum inhæſiſſe communibus. Videtur igitur caſu quodam accidiſſe, ut formando huic embryoni, proprius ſuus funiculus fortius apprimeretur illi thoracis ſui parti, cui illum inhæſiſſe dixi; & embryo in illa modo dicta ſui thoracis dextri parte, & viciſſim funiculus in illa ſui parte, qua thoraci inhæſiſſe illum deſcripſi, leviter fauciarentur, indeque ambo concreſce-

rent. Patuit præterea in illo nodo, ex quo hunc funiculum craſſeſcere cœpiſſe dixeram, vaſa eius, antea paulo arctius contorta, laxiorem nexum indepta fuiſſe. Quomodo vero ſibi invicem implicata & quaſi intertexta videri potuerint, hanc inveni rationem. Ille tractus funiculi, quem duplo craſſiorem factum fuiſſe notaveram, circa ſemetipſum ſe convolverat: explicatus igitur duplo longior apparebat. Convoluti vero reflexum & cœcum extremum thoraci inhæſerat, recurrens vero & oſtiis patens extremum, ex nodo ſeorſim pendebat placentæ inſertum. Totus igitur hic funiculus umbilicalis explicatus, præter naturam longior fuiſſet; maximam partem vero duplicatus, & thoraci adcretus iuſto brevior factus fuit. In priore enim caſu ultra novem pollices longus fuiſſet: duos nempe ab umbilico ad nodum: a nodo ad præternaturalem inſertionem in thorace tres, ſed quod duplicatus fuerit, ſex: & ex nodo fluctuans ultra unum. In poſteriore caſu vero non niſi quid ultra ſex pollices longus fuit, & ex nodo dependens extremum vix ad embryonis genua pertingebat. Si igitur embryo hic intra uterum perfectus fuiſſet, illa geminati funiculi umbilicalis portio, quæ thoraci iam inhæſerat, arctius & tenacius cum thoracis integumentis coaluiſſet, difficillimumque hinc partum effeciſſet, quod fœtus exitum moliens, placentam ab utero detraxiſſet, & hæmorrhagiam periculoſiſſimam excitaſſet. Quodſi & vivus hic fœtus prodiiſſet, propter anum imperforatum & male formata genitalia, vix brevi & miſerrime ſupervixiſſet.

Obſer-

Observatio LXXVIII.

DN. D. IOANNIS PHILIPPI BVRGGRAVII,

De

Cute capitis totius capillata adolescenti evulsa feliciterque restituta.

Adolescens XV. annorum, in pago *Hausen*, ditionis Francofurtanæ, Præfecti operis ibidem hydraulici, quo ferramenta poliuntur, filius, mediocris, pro ratione suæ ætatis, staturæ, sed robustæ & torosæ compagis, vivax, versatilis, satis prolixam comam, postice in fasciculum collectam & contortam, gerebat, cum die XVIII. Novembris anni 1754. prope rotam dicti Operis hydraulici dentatam, alii intentus negotio, incautus occipitio ad præfatam rotam ita accederet, ut huius dentes fasciculum comæ contortum & oblique ad humerum dependentem, prehenderent. Illo ipso breviſſimo temporis momento, quo adolescens contortum comæ suæ fasciculum sibi prehendi sentiebat, simul, & animi & corporis heroico robore, proximam trabem ambabus ulnis ita fortiter & tenaciter amplectebatur, ut ingens & rapida celerrime gyrantis rotæ vis totam capillatam capitis cutem, quod singulorum capillorum, in unum fasciculum contortorum, unita vis longe robustior facta fuerit, uno impetu ita detraheret evelleretve, ut nonnisi corona capillata breviorum capillorum, qui ex ambitu in fasciculum illum posticum colligi nequiverant, restaret. Adeo violentus hic detractionis impetus fuit, ut in parte bregmatis dextri anteriore & superiore, prope coronalem futuram, pollicis distantia a sutura longitudinali, & ex ipso tendine musculi frontalis dextri, quin & ex pericranio ibidem, orbiculum, diametri quatuor circiter linearum, abriperet, & cranium denudaret. Non minus &

in bregmatis sinistri parte postica, prope angulum, quem futura longitudinalis cum lambdoide format, & portionem musculi occipitalis sinistri, cum subiacente pericranio, ultra sesqui pollicis latitudinem auferret. Mœsti & solliciti parentes, ludicro primum experimento sympathetico filium curare suscipiebant, detractam nempe cutem capillatam in fumi ductu culinæ suspendentes; accersebant & mox vicinum Chirurgum. Ex gratia vero illustris Magistratus nostri, in Xenodochium nostræ urbis publicum suscipiebatur, ubi illum invisi, semper alacrem & hilarem obambulare deprehendi, ita ut tandem a Chirurgo Xenodochii feliciter curatus fuerit.

Observatio LXXIX.

DN. D. IOANNIS PHILIPPI BVRGGRAVII.

Sistens

Historiam transmutati hydrargyri in aurum.

Inclutus quondam medicamentorum simplicium Mercator nostras, *Ioann. Michael* Koch, integræ & probatæ fidei senex, amicus meus sincerus, aliquoties, & brevi tempore adhuc, antequam superiore anno mortalitati eriperetur, dum de rebus chemicis verba faceremus, sub fide Viri honesti, & amici sine fuco, sequentem historiam mihi retulit:

Venisse ad illum ante plusculos annos non neminem, qui se Marchionem Gallicum profitebatur, & tum Offenbachii, prope Francofurtum, degebat, ac varia emisse mineralia simplicia, cumque in eundem finem sæpius rediisset, ambo familiares invicem factos fuisse. Colloquia sæpius ad processus chymicos, quin & alchymicos devoluta fuisse, & Kochivm veritatem artis transmutandi metalla, quam iste asserebat, strenue negasse. Gallum tandem promisisse, se proxime sequen-

quente die ad KOCHIVM venturum, ipſique ſpecimen exhibiturum. Hinc promiſſum arripuiſſe & invitaſſe Gallum, ut dein ſecum pranderet. Veniſſe poſtero mane poſt decimam Gallum, & poſtquam varios miſcuiſſent ſermones, KOCHIVM iuſſiſſe, crucibulum furno imponere, & hydrargyri uncias duas eidem immittere. KOCHIVM, ut erat vir circumſpectus, prudens, & ita dictis Alchemicis ſummopere diffidens, ipſum, non per famulum, crucibulum, quorum ingentem copiam in promtu habuerit, apto furnulo impoſuiſſe, & quidem in culina, ubi uxor eius ciborum apparationem dirigebat; ſumſiſſe & ipſum hydrargyrum, cuius maximam habebat copiam, cum ipſe fodinas hydrargyrum in Ducatu Bipontino largientes, colat, & crucibulo immiſiſſe, dum interea Gallus in atrio ante culinam obambulaverit, nec limen culinæ attigerit, multo minus hanc ingreſſus fuerit.

His præmiſſis, Gallum ex capſula quadam, quam ſecum geſtabat, parvam chartam ceratam complicatam exemiſſe, eamque explicatam, KOCHIO non ſolum monſtraſſe, quod in illa exilis, croco cuidam martiali ſimilis pulviſculus contineatur, pondere trium aſſium, quarum LXIV. unum Ducatum pondere æquant, ſed & ipſam illam chartulam ceratam cum dicto pulviſculo KOCHIO tradidiſſe, hydrargyro intra crucibulum contento iniiciendum; quod idcirco KOCHIVS voluerit pulviſculum hunc ex charta in crucibulum excutere, Gallus vero iuſſerit chartulam hanc iterum cum contento pulvere complicare, & tum demum crucibulo iniicere, quod per illam excuſſionem facile aliquid de iſto pulvere perdatur, vel etiam chartæ cohæreat. KOCHIVM, poſtquam & pulviſculum & chartulam, attentiſſime inſpexerit, utrumque hydrargyro intra crucibulum immiſiſſe, præterea, ex voluntate Galli, reliquum crucibuli ſpatium vacuum cineribus clavellatis ſicciſſimis, quorum itidem magna inſtructus erat copia, repleviſſe; crucibulum tegula, quam ipſe KOCHIVS iterum in promtu habe-

habebat, dehinc obtegiſſe; tunc furnulum carbonibus, iterum propriis, ita repleviſſe, ut totum etiam crucibulum obtegerent, tandemque carbones, impoſito igne, ſuperne ſe ipſum incendiſſe, & ad Gallum extra culinam ſe recepiſſe; ambo in atrio ante culinam, minime obſcuram, ſed lucidam, cuius fores apertæ erant, obambulaſſe, ita ut omnia, quæ in culina, maxime cum dicto furnulo agebantur obſervare potuerint.

Poſtquam omnia probe incanduerint, ſtrepitumque intra crucibulum ambo exaudire cœperint talem, qualis eſt bullientis aquæ, ſed fortioris: tum Gallum dixiſſe, inchoari iam transmutationem. Interea KOCHII uxorem utrumque, menſæ ut accumberent, rogaſſe: ſed cum ambo iſtius operationis eventum expectare & cernere prius optaverint, quam cibum caperent, ſuas hinc deambulationes, & circa furnulum & crucibulum obſervationes continuaſſe. Servata omnia in eodem ignis gradu fuiſſe, tandemque poſt horæ circiter ſpatium ſtrepitum illum ceſſaſſe. Effuſam igitur materiam, intra crucibulum liquefactam, exhibuiſſe optimum aurum, puritatis 23½ Carat, pondere drachmas ſex cum quindecim granis æquantem. Seceſſerunt igitur hydrargyri unciæ duæ in drachmas novem & quadraginta quinque grana ſcoriarum, & drachmas ſex cum quindecim granis auri; vel 960. grana hydrargyri, per hanc operationem ſeceſſerunt in 375. grana auri optimi, & 585. grana ſcoriarum.

Redemit KOCHIVS hoc aurum chymicum pari pondere Ducatorum, & illud in rei memoriam aſſervavit. Dignus eius gener & in negotiis ſucceſſor, Dn. LEONHARDI, illud iam poſſidet.

(*Francofurto ad Moenum Halam miſſæ d. 6. Maii 1756.*)

Obſer-

Observatio LXXX.

DN. REMON de VERMALE.

Vulnus pugione pectori inflictum lethale, situsque viscerum in huius & abdominis cavitate singularis, postea detectus.

Pectoris vulnera, externas eius partes lædentia, ordinarie omni destituta sunt periculo; si vero in ipsam eius penetrant cavitatem, funesta evadere possunt, tam ob læsionem visceris cuiusdam in ea contenti, quam ob hæmorrhagiam admodum subitaneam & largam, itemque aërem tanta quandoque in copia in hanc cavitatem irruentem & penetrantem, ut liberam dictarum partium expansionem intercipiat. Tunc enim pulmonum præcipue motus sufflaminatur, dumque ordinaria sua actione destitutum est hoc viscus, brevi plerumque temporis intervallo vita privatur vulneratus, quoniam tamdiu vivimus, quam diu spiramus.

Quum anno MDCCXXII. Smyrnam, celebrem illam Asiæ civitatem, lustrarem, fungens tunc officio Chirurgi primarii classis & nationis Gallicæ in Tripolitana urbe, casu quodam fortuito contentioni cuidam, inter Turcam quendam & Græcum Oenopolam obortæ, intereram, sub qua prior pugionem suum in pectus posterioris, qui annorum circiter XXXV. erat, magna vi intorsit. Vulnus, quod cavitatem ipsam satis profunde penetraverat, dextro lateri erat inflictum, unicumque superius distabat pollicem a papilla, duos vero a cartilagine xiphoide. Hæmorrhagia satis erat ingens & copiosa, sanguisque prodibat spumosus, floridus, seu coccinei coloris, cum alio tamen humore, magis obscuri & fulci coloris, ex parte mixtus. Non permittebatur mihi exploratio vulneris, mediante specillo, ante adventum Chirurgi huius loci & natio-

nis; qui tandem circa quintam vespertinam horam accedens, solito quidem more illud investigavit, directionem autem eius invenire non potuit, quoniam admodum angustum erat vulnus, & specillum in recta linea, a fronte versus tergum in illud immittebat, secundum flexuram costarum, putans procul dubio, ictum pugionis ita in hunc locum fuisse delatum, quum insuper etiam vulneratus in illam non facile posset restitui corporis positionem, quam sub illo servabat momento, in quo vulnus ipsi fuit inflictum.

Artis ergo chirurgicæ me pariter gnarum esse declarabam, & ut specilli directio mihi concederetur, postulabam, illudque dein aliquo modo oblique intra quintam & sextam costam veram, vel potius extremitates cartilaginosas, quibus mediantibus illæ cum sterno connectuntur, demittebam, illoque dein per interiacentem aliquam pinguedinem in pectoris cavitatem adacto, corpus quoddam peregrinum circa dextrum pulmonum lobum offendi, quod suspicionem mihi movebat de præternaturali quodam situ partium in hac cavitate contentarum; quare, pro maiori obtinenda certitudine, manum sinistræ pectoris regioni imponebam, cordis systolen ibidem exploraturus, quam tamen nullo modo percipere potui. Ceterum summe difficilis respiratio, tremor totius corporis, sudor frigidus, frequentes lipothymiæ, pulsusque debilis & parvus, instantem denunciabant mortem, unde auctor saltem suasorque fui, ut vulnerato potio aliqua cordialis & traumatica porrigeretur, vulnusque interim turunda quadam complanata, solutione Chalcanthi imprægnata, & superimposito emplastro stiptico muniretur, exactior autem eius investigatio in sequentem usque diem differretur, illaque facta paracentesis pectoris, iuxta indicationes iamiam præsentes, si necessaria & possibilis foret, institueretur; ast mors, elapso quinque vel sex horarum, post primam deligationem, intervallo superveniens, ab hacce nos liberavit sollicitudine.

Quum

Quum dein anatomicam cadaveris sectionem proponerem, statim illa probata, mihique eius administratio concessa fuit. Aperto igitur infimo ventre, deprehendi hepar in sinistro, lien vero cum superiori ventriculi orificio, quod nonnisi œsophagi est continuatio, in dextro, pylorumque iterum in sinistro hypochondrio, ac renem sinistrum elatiorem dextro. Pectoris dein cavitatem lustrans, dextrum pulmonum lobum offendi inflammatum, sinistro longe minorem & costis arctissime adhærentem. Cor fere totum transverse incubuit diaphragmati, ita ut basis eius sinistrum, apex vero dextrum respiceret latus; pericardium oblique cohærebat cum hoc musculo; aortæ arcus versus dextrum, & venæ cavæ truncus ascendens & descendens versus sinistrum spectabat latus; vena autem azygos; in eodem hoc latere sita, amplior adhuc & capacior deprehendebatur, quam alias ordinarie truncus venæ cavae descendens solet esse, qui in hoc cadavere, a diaphragmate usque ad locum ingressus venarum emulgentium, admodum angustus & coarctatus comparebat. Sic ergo situs naturalis omnium, in pectoris æque ac abdominis cavitate contentorum viscerum, insigniter erat mutatus, adeoque mirum haud videbitur, quod cor utrinque fuerit perforatum, licet vulnus in dextro latere fuerit inflictum. Ob gravissimam autem hanc læsionem tota pectoris cavitas sanguine erat repleta, nec maior aliqua partium confusio sub hoc statu requirebatur, pro acceleranda vulnerati morte.

SCHOLIVM.

Mutatio hæc situs viscerum licet admodum sit memorabilis, non tamen adeo rara est, prout vulgo æstimari posset, unde illos, qui in primo artis exercitio constituti sunt, monendos esse duco, ut probe semper attendant ad variationes,

quæ in œconomia animali contingere possunt, hisque forte obvenientibus, insimul recordentur, quod præcipuum prognoseos fundamentum præbeat constitutio partium naturalis vel præternaturalis, quoniam ex illarum dispositione exactius iudicari potest de statu earum, quæ forte sunt læsæ, inprimis si circumstantiæ occurrentes denotare videntur eiusmodi mutationem, quæ cognitu tanto est difficilior, quo pauciora adhuc fida ac certa prostant signa, eius præsentiam debite manifestantia.

Exinde vero, quod eiusmodi aberrationes Naturæ in talibus maxime subiectis, quale fuit illud, de quo præsens agit observatio, occurrerint, manifesto patet, illas utplurimum iisdem esse congenitas. Dantur tamen etiam morbi, qui visceribus quibusdam ex sede sua dimovendis occasionem præbere possunt, prout hoc variæ confirmant observationes, passim a compluribus celeberrimis Medicis adnotatæ. Quod ad cor, transverse diaphragmati incumbens, & pericardium, oblique huic musculo adhærens, attinet, verum & ordinarium hunc eius esse situm, sub naturali viscerum constitutione, asserit Winslovius in *Expositione sua anatomica*, quum Anatomicorum plurimi saltem referant, basin eius superius & in medio pectoris collocatam esse, apicem vero, seu mucronem, deorsum & simul versus sinistrum latus vergere, quod tamen coincidit cum Winslovii assertione & propriis meis sæpius in hac causa factis & iteratis observationibus. Interim tamen hic situs insigniter quandoque mutatur, siquidem dissecta fuerunt cadavera, in quibus cor ita inversum fuit deprehensum, ut superior pars inferiorem occupaverit locum, quale exemplum exhibet Diarium eruditorum (*Journal des Savans*) in muliere quadam in Saxonia suspensa, cui simile mihi etiam olim

olim occurrit Parisiis, in viro, qui idem illud subiit supplicium (*d*).

Varia interim symptomata cor ipsum vulneratum esse nobis indicant, veluti locus vulneris, si nempe hoc illam penetrat regionem, sub qua immediate interius situm suum habet viscus hoc musculosum; hæmorrhagia ingens & copiosa (non tamen semper); sanguis cum impetu & motu quodam reciproco exsiliens; tremor totius corporis; pallor aut plumbeus etiam color faciei; pulsus parvus & debilis; superveniens tandem sudor frigidus universalis, frequentes lipothymiæ & frigus extremitatum inferiorum, quæ simul proxime instantem denotant mortem. Observatum equidem fuit, vulnera in cordis ventriculos penetrasse, & tamen læsos per quatuor adhuc vel quinque horas in vivis superstites mansisse; sed rariores sunt eiusmodi casus, & tunc demum forte evenire possunt, si vel vulnus admodum exiguum, vel grumo quodam sanguinis, aut alio corpore peregrino ad tempus obturatum fuerit.

Nullam proinde in defuncto illo subiecto suscepi vulneris externi dilatationem, quoniam sufficiens erat eius capacitas. Interim hoc nequaquam negligere debet Chirurgus, si vulnera, in pectoris præcipue inferiori parte inflicta, per totam eius cavitatem penetrant, parum autem sanguinis ex iisdem prodiit, & ingens notatur respirandi difficultas, quoniam hac ratione plerumque evitari & præcaveri potest instituenda alias pectoris paracentesis. Interim, licet eiusmodi vulnera ordinarie magno stipata sint periculo, per experientiam tamen constat, quod non raro etiam sub tali conditione sanationem

(*d*) Conferri etiam huc meretur *Friderici* HOFFMANNI *Cardianastrophe admiranda, seu cordis inversio mirabilis, observata a Collegio medico civitatis Hallensis in anatomia cadaveris sexus feminei.* Lipsi. 1671. 4to.

admittant, si modo non negliguntur, sed debita cum circumspectione tractantur, sicque suspectæ omnes, alias inde metuendæ, consecutiones tempestive avertuntur.

Sic anno 1743. vidi Studiosum quendam Iuris, qui a perfido aliquo proditore gladio, a tergo, oblique per pectus, ab inferiori regione versus superiorem, transfixus erat, absque tamen ulla quadam læsione viscerum in hac cavitate contentorum. Vulnus posticum, quod ingressum formabat, dimidium pollicem lateraliter & inferius distabat ab angulo inferiore scapulæ sinistræ, unumque pollicem cum dimidio a transversali & obliqua apophysi octavæ vertebræ dorsi; exitus autem eius erat fere sub axilla, & infra marginem inferiorem quartæ costæ veræ, duosque pollices distabat a sinistra papilla, ut ita obliqua hæc directio utrorumque hiatuum manifesto monstraret, transiisse ictum illum per thoracis cavitatem, simulque exinde appareret, musculos, sacrolumbarem, serratum posticum & inferiorem, intercostales & infracostales, una cum aliis quibusdam musculis & pleura, hac ratione læsos fuisse. Interim tamen dubium oriebatur de transitu huius vulneris per pectoris cavitatem, quoniam flamma spiræ cereæ, aperturis eiusdem utrinque admota, non commovebatur. Ast signum hoc eo magis est æquivocum, quo minus plerumque necessariæ simul observantur cautelæ, pro certitudine quadam obtinenda necessariæ. Vidi enim Chirurgos in eo acquievisse, quod candelam ceream vulneri admoverint, non vero labia eius leni pressione quadantenus coarctasse, nec vulnerato iniunxisse, ut exspirationem cohibeat. Interim verum omnino est, non semper exacte tali ratione indagari posse, an aër qualiscunque per vulnus prodeat, nec ne? siquidem, dum vulneratus in pristina non amplius constitutus est corporis positione, vulnus a circumiacente pinguedine ita potest obturari, ut aër per illud, si inprimis angustius fuerit, prodire nequeat.

Cer-

Certius vero indicium, penetrationis in cavitatem pectoris factæ, præbet laborioſa & ſumme difficilis reſpiratio, brevi poſt acceptam læſionem accedens; non tamen abſolute certum & infallibile id eſſe iudico, quoniam pro diverſitate conſtitutionis ſpecialioris, modo maior, modo minor eſt ſubiectorum ſenſibilitas, indeque etiam varia evadit ſymptomatum conditio, ita ut vulneri etiam ſimpliciori, in cavitatem pectoris non penetranti, interdum perquam difficilis iungatur reſpiratio. Hæmorrhagia in ſubiecto hoc vulnerato non admodum magna erat, & quoniam de facta vulneris in ipſam cavitatem penetratione nihil certi adhuc conſtabat, hinc omnis eo ſaltem dirigebatur cura, ut uterque eius hiatus apertus conſervaretur. At aër externus, per utramque aperturam ſub deligatione ingrediens, ſæpius in ſuffocationis periculum coniiciebat vulneratum, qui etiam animo interdum linquebatur, unde, poſt complurium dierum ab accepto vulnere intervallum, ego quoque in auxilium vocatus fui. Omnibus ergo probe examinatis, & cum ſimplicem ſaltem deprehenderem partium continentium ſolutionem, ſuaſi ut removerentur turundæ, & coalitus anterioris & ſuperioris vulneris nullo modo impediretur, poſterius autem & inferius ſimplici modo tantum deligaretur, dum ex illo nonniſi portio quædam lymphæ quadantenus purulentæ prodibat, quam ex læſa quadam parte pleuræ, & poris membranaceæ portionis, internam cavitatis pectoris partem reſpicientis, originem ſuam ducere iudicabam. Hæc autem lympha, modo in maiori, modo in minori copia ex hoc loco profluens, ſiccitatem quandam inferebat partibus contentis, cui maius adhuc augmentum conciliabat aër externus ambiens.

His autem non obſtantibus, conſilium illud, a me ſuppeditatum, tamdiu negligebatur, donec vulneratus manifeſto contabeſcere inciperet; unde, pro evitando funeſto eventu clanculum ad parentes ſuos redire decrevit, ibique remedia quæ-

quædam a me commendata in usum vocavit, reliquum autem Deo & Naturæ commisit, sicque brevi post de gravioribus illis infirmitatibus victorioſus triumphavit. Negandum equidem non est, quod per aliquot annos pallore ingenti, tabidis alias familiari, deformatam habuerit faciem; ast, quum exeunte anno 1748. me ipsum conveniret, vivido iterum colore habituque carnosiore præditum deprehendi, quod diætæ inprimis, ante biennium, quum parentes suos inviserem, a me præscriptæ sedulo que observatæ, in acceptis ferendum esse existimavit.

Observatio LXXXI.

DN. REMON de VERMALE.

Ex simplici contusione mors.

Maxima semper opus est circumspectione & prudentia, in consignandis relationibus, Iudici exhibendis, de conditione & statu læsionum violentarum, corpori cuidam quocunque modo inflictarum. Idcirco Chirurgus nunquam perfunctorie, nec nimium confidenter & certo, de natura vulneris cuiusdam, aut causa mortis probabili, iudicium ferre debet, quum is quandoque ab alio occisus videatur, qui moritur ex morbo cum læsione inflicta nullam plane connexionem monstrante, nisi illa tanquam secundaria aut accidentalis saltem causa respiciatur, prout hoc sequens confirmabit casus.

Anno 1743. die 1. Novemb. in nosocomium Romanum, in Tripolitana civitate exstructum, servus quidam captivus Genuensis, triginta duorum circiter annorum, deportabatur, cui ab equo calcitrante in abdomine inflicta erat plaga, paulo infra umbilicum, a latere lineæ albæ. Licet autem exinde levis saltem aliqua sugillatio integumentorum externorum in-

inducta eſſe videretur, ſtatim tamen accedebant graviſſimi dolores colici, cum horripilationibus per totum corpus ſeſe diffundentibus, nullaque ratione mitigationem aliqualem admittentibus. Pulſus equidem erat debilis & tardus; hoc tamen non obſtante, præmiſſa clyſteris paregorici iniectione, venæſectionem ſtatim ſubiunxi, & loco ſugillato imponere iuſſi folia Parietariæ, Betonicæ & Petroſelini, ſacculo incluſa ſpirituque matricali irrorata, ſperans, hoc topicum ſufficere poſſe pro diſcutienda exigua portione ſanguinis in tali loco extravaſati, ubi non adeo magna facta fuit reſiſtentia. Libere interim profiteor, me dolorum colicorum exiguam tantum habuiſſe rationem, quoniam relatum mihi erat, quod ab aliquot iam annis frequentius iisdem excruciatus fuerit æger (*e*), & quod eodem illo die, quo læſionem acceperat, tantam lactis hauſerit copiam, ſuperingerendo ſimul eidem Melones, ut, ebrii adinſtar, poſt acceptam plagam omnia aſſumta vomitu reddiderit, & ſpeciatim lac prorſus fere immutatum, ſicuti illud ingurgitatum erat, iterum eructaverit. Interim prædicta illa ſymptomata ſubito adeo ingraveſcebant, ut vix elapſis quadraginta & octo horis vita functus fuerit.

Mors hæc ſubitanea & improviſa tanto magis perturbatum me reddidit, quo minus evidentiorem aliquam eius perſpi-

(*e*) Non iam fuſius negligentiæ iſtius ſuſpicionem a me removere conabor, ſed hoc potius monendum eſſe duco, quod nunquam vilipendendæ ſint ægrotantium querimoniæ de doloribus colicis, & quod provido inprimis Chirurgo ſemper incumbat in veras illorum cauſas ſedulo inquirere, quoniam ſæpius ſunt ſymptomata aut effectus herniæ cuiusdam, quam ex intempeſtivo pudore occultare conantur ægri, eoque ipſo occaſionem facile præbent ſubſequenti eius incarcerationi & ſupervenientibus grauiſſimis ſymptomatibus, mortem certiſſime accelerantibus, niſi tempeſtive efficacia in auxilium vocantur remedia.

ſpicere licuit cauſam, ſiquidem etiam in initio cognoſcere non potui, unde univerſalis illa horripilatio, eventum hunc funeſtum prænuncians, fuerit oborta. In dubio ergo conſtitutus, ſollicita cum feſtinatione anatomicam cadaveris inſtituebam ſectionem, obſcura & incognita optime nobis manifeſtantem, ſæpius vero inconſiderate neglectam. Inſtituto hinc accuratiori examine, totam abdominis cavitatem magna quantitate albicantis cuiusdam materiæ repletam deprehendi, quam primo intuitu purulentam eſſe autumavi, licet nullum fœtorem, ſed ſaltem acidulum ſpargeret odorem. Veram eius originem non ſtatim indagare potui, fruſtraque abſceſſum quærebam in hepate, liene, meſenterio & pancreate. Inteſtinorum tandem canalem attentius perveſtigans, circa principium ilei foramen quoddam oblongum & fiſtuloſum offendi, quatuor pollices a primis valvulis conniventibus inferius diſtans, cuius diameter quinque referebat lineas, totaque circumferentia penitus calloſa erat, ex quo, ſub leni inteſtini compreſſione, materia quædam, illi, quam in abdominis cavitate deprehendi, ſimillima, ſcaturiebat. Proinde etiam inſimul in peritonæo deprehendi veſtigium ſeu impreſſionem ambitus calloſi, eiusdem figuræ cum foramine inteſtini, quod ibi probabiliter antea fuit adnatum, eoque ipſo nunc omnis mihi eximebatur ſcrupulus de vera cauſa efficiente mortis tam repentinæ & inopinatæ, dum nempe plaga illa ab equo calcitrante recta & immediate in illum locum erat inflicta, ubi veriſimiliter ſimplici ſaltem modo & ita laxe cum peritonæo cohæſit inteſtinum, ut ſub qualicunque vehementiori impulſu facile iterum inde divelli potuerit: admodum enim difficulter inteſtinum quoddam cum peritonæo adeo arcte & exquiſite uniri ſolet, ut unum quaſi corpus cum eodem conſtituat, aut tale ad minimum, quod variis illis concuſſionibus, quibus abdomen expoſitum eſt, ſufficienter reſiſtere poſſet.

SCHO-

SCHOLIVM.

Vulnera inteſtinorum tenuium ſumme ſunt periculoſa, ſæpiusque lethalia, ac difficillime communiter conſolidantur, partim ob continuum motum periſtalticum, partim etiam ob teneritudinem vaſculoſæ & muſculoſæ tunicæ. Negandum equidem non eſt, quod harum textura paulo craſſior & firmior ſit in duodeno, quodque ieiunum & colon interdum cicatrices monſtraverit, a vulneribus, antea iisdem inflictis, ſuperſtites (*f*); aſt, ſi tenue quoddam inteſtinum penitus diſciſſum aut transfixum eſt, inprimis in vicinia pylori, tunc corpus ordinario & conveniente ſuo deſtituitur nutrimento, læſusque perit ſub tabida illius conſumtione, citius aut tardius invaleſcente, prout nimirum maior vel minor quantitas materiæ chyloſæ per vulneris aperturam tranſit, & vel in cavitate abdominis colligitur, vel extra eandem eliminatur.

Nulla ergo alia ratione vita huius hominis prolongari potuit, quam obturatione foraminis fiſtuloſi in ileo inteſtino, mediante coalitione eiusdem cum peritonæo, qua chyli prohibita fuit excretio. Modus autem talis coalitionis facili concipi poteſt negotio, dum per experientiam iam conſtat, quod ex partibus inflammatis liquor aliquis transſudet mucilaginoſus, qui illas inter ſe coniungit, & adeo arcte ſæpe connectit, ut unum quaſi corpus, plus minusve contiguum, forment. Eiusmodi exempla ſatis frequentia occurrunt poſt inflammationes pulmonum, hepatis, & uteri, ubi viſcera hæc vicinis partibus, eadem ambientibus, adhærent. Sic ergo inflammatio, in parte quadam inteſtini ilei oborta, eandemque excipiens ſuppuratio, cauſa fuit eroſionis tunicarum eiusdem & ſubſequentis illarum cohæſionis cum vicino peritonæo. Præmeditate autem dico cohæſionem ſaltem factam fuiſſe, quoniam

(*f*) Vid. Commentarii Academ. Reg. Scient. Pariſinæ, ann. 1705. pag. 35. ſqq.

niam inteſtinum adeo arcte nondum adhærebat peritonæo, ut in unum quaſi cum illo tranſierit corpus.

Si diſtinctionem quandam hic conſtituo inter *cohæſionem* & *adhæſionem*, licet hi termini in uno eodemque poſſint accipi ſignificatu, eam ob rationem id factum eſt, ut tanto exactius ſimplicem conglutinationem partium & unionem ſeu coalitionem illarum magis immediatam tali modo indicare & denotare queam. Per *cohæſionem* ergo intelligo partium contiguitatem, & per *adhæſionem* coniunctionem illarum intimiorem, quæ ſpeciem continuitatis cuiusdam ſiſtere videtur. Gradualem autem hanc differentiam inprimis neceſſariam reputavi pro formanda exquiſitiore præſentis caſus declaratione.

Ex his enim, & circumſtantiis ſupra recenſitis, concludere licet, quod vehementia plagæ calcitratu inflictæ, ſaltem ſuccuſſionem quandam peritonæi concitaverit, & cutis, ob minorem reſiſtendi potentiam, inde ſugillata fuerit; quod porro ſub concuſſione ita inteſtinum, leviter ſaltem membranæ ambienti adglutinatum, ab eadem ſeceſſerit, & quod tandem violentam hancce ſeparationem immediate exceperit chyloſæ materiæ excretio & tranſitus in ipſam abdominis cavitatem, ubi dein in acidulam degeneravit indolem, partesque membranaceas, & præcipue nervoſas, irritando ac ſtimulando, non ſolum graviores & acutos illos colicos dolores, unacum horrore univerſali, concitavit, ſed ipſam etiam mortem inſimul acceleravit, ut idcirco, ſi læſio hæc a ſocio quodam inflicta fuiſſet huic defuncto, illi nequaquam culpa mortis abſoluta imputari potuiſſet.

Dolores illi colici, quibus per plures annos ſubinde vexatus fuit, originem ſuam duxerunt ex coarctatione magis vel minus ſeſe diffundente circa locum læſionis inteſtini, atque tunc inprimis absque dubio excitati fuerunt, quando per hunc canalem tranſibat materia plus minusve acris, aut denſior & in maius volumen, diametrum illius exſuperans, compacta.

Licet

Licet autem de reliquo in hiſtorica huius caſus enarratione ſponte fuerim profeſſus, me ignoraſſe cauſam horroris illius univerſalis, brevi poſt acceptam læſionem obo ti, monendum tamen eſſe duco, confeſſionem hanc unice in ſimplici & prima ſaltem comparatione ſtatus ſubiecti læſi, & effectus ex plaga inflicta apparentis, fundatam fuiſſe. Sufficienter enim mihi conſtat, quod irritatio partium læſarum ſimul producere potuerit certum quendam gradum conſtrictionis nervorum & ſanguineorum vaſorum, ſub qua progreſſus ſanguinis & fluidi nervei tunc retardatus, & exinde horror magis vel minus ſenſibilis concitatus fuit, quoniam calor noſtri corporis inſimul quoque a motu progreſſivo fluidorum & reactione ſyſtaltica ſolidorum dependet.

(*Mannhemio Halam miſſæ d. 20. Maii, 1756.*)

Obſervatio LXXXII.

DN. D. BALTHAS. LVDOV. TRALLES.

Vteri hæmorrhagia enormis, præceps exitium minitans, ſanata.

Teneriore corporis habitu, ſenſibilioreque nervorum ſyntaxi prædita fœmina, filium & filiam, maturos fœtus & adhuc ſuperſtites faniſſimos infantes, iam enixa, iterumque gravida reddita, ex terrore cum ſubſequente animi iracunda commotione, ſub tertii menſis finem abortum patiebatur. Antecedebat eum & comitabatur, cum intenſiſſimis lumborum & imi ventris doloribus, immanis hæmorrhagia, excluſo tamen cum ſua placentula embryone, ut fieri conſuevit, ſtatim multum remittens, & brevi ceſſans prorſus, profluentibus ſaltem per aliquot dies aquoſioribus & mucidis purgamentis uterinis, lochiis æmulis, nilque polypoſi ſecum ferentibus. Nihil

amplius heterogenei reſtare, quantum manus miniſterio indagare licebat, conſulta obſtetrix plus ſimplici vice aſſeverabat. Ægra quoque, etſi ſumme debilis, quiete tamen corporis & iuſculorum nutrientium uſu, vires dilapidatas eousque recuperabat, ut decimo die lectum relinqueret, atque acu fila ducere & tempus aliquibus negotiis, ſexui ſequiori familiaribus, fallere inciperet. Lætabatur menſæ ſuæ aſſidentem iterum videns, quam ardentiſſimo amore proſequebatur, uxorem, ipſe ſibi redditus maritus, atque in eius ſalutem vini meraci poculum ad fundum evacuans, perſuadebat ipſi blandis verborum lenociniis, ut in uno & altero prandio, ad robur ventriculi & totius corporis inſtaurandum, mediocrem quantitatem quoque ebiberet.

Accidebat interim, ut ſolertem matrem familias actura in famulitii labores curioſius inquireret, damnaque œconomiam turbantia & negligentiæ ſpecimina hinc inde offendens, graviore iracundia commoveretur. Vix vero elapſæ erant aliquot horæ, cum ſanguinem utero elabentem animadverteret, qui ſtatim tanto impetu, tantaque copia rapidi torrentis ad inſtar effundebatur, ut lectulo illatam graviſſimisque lipothymiis adfectam, animam agere adſtantes crederent omnes. Vocatus illico accurro, ſed eheu! optimam fœminam, quam ſoſpitem & ſalvam habueram, ſemimortuam invenio, triſti pallore vultus, glacie artuum, pulſuque deficiente prorſus, fatalem inſtare terminum vitæ poſt tantam ſanguinis iacturam mihi nunciantibus. Quomodocunque Commentatoribus interpretari placuerit dogma Hippocratis Patris, Sect. V. Aphor. 56. *Si fluxui muliebri convulſio & animi deliquium ſuperveniat, malum;* hic certe ſonticas ſubeſſe cauſas coniectu facile erat, non niſi tragicum eventum exſpectandum fore ab illo fluore vitalis purpuræ, qui largus & pertinax perdurabat, mortisque imaginem ſyncopticis debilitatibus iam inferebat. Neque vanum eſſe convulſionum ab inanitione metum

metum ſatis docebat gelidorum artuum rigor, tendinumque in carpis tremor & ſubſultus, qui, pulſus penitus depreſſi loco, digito inquirenti ſeſe manifeſtabant.

Quantum poſſibile erat, ego ſuadebam in his anguſtiis, ut, omnibus ſpirituoſis excitantibus, quibuscunque demum titulis ſeſe commendare illa videbantur, prorſus valere iuſſis, ad quietem perpetuam vergens vitalis ſanguinis circuitus frictionibus artuum ſine intermiſſione adhibitis ſuſtentaretur; quibus quidem cum aceti roſacei, quod præſto erat, naribus continuo adhibiti uſu efficiebatur, ut ſubinde a limine æternitatis revocari videretur in hanc vitam, abitum, moveri deſinente ſibi iuncta machina, parans anima. Triſtiſſimum ſpectaculum mihi præbebant ſupremi amplexus, quibus rebus terreſtribus præter omnem expectationem valedicturam amantiſſimam uxorem morari moliebatur inter gemitus & clamores mœſtiſſimus maritus. Neque minus tragicum erat videre eam ad incitas redactam, & frictionum vi interdum ad momenta aliquantisper reviviſcentem, maritoque & adſtanti ad alterum lecſuli latus ecſtaticæ ſorori, oculis, qui in morte natabant, utrinque deflexis, atque ſuſpiriis triſtem avulſionis ſenſum ſignificantem, dum ſumma debilitas vocem inhibebat. Advocata ſimul acceſſerat obſtetrix, quæ tota terroribus & anxietatibus perculſa, experientia diuturna magis per rerum externam faciem edocta, quam ratiociniis adiuta, in aurem mihi inſuſurrabat, vix per pauca momenta, adeo immani ſanguinis iacturæ, longiori vita dignam & ſuis omnibus deſideratiſſimam fœminam ſupervicturam. Non indigebam quidem notitia huius prognoſeos, cum lugens ſatis acerbam iam formaſſem ipſe; attamen non inutilis mihi erat fida relatio, nil polypoſi, nil membranacei, neque concretos grumos utero eiici, ſed puriſſimum & floridiſſimum ſanguinem per brevia intervalla incredibili copia profundi.

Sane

Sane si unquam alibi, hic certe non licebat Fabium Cunctatorem agere, atque expendere matureſcente conſilio quid agendum eſſet; ſed una indicatione urgentiſſima, de quantocyus ſiſtendo, ſi fieri poſſet, ſanguine, ſtabilita, uno intuitu adſpiciendus erat omnis illi ſerviens medicamentalis apparatus, atque ex eodem fidiſſimum & promptiſſimum remedium celerrime ſeligi debebat. Imo vero ut & tale adhuc locum ſuum invenire poſſet, minutiſſima vita, quæ ſuperſtes erat, conſervari utcunque & ſuſtentari debebat; quare, frictionibus perpetuis imperatis, excitanteque aceto, nil habente quod humores exagitaret, improbo labore naribus admoto, ut toties, quoties conditiones ægræ permittebant, lac tepidum cum pauco ſaccharo ori cochlearis miniſterio inſtillaretur, ſuaſor exiſtebam. Huic fini poſtquam proſpexeram, unice de ſanguine ſiſtendo cogitans, ſatisque gnarus, nec copiam, nec impetum humorum, nec orgaſmum eorum in hoc caſu, ſed unam nimiam dilatationem oſculorum peccare, quibus extremi arteriarum apices in uteri & vaginæ cavum hiant, de his protinus adducendis & occludendis feſtinanter cogitandum eſſe intelligebam.

Igitur omnem alium apparatum remediorum, quo alioquin convenienter hæmorrhagiis obicem ponere molimur Medici, iam nequaquam indicari, ſed ſola adſtringentia ſalutem, ſi ulla alia, promittere, inſpecta directo obtutu morbi facie clarum reddebatur. Num vero ea propter præſcribere fas erat celebratam illam Potionem Sylvii, ex aquis burſæ paſtor. equiſet. plantaginis, vere nil adſtringentis ſecum ſuper alembicum evehentibus, coralliisque, lapide hæmatite, laudano opiato, & aceto conſtantem, Lentilio, Hoffmanno, Heistero, Helwigio noſtro & aliis toties laudatam? Num Hevrnii pulverem ſtypticum, quem ſpeciatim uteri hæmorrhagiis coërcendis deſtinavit Auctor, ſemen hyoſcyami, lapidem hæmatitem & corallia itidem recipientem? Num pulve-

rem

rem HELVETII, ex alumine & ſanguine Draconis conflatum & ab eodem, *Traité de pertes de ſang*, in omnibus profluviis ſanguinis ſine exceptione commendatum? Num pulveres ex ſpeciebus de Hyacintho, Croco martis aperitivo STAHLII & MP. de Cynogl. qui recentioribus placuere, hic in uſum vocare expediebat? Sane opiata in tanta proſtratione virium tantum non Practici unanimi conſenſu vetant, atque, ut nil diſſimulem, mihi quidem firma animo, licet opinioni communi prorſus adverſans, hæret ſententia, publico ſcripto, ſi DEVS vitam & vires conceſſerit, inter alia olim liquido demonſtranda, Opium in ſe & ſolum ſpectatum potius iuvare ſanguinis e vaſis ſuis eruptionem, quam eandem vere ſua actione refrænare & cohibere. Adſtringentia vero cuiuscunque generis quod attinet, turpiter falli eos exiſtimo, qui eadem, ore aſſumta, niſi dilutiſſima fuerint, & largiſſimo aquoſo comeatu inſtructa, pergere ad remotiora ab inteſtinis loca, atque ibidem, ex nutu medentis, ſuo contactu conſtringere & occludere patula nimis vaſculorum oſtiola, ſibi imaginantur, cum potius ipſa ſibi introitum in lactea vaſa & reſorbentes venulas adſtringendo intercludant. Non dicam, omnia adſtringentia, vaſa, quibus applicantur, anguſtiora reddendo, affluxum ad affectam partem, utpote reliquis debiliorem, mechanica & hydraulica neceſſitate potius augere debere. Verum enim vero ſi occulta agendi ratione id efficerent omne, quod ipſis tribuitur in hæmorrhagiis ſanandis, interne ſumta adſtringentia, ſaltem in præſenti caſu ſine præiudicio æſtimata, ſegnia nimis, ob longum, quod emetiri debuiſſent, iter, habita merito fuiſſent & ab iis, qui ceteroquin multum fiduciæ in iis collocare ſolent.

Flagitabat, opinor, præceps periculum, brevique calva futura & per pauca ſaltem momenta fronte ſeſe capillatam præbens occaſio, ut propius utero deſtinarentur topica adſtringentia; horum igitur ſupellectilem, hæc applicandi modos

velociſſima penſitatione animo contuebar. Bene reminiſcebar epithematis, cuius quidem vim pro menſibus nimiis ſiſtendis ſemper fere efficaciſſimam ſeſe obſervaſſe affirmat FREINDIVS, *Emmenol. Cap. XIII. Hiſt. III.* ex cort. Granat. rad. torment. flor. roſarum rubrarum, & balauſtiorum, in aqua ferrariorum coctis, colaturam pro fomentatione abdomini & pubi applicando. Verum nec eousque differenda erat medela, donec hoc pararetur. Menti quoque ſtatim obverſabatur evporiſton acetum vini, quod cum variis Auctoribus RIVERIVS *Operum in Fol. pag. 374.* laudat, ſpongiæque ope regioni pubis applicari iuſſit TIMÆVS *Operum p. 188*, quodque in forma fotus adhibitum maximopere commendavit HARRISIVS, *in Obſervationibus*, calci Tractatus *de morbis acutis infantum* adiectis, *Obſ. X.* Id vero mulierculis noſtris uſitatum remedium cum linteis multiplicatis pubi & toti abdomini, ex quo ſanguis profluere cœperat, iam domeſtico conſilio fuerat admotum. Neque etiam dememineram epithematis, cuius cum encomio mentionem facit HILSCHERVS, Diſſert. de *Fluxu menſium immodico*, ex aqua roſarum, aceto roſar. nitro & ſacch. Saturni parandi & ſubfrigide pubi & lumbis applicandi, quod & LENTILIVS, teſte *Eteodromo* eius, adhibere ſolitus eſt. Non minus revocabantur mihi in memoriam ea, quæ legeram apud laudatum HARRISIVM loc. cit. fotum nempe ex ſpiritu vini rectificato, calide cum pannis laneis admotum & reiteratum, ſiſtere poſſe pertinacem menſium fluxum, quando nulla medicamenta interna ſcopum deſtinatum attingunt, atque adſtringentia & narcotica non ita tuto adhiberi poſſunt. Multa fiducia, fateor, recurriſſem, ut alio tempore non ſine magno fructu recurreram, vel ad lithargyrii acetum, vel ad ſpiritum vini, qui adeo quando ex vaſis, vulnere diſſectis, cruor confertim erumpit, ut norunt periti Chirurgi, extemplo erumpenti coagulum inducit, villosque vaſorum hiantium adducit & ſtringit, meritoque, licet bona tum præ-

præſtet malis aliquibus mixta, pro potentiſſimo ſtyptico declaratur a BOERHAAVIO, in *Chem. Tom. II.* Verum enim vero licet omnium horum topicorum vim haud mediocrem expertus noſſem ipſe, in tanta tamen rerum anguſtia dubitabam non ſine ratione, an ſatis celeri efficacia per omnia abdominis integumenta externa penetratura ſit ad ipſa interna uteri & vaginæ oſtiola.

Omnium autem remediorum, quæ evporiſta hic habere decebat, ſumme evporiſton ſine dubio erat aqua frigida, quam Veterum & Recentiorum haud pauci ut aliis ægritudinibus, ita & profluviis cruentis intus & foris adhibendam commendant. Mihi quidem apud ægram meam quo minus frigida abdomen perfundi & ablui facerem, obſtabat emortuali frigore iam perfuſum corpus, extincto fere omni calore vitali; firmiterque mihi perſuadeo, accidere interdum, & ſæpius forte, ut aqua gelida, extus admota, introrſum urgeat appulſum humorum, & fluxum minime ſiſtat, niſi ſtricturæ potentiores ad partem affectam, ab exterioribus, aquæ frigore conſtrictis, propagentur. Sane ut in hæmorrhagia narium graviore, quando ad topica adſtringentia, multa cum cautione adminiſtranda, iure confugimus, potentiſſima quævis, fronti, temporibus, nuchæ impoſita, nil tamen iuvant, nilque etiam iuvarent, ſi naſi ipſius omnis externa ſuperficies iisdem humectaretur iugiter; ita & hic adſtringentia abdomini applicanda nil laudabilis effectura firmiter credebam. Quemadmodum vero diutius & impetuoſius ex naribus erumpente ſanguine, naribus ipſis induntur turundæ, ſolutione aluminis, Vitrioli, ſacchari Saturni madidæ, aut liquores adſtringere apti ipſis naribus inſpiratu attrahuntur, aut iis iniiciuntur, tumque, quando immediato contactu agunt in apices arterioſos, ſanguinem plorantes, eius eruptionem protinus ſiſtunt; ita & hic immediatam actionem adſtringentis remedii & arteriolarum uterinarum, plus

iusto hiantium, unice cohibere posse cruoris rapidam effusionem mihi persuadebam.

Pensitabam igitur perniciſſima cogitationum ſucceſſione quale ex notis mihi convenientiſſimum haberi promereretur. Sanavit fœminas, hæmorrhagia uteri diuturna fere conſumtas, peſſariis ex adſtringentibus vegetabilibus maximam partem paratis, liquorique ſtyptico intinctis, Decus olim Academiæ huius Cæſareæ, celeberrimus ALBRECHTVS, *Ephemer. N. C. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 29.* Hic vero minus opportunum erat exſpectare, donec hæc remedia Pharmacopœus præparaſſet. Nil ergo magis hic indicari mihi credebatur, quam iniectio in uterum, ſeu clysma uterinum, non quidem diffuſo & compoſito adſtringentium apparatu confectum, quale eſt illud, quod ex foliis polygoni, plantag. millefol. burſ. paſtor. coctis cum aqua, addito ſucco acaciæ, ſanguine draconis, lap. hæmat. & bolo Armen. collaudavit RIVERIVS *Operum pag. 374.* ſed extempore & ſimpliciſſima & celerrima arte præparandum. At vero quod magnum erat noſtrum infortunium, non ad manus erat ſipho ad hoc negotium requiſitus, qualem ex MAVRICEAV delineat illuſtr. HEISTERVS, *Chirurg. lat. Tab. VI. fig. 12. & 13.* Non recordabar, affectibus & cogitationibus diſtractus, lecti olim conſilii, quod fœminæ ex uteri hæmorrhagia agonizanti dederat clariſſ. GERHARDVS, Medicus Numburgenſis, *Annal. phyſ. med. Wratislavienſ. Tentam. XIII. pag. 216.* nempe ut mediante tubulo clyſmatico ipſa ſibi, quo & pudori intempeſtivo ſatisfieret, tepidam iniiceret ſolutionem Gummi arabici, tragacanthi, ichthyocollæ & ſarcocollæ, quod & illo cum fructu factum, ut poſt quartam iniectionem ſanguis ſiſteretur. Verum & glutinantibus talibus confidere dubitaſſem in hoc caſu, fortioribus omnino, citiſſimam adſtrictionem ciere aptis, opus eſſe ratus.

Bona fortuna in mentem veniebat lapis medicamentoſus CROLLII, cuius ſolutionem mediantibus linteaminibus in vaginam

nam immittendam in eiusmodi urgentibus casibus esse dixit Nevmannvs, *Chym. p. 508.* Neque minus animo obversabatur caput mortuum Vitrioli, cuius solutione imbutum linteum, apte contortum, in sinum uteri, quousque fieri potest, intrudi iussit Hoffmannvs *Med. rat. system. Tom. IV. Part. II. p. 120.* voti sui, de cohibendo sanguine, feliciter damnatus. Sperabam unum vel alterum & meæ ægræ, si possibile foret, profuturum; sed utroque remedio adhuc præstantius habebam Vitriolum martis, in quo, ob saturatum prorsus acidum, ne tantillum quidem irritantis supereſſe sciebam, quod ulla ratione sensibilem & delicatulam ægram offendere posset. Illico igitur ex Pharmacopolio, non multum ab ædibus eius remoto, afferebatur martis vitriolum, quod ea quantitate in aqua simplici dissolvebam ipse, ut hæc linguæ meæ sufficientem adstrictionis sensum imprimeret, hacque aqua probe humectatum, formatum ex linteo, aliquem pessum obstetrix blanda enchiresi vaginæ, ad orificium uteri internum usque, immittebat. Vix dici potest quam promptam opem, omnibus adstantibus plusquam semimortua & fere exanimis habita ægra inde experiebatur; namque ex lipothymia gravissima, ipsam mortem referente, frictionibus & spirituosis, naribus admotis, adiuta, post aliquot minuta ad se redibat, ac quid secum ageretur depressa & interrupta voce sciscitabatur. Præsto erat tenue pulli iusculum, quod crebro, sed parcius, ipsi sorbillandum offerri curabam, nondumque horula erat elapsa, cum, silente penitus cruoris effluxu, eousque vires, adeo antea collapsas, colligeret, ut monitis meis indigeret, ne nimis colloquens & movere incipiens corpus, quod in summa quiete conservandum erat, eruptionem denuo invitaret. Hoc regimine serio iniuncto discedebam, alteroque mane ipsam, post noctem somno blandissimo transactam, erecto animo, viribusque magis, quam credidissem, refectis, magna mea voluptate inveniebam.

Continuabatur lacticiniorum iuſculorumque nutrientium varii generis uſus, cumque omne periculum vitæ longius abactum exiſtimaret puſillanimitatis vitio nunquam laborans fœmina, me fere inconſulto linteum vaginæ eximebat, quod tamen indere denuo cogebatur, cum ſanguis, quanquam ſine impetu, guttatim tamen exſtillare iterum inciperet. Verum eadem hac arte, quæ iam adhibita erat, ipſi ſtatim ponebatur obex, eiusdemque aliquoties adhuc in uſum vocatæ beneficio, omne profluvium ſanguineum in totum feliciter cohibebatur, redeuntibus ſenſim cum appetitu, integerrimis viribus, ita ut ſaltem de roborando tono uteri, mirum quantum debilitati, & arcenda hac ratione recidiva, mihi cogitandum eſſet. Demandabatur hoc munus cortici Peruviano, cuius quidem in morbis quibusdam uterinis efficaciam a SYDENHAMO debilitati hyſtericæ rectiſſime deſtinatam, plus ſimplici vice me præſtantiſſimam obſervaſſe recordor. Capiebat quater de die ſcrupulum unum ſelectiſſimi corticis, quem ad omnes hæmorrhagias inſtar arcani olim laudavit Academiæ noſtræ Socius, clariſſ. HELDIVS, *Ephemer. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 170.* atque extra nimii orgaſmi tempus mira præſtare teſtatus eſt Illuſtr. WERLHOFIVS *Obſ. de Febr. p. 53.* Pergebat in uſu, qui toties non fœmellis ſaltem, ſed & delicatulo virorum palato diſplicet, ſtrenue per tres hebdomadas, milleque encomiis deinde in publicis conventibus nobile hoc remedium amicis mulierculis commendabat.

Tanto vero magis anno elapſo pateſcebat huius energia & ſolutionis martialis innocens utero virtus, cum graviditatis iteratæ menſibus ſine graviore incommodo ſuperatis, filium ſaniſſimum in lucem ederet, quem ſubſequente anno alius iterum ſequebatur, cum ſuo fratre adhuc ſuperſtes. Mater autem ipſa ſatis bona ad hunc diem, pro corporis ſui fabrica, valetudine fruitur, niſi quod menſium largiorem fluxum & in puerperio profuſiora lochia ſemper experiatur, hæreditario,

opi-

opinor, a ſua genetrice in ſe derivato vitio, quæ, ut mihi relatum eſt, Medico olim ſuo eapropter multum negotii faceſſere ſolita fuit. Noſtram quod attinet, illa quidem ſubinde paulo diuturniore corticis aut Spadanarum uſu teneritudini & debilitati vaſorum conſulit, docetque ſuo exemplo, tum, quando cum ſanguine ipſam vitam ex utero brevi effluxuram conditiones loquuntur, potentiſſime & certiſſime reprimi poſſe vitrioli martis ſolutione fluxum, maxime ſi eadem per metrenchyten iniiciatur, cum hac ratione felicius in ipſius uteri cavum usque penetrare queat. Neque tantillum infauſti functioni huius viſceris metuendum ab iniecto hoc liquore adſtringente, qui ventriculo totique corpori amicus eſt, multosque morbos a laxitate & alios, BOERHAAVIO, in *Chemia*, teſte, per dies continuos mane epotus ſanat. Quare ſi ſola laxitas ſubeſt, atque vere hæmorrhagiæ indoles iubet, ut reprimatur fluxus, etiam nondum inſtante vitæ periculo mature adhiberi & multis remediis aliis præferri meretur, immediate tamen oſtiola uterina, in damnum ſanitatis & fœcunditatis, nimis occluſurus. Cavendum ſaltem, ne tum, quando fruſta laceratæ placentæ, vel concrementa polypoſa, aut grumi ſanguinis in utero hærent, intempeſtive iniiciatur. Namque rebus ita ſeſe habentibus nil proderit iniectio, quia non niſi excluſo heterogeneo omnique cauſa irritante ablata, demum ora tubulorum arterioſorum nimis aperta, cum tota ſubſtantia uteri, ſeſe contrahere poſſunt. Inſuper vero etiam eiusmodi iniectio nocebit, dum in utero moratur & detinetur id, quod avulſum ab eius parietibus vaſisque eius non amplius nexum, ſuam indolem, naturali calori uteri expoſitum, ſequens, corrumpitur & putreſcere incipit, labemque tum facile ipſi utero affricare valet.

(*Wratislavia Halam miſſa d. 6. Iun. 1756.*)

Obſer-

Observatio LXXXIII.

DN. D. CAROLI AVGVSTI de BERGEN.

Historia anginæ apostematodes, anno 1755. ab æstate ad finem autumni in Rampizensi præfectura, Neo-Marchiæ tractu, prope Francofurtum ad Viadrum grassantis.

Non sine honorifica nominis Dn. I. G. O. *Richteri*, verbi divini ministri Rampizensis, & viri in republica litteraria edito suæ Ichthyo-Theologiæ specimine clari, commemoratione, sequentis morbi historiam communico, cuius rumor cum ad nostram pervenerit urbem, effecit, ut prælaudatum Virum, ocularem grassantis morbi testem, rogaverim, ut eius descriptionem benevole mecum communicaret. Quod ipsum cum libenter fecerit, relationem eius, in latinam duntaxat a me versam linguam, sicuti accepi, fideliter illustris nostræ Societatis Actis reddo & insertam cupio.

Per integros quinque menses, a Iulio ad Novembrem usque a. p. hac in nostra diœcesi, quæ centum ultra mille homines numerat, infantes fere omnes, paucis exceptis, diversæ ætatis, bimuli, trimuli, decem ad tredecim annorum, cum hoc morbo conflictati, quinquaginta quatuor vero eodem defuncti sunt.

Morbi noviter ingruentis hæc fuerunt symptomata: Aegroti conqueruntur de faucium & abdominis doloribus *g*), posteriores tamen transitorii sunt, & paucis remediis facile auscultant, cum e contrario si deglutiendi difficultas & faucium dolor

g) Eiusmodi angina epidemica, quæ non tam apostematodes, quam γαγγραινωδης indolis fuit, Parisiis grassata est 1748. Vid. *Dissertation historique sur l' espece de mal de gorge gangreneux, à Paris* 1749.

dolor increſcit, dolori ſuccedit tumor inflammatorius uvulæ, tonſillarum & totius veli penduli palatini, aucta vero in dies inflammatione, ſuffocantur miſeri. Oppletio pectoris, cum reſpiratione difficili & ſonora, ceſſante iam cibum & potum deglutiendi facultate, potuque per nares redeunte, certiſſimum imminentis, & intra ſex horas ſubſequentis mortis indicium erat. Teneris infantibus, hoc malo correptis, nulla erat ſuccurrendi poteſtas, adultioribus vero, quibus tempeſtive convenientia exhibita fuerunt remedia, ſuperato nono die, natum ex inflammatione rumpebat apoſtema, ſicque eluctabantur. Non dubito plures conſervari in vita potuiſſe, ſi medicaſtrorum loco experti in auxilium vocati fuiſſent Medici, gentisque ruſticæ præiudicium de ſingulari quodam fato tolli potuiſſet. Aegroti, qui cura, regimine & diæta congrua ſalvabantur, ſuperato morbo, per ſequentes ſex vel octo ſeptimanas, aut ſonum loquelæ naſalem, aut aphoniam quaſi retinebant, aut parotidibus colli laborabant, aut per quatuor ſeptimanas diſtincte videre non poterant, hæcque ſymptomata in tanto maiori gradu aderant, quo liberalius infantes durante morbo frigidam biberint, vel auræ frigidiori ſeſe expoſuerint. In quibusdam infantibus, qui de dolore faucium non adeo conqueſti ſunt, ingentes prodibant tumores, in locis obſcœnis, pueris in ſcroto, & puellis in labiis pudendorum, qui tandem ſuppurati & rupti largiter pus fundebant. Vnus, quantum recordor, puerulus, qui ſumma ſcroti inflammatione laborabat, fatis cedebat, dum interea eius ſoror eadem hora ex angina ſuffocabatur. Omnes iuvenes & puellæ, vix tribus exceptis, tumore & dolore pedum laborabant. Ex adultis vero, viceſimum annum iamiam ſupergreſſis, pauci erant, quos angina vexabat, unica tamen iunior fœmina, hecticæ diſpoſitionis, angina correpta animam reddidit, & duo coniuges eundem ſuperarunt morbum, quorum bini infantes moriebantur. Verum cum morbus hic terrorem Panicum, & non immerito,

incuſſerit omnibus, parentesque de liberis ſalvandis admodum ſolliciti eſſent, de eius cauſa toties quæſitum eſt. Tu, mi lector, quid ſentiam hac ſuper re, paucis habe: A ſex vere ſeptimanis continua dedicit pluvia, ut aquarum undique ſuccederet inundatio; concludo itaque, cum infantes nil niſi hanc aquam biberint, inde hunc morbum illos contraxiſſe, qui, licet populariter graſſaretur, minime tamen contagioſus fuit *b*). Aliquando veſpertinis horis, cum uxor mea pulverem antiſpasmodicum ex aqua frigida ſumeret, in vaſculo, frigidam continente, quicquam obſervo, quod ſe movet & agitat. Sepoſito & obturato per noctem vaſculo, ſequenti mane hanc aquam microſcopio ſimplici contemplor, & in ea non ſolum vermiculum anguilliformem, ſed & aliud longe minus inſectum, pulici aquatico ſimile, obſervo, unde concludo, hæc inſecta proximam huius mali popularis cauſam conſtituere, & forte maiores vermiculos, ſub potu aquarum deglutitos, inteſtinorum dolores, minores vero, in faucium anfractibus remanentes, ipſam anginam progeneraſſe. Omnibus hic loci ſenibus in confeſſo eſt, præcedentis anni meſſem utramque, & camporum, & pratorum, adeo pluvioſa turbatam eſſe tempeſtate, ut poſt hominum memoriam ſimile quid accidiſſe haud recordentur; ſtagnantes hinc inde aquæ putreſcebant, & nullibi pura reperiebatur ſcaturigo, hinc & frequentiſſime laborabant, quibus hæc lympha pro potu erat.

In curatione multi multa tentabant, ſed irrito ſucceſſu; ſequens tamen methodus præ ceteris ſeſe probavit. Parabantur

b) Dudum docuit experientia, morbos populariter graſſantes eſſe vel contagioſos, vel minus; priorum minera in ipſa atmosphæra hoſpitatur, & nulli ſexui, nulli ætati parcet. Poſteriores non niſi alimenta & potulenta noxia pro cauſa agnoſcunt, quales ſunt, præſens affectus, & morbi populares a ſecali uſtilagine corrupto provenientes.

tur gargarismata ex melle in aqua cocto, quibus os ſæpius eluere iubebantur tenelli; aut melli ſubſtituebant rob ſambuci. Optimum effectum exerebat lac cum floribus chamæmeli coctum & ſiringa iniectum, aut inſtar gargarismatis adhibitum. Idem vere prædicandum eſt de floribus malvæ. Natu maiores ex uſu gargariſmatum magis proficiebant quam teneri infantes. Externe ſimul adhibebantur fotus & epithemata ex melle, floribus ſambuci, radice ſymphyti maioris cum aqua coctis. Decoctum ſalviæ non minus ſalutarem præſtabat effectum. Commendabatur ceteroquin potus calidus, ex infuſo theæ vel decocto avenæ excorticatæ; caput & collum ab acceſſione auræ frigidioris ſtudioſe muniebatur, ſicque leni transſpiratione ſæpe diſcuſſio huius tumoris obtinebatur. Tandem iis, qui eluctabantur, exhibebatur lene laxans. Pedes tumidi & morboſi ab eadem cauſa curabantur mundatis ſordibus, iteratis balneis, iniunctaque lege, ne amplius nudis incederent pedibus, ſed tibialibus & faſciis bene tectis, & quovis modo aërem arcentibus. Rampitii, die XII. Februar. 1756.

I. G. O. Richter.

(*Francofurto ad Viadrum Halam miſſa d. 13. Iun. 1756.*)

Obſervatio LXXXIV.

DN. D. IOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

De

Lapidis porcini famoſi inertia, impoſtura ac vi imaginaria.

Porcinum lapidem, *Pedra del porco* vulgo dictum, magnam exerere poſſe vim iatricam, in febribus præſertim qui-

buscunque, tradiderunt olim & adhuc Medici, ſpecie formoſi admodum globuli forſitan, aut mercatorum fide vel furto decepti; aſt, re rite perquiſita, nil niſi ſuperſtitionem, opinionem, ipſumque lapidem fallacem comperii. Vidi enim, curioſe ſatis ſcrutatus, toties naturæ effectum remedii efficaciæ perpetim eſſe attributum, in quo manifeſte inerratur. Nunquam quoque olim iuvenis credere potui, in tam parvulo lapide tot centenas medicas potiunculas parandi vim ineſſe, aut magicam merito eam credendam ſtatui; unde omnino id abſurdum putamus, qui hunc lapidem novimus ex bile cum glutine eſſe concretum, neque idcirco immenſam illum habere vim aut imperceptibilem, aut magicam, cenſemus, quemadmodum multi de eo, ut de Rhinocerote, fabuloſe tradunt. Impoſtura mercantium procul dubio primum impoſuit incautis nimiumque credulis Medicis. Rite rem, experientia nixus, exploravi ſæpius, detecta protinus & vanitate & falſitate, nec me ſeducere unquam potuit Seplaſiariorum ſuperba oſtentatio ac temeraria venditatio, qui inepte ſatis de hoc ſuo idolo parvo, rotundo, doloſo, cingulo licet aureo ac catena, qua ſuſpenditur, exornato ac ligato, iactitant, quod illum, quem propriis viribus natura ſuſtulit, morbum levaverit, ſolaque fœnoris cupidine ſummis id exornant elogiis, quod medicamenti nomine prorſus eſt indignum. En dolum!

Impoſtor grandis, huius loci Pharmacopola, per annos plures vendidit meo tempore Cardui benedicti foliorum infuſionem ex aqua frigida confectam, quoties Medici præclari lapidis porcini infuſionem præſcriberent; benignæ naturæ opere ita ſucceſſit, verus ac ſi lapis adhibitus fuiſſet. Nemo inter Medicos, per id tempus, dolum detexerat, quum præſidium hoc ex opinione auxilium attulerit, donec, cognita fraude ac mulcta Pharmacopœo irrogata, hoc adeo inepte laudatum cardiacum ac febrifugum, olim ingenti in pretio conſtitutum, penitus evaneſceret. Ecce impoſturam veram & erra-

tum

tum commune, tum Medicorum, tum ægrotantium, tum impostoris!

Alii seplasiarii idem experti sunt, vendentes infusionem fabarum St. Ignatii, aut Ligni Colubrini aliorumve, quæ amarum præbent saporem. Hi æque felices autem in sua arte fuerunt, atque ii, qui genuinum adhibuerunt lapidem, manifestata pariter quoque tandem fallacia. Vt vero rite expiscarer inanem globuli virtutem, accidit, ut periculum facere potuerim, graviter tertiana febre decumbente septuagenaria quadam matrona, corticis Peruviani usum prorsus renuente. Hæc, duas accessiones passa, desiderat ac anxie poscit porcinum, quem possidebat ipsa, lapidem, qui, vel mille minimum florenis belgicis valens tunc temporis, genuinus a quovis perito atque a me iudicatus est. Eo certius experiri nunc potui, virtusne aliqualis febrifuga & cardiaca in eo deliteſcat, an nulla. Quare facta mihi agendi potestate, eius infusionem, cum decem unciis aquæ calidæ ad flavedinem usque factam, una nocte, qualibet hora uncias duas præbendo, hauriendam curavi. Putatitium remedium per quatriduum dosi satis magna adhibitum, (ut pretium vel ultra ducentos florenos intra exiguum hoc tempus imminutum fuerit,) recusavit tum demum respuitque ægra ut vanum vel inefficax, nullum plane sentiens febris levamen, nullam virium refectionem, nullam catharsin, vel diuresin, aut sudorem, uti vulgo quidem fingitur, talia contingere debere. Post quintum paroxysmum degeneravit intermittens febris in acutam continuam, quumque cortex Peruvianus in usum vocari non posset, accessit delirium ac undecimo die mors. Fuit vero hæc febris vere primum intermittens, quæ per modo dictum corticem tuto ac certo tolli potuisset, teste multiplici experientia. Quid igitur sentiendum de iis, qui per hoc commentum adeo pretiose simul ac periculose hoc mali genus curare nituntur? Ad hæc adiicio, quam primum Amstelodamum accessi, subito agnovisse

me numerosas illas, quæ quotidie & communiter committebantur, fraudes, dum Medicis & doctis & expertis communis erat pretiosorum, tam lapidum, quam aliorum medicamentorum usus penitus vanus & iners. Incredulus igitur periclitatus scrutando diu, vidi tandem vana esse & fuisse eiusmodi imaginaria præsidia, nullamque habere virtutem vel fugandi febrem, etiamsi leviſſimam, vel vires reficiendi, neque eadem movere alvum, neque sudorem aut diuresin provocare, sive in principio, sive sub incremento aut statu febris fuerint exhibita. Quando autem hæc ad finem inclinabat, naturaque medicatrix motus ciebat salutares & excretiones restituebat, tunc cum admiratione audivi ineptas exclamationes: quantum auxilium! quam excellens remedium! Idem autem toties adverti, quoties non hoc solum, sed etiam vulgaria adhibita fuere, male sic inerti remedio id adscribendo, quod viribus naturæ tribuendum fuisset.

Lapidem bezoar, qui ex utraque India huc adfertur, æque inefficacem deprehendi, tam ad mitigandas febres, quam vires roborandas, sicuti de porcino iam monui. Abunde satis centena me id docuerunt exempla, in hac celebri & copiosa civitate occurrentia & sedulo a me animadversa. Christiani quidem Medici vix amplius quicquam fidei habent hisce lapidibus, credulitatis nimiæ pudore suffusi; neque etiam margaritis aliisque huius generis crepundiis singularem aliquam concedunt virtutem. Ast Ebræi, haud minus eruditi huius loci Medici, utrumque Bezoar magnis adhuc extollunt laudibus, & quasi sacramento singulares eius virtutes in febribus confirmant. Sed credat Iudæus Apella, non ego, qui non omnibus fidem temere præbeo deierationibus.

Quod de reliquo porcinum attinet lapidem, iis, qui præiudicio de eximiis eius virtutibus irretiti sunt, ulterius illuditur, dum persuadere illis conantur mercatores, quod speciali, utut perquam ridiculo, quodam charactere genuini tales gaudeant

deant lapilli, eiusque ope a ſpuriis diſtinguantur. Sancte enim mihi adſeveravit mercator quidam pius magis quam callidus, ex Indiis redux, permultos ibidem ſe coëmiſſe lapides porcinos, ſemperque certiorem redditum fuiſſe de genuina illorum conditione, ſi ſiccum talem lapidem eousque intra volam manus compreſſum detinuerit, donec incaluerit, & prævia dein ſuctione, in dorſo manus inſtituta, ſaporem amarum diu in ore perceperit, omnesque illos, qui hunc non monſtraſſent characterem, ſpurios & artefactos fuiſſe. Quis autem eſt, qui credat, ſiccum lapidem ita calefactum per totam manum, intus humidam, amarum ſaporem ad os uſque ſugens transferre poſſe? Reſipiſcimus ergo & ſuperſtitionem æque ac dolum in hoc errore multum valuiſſe agnoſcimus; vitare autem utrumque, noſtrum eſt.

Obſervatio LXXXV.

DN. D. IOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

Hymen prorſus impervium, menſtruum fluxum diu retardans.

Virgo quædam nobilis, nondum hactenus menſtruum fluxum experta, circa duodeviceſimum ætatis annum debilis, pallida & macilenta evadit, menſtruisque periodis doloribus lumborum & abdominis moleſtiſſimis frequenter adfligitur, ſuperveniente tandem & e genitalibus protuberante prægrandi tumore, livido, dolorifico & æſtuante. Medicis illius loci hoc mali genus inſolitum ignorantibus, peregrinus quidam, aliunde accerſitus, hymen non perforatum iudicans, id incidendum ſtatim curavit. Ex vulnere illico cum aliquali impetu ſanguis copioſus effluxit, aliquo modo nigricans, non tamen putris, ad tres uſque libras vulgares. Menſtruum dein fluxum

ſuo

ſuo tempore regulariter experta, nupſit viro ſeni, perfecte ſana ac valens, atque intra quatuor annorum ſpatium aliquoties fœtus ſatis robuſtos in lucem edidit. Sic ergo, quod medicamina haud efficere potuerunt, Chirurgia efficax præſtitit.

Obſervatio LXXXVI.

DN. D. IOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

Hymenis coalitus inſolitus, diu etiam poſt operationem factam recurrens.

Virgo quædam Ebræa, nondum vigeſimum annum agens, menſtruam purgationem hactenus legitime & ſæpius experta, ſimili termino adpropinquante, ſubito acutum quendem intra genitalia ſentit dolorem ac tumorem mediocris magnitudinis, cum febre, laſſitudine corporis, aliisque ſuſpectis ſymptomatibus. Chirurgus Ebræus in auxilium vocatus & genitalia inſpiciens animadvertit admodum exiguum hymenis foramen, tenuiſſimum vix admittens ſpecillum, poneque illud tumorem deprehendit. Facta ergo protinus inciſione ſatis ampla, coagulati ſanguinis magna prodiit moles, ceſſantibus mox doloribus, ac recurrente fluxu ordinario, ut iam valeat læta ac nubilis virgo. Alio tempore contigit, ut fœmina quædam recens nupta, quum maritum admittere non poſſet, iuſſu Magiſtratus inſpectioni Chirurgi & obſtetricis ſubmitteretur. Hymen prorſus fere clauſum & impervium deprehenditur. Diſcinditur ergo, fœmina hinc ſaneſcit, admittit virum, gravida fit, fœtumque partu excludit. Cum marito more conſueto libere iterum concumbit, at poſt ſex menſium intervallum iterum mariti ingreſſum ferre non potuit, tuncque hymen, denuo coalitum ac prorſus fere impervium inventum,

tum, ſcalpello rurſus diſſectum fuit, ab eoque tempore nullum amplius incommodum notatum fuit.

Obſervatio LXXXVII.

DN. D. IOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

Tumor abdominis ſtupendus in gravida, Hydropem aſcitem mentiens, partu feliciter ſublatus.

Vxor Chirurgi huius loci, ultra dimidium gravida & bene huc usque valens, ultimis menſibus inſolito prorſus modo abdomen elevari & intumeſcere ſentit, cum ingenti coniuncta duritie, ita ut gravi inſimul laborare hydrope aſcite omnibus videretur. Accedebant huic tumori ſegnities alvi, urinæ imminutio, vehementes & fere continui colici dolores, commotiones febriles, defectus ſomni, cum intercurrentibus deliriis & perpetuo eiulatu. Clyſteres lenientes, cum ſapone parati & frequentius iniecti, itemque præſcripta a me laxantia, temperantia, nitroſa, hisque interpoſita anodyna, una cum fomentationibus tam ſiccis, quam humidis, nihil plane levaminis attulerunt, unde tandem ipſa mulier, dolorum pertæſa, præmiſſa Venæſectione in brachio, pulverem radicis Ialappæ ſponte ſumſit, ſatisque valide per alvum purgata fuit. Sequente die ex improviſo profluxit e genitalibus ingens copia aquæ limpidiſſimæ, viginti libras pondere ſuperans. Detumuit hinc venter, prorſusque conquieverunt & abdominis & lumborum dolores. Tertio autem die partu edidit puellam, ut videbatur, ſanam, quæ vero brevi poſt vitam iterum amiſit. Facile ergo patet, aquam hanc intra amnion, præter conſuetudinem fuiſſe collectam, ſolamque eius excretionem, per

assumtum purgans fortuito promotam, ab omnibus illis gravibus incommodis & prorsus stupendo hocce tumore, rupturam continuo minitante, liberasse, quæ dein, peracto puerperio, cito ac feliciter convaluit.

Observatio LXXXVIII.

DN. D. IOANN. DANIEL SCHLICHTINGII.

Mania chronica & rebellis, ptyalismo sublata.

Anno 1752. verbi divini Minister, 30. annorum, qui in India Occidentali maniaco correptus & diu iam afflictus fuit delirio, huc tandem transferebatur. Postquam ergo varia eidem, sed pariter incassum & absque ullo emolumento exhibita fuerunt medicamenta, tandem frater meus germanus, Medicus satis audax, in consilium vocatus, per intervalla octodecim vicibus sanguinem misit, qualibet vice ad uncias xvj & xviij. purgantia validiora præbuit, & complura vesicatoria suris, nuchæ & capitis vertici imposuit, subiunctis simul & interpositis anodynis, sed irrito pariter cum effectu. Hinc, raso prius capite, universæ eius regioni capillatæ unguentum mercuriale bis de die sat fortiter affricare iussit, unde tertio die facilis subsequebatur salivatio, sub cuius ulteriori successu, irridentibus licet aliis Medicis inauditam hanc medendi rationem, post aliquot dierum intervallum, præter spem & expectationem illorum resipuit & mentis iterum compos factus fuit vir tam diu olim demens & insanus, continuatoque dein per integrum mensem prædicti unguenti usu paulo remissiore, & perseverante, in modica quantitate, ptyalismo, pristinam tandem corporis sanitatem & rationis integritatem recuperavit, hactenusque illibatam feliciter conservavit. Similiter quoque recor-

recordor, Iudæum quendam medicaſtrum, hominem alias indoctum, multos maniacos ab inveterato & chronico tali delirio ſolius mercurii uſu, ad dentium uſque vacillationem continuato, absque tamen ſubſequuto perfecto ptyaliſmo, penitus cum magna aliorum admiratione, liberaſſe. Non minus quoque de me ipſo teſtari poſſum, quod in chronico delirio maniaco ſæpius vel ad ſalivationem, vel ſine ea ad mercurialia unguenta, aut internum mercurii dulcis uſum, interpoſitis ſubinde catharticis, confugerim, ſemperque ſpei optatus reſponderit eventus. Quodſi autem delirium maniacum adhuc recens occurrit, tunc ſanguis illico mittendus eſt ad unam imo duas libras, repetendo id aliquoties, ter, quater, quinquies & ultra, immo, ut ſæpe vidi, decies quandoque, habita tamen ratione conſtitutionis corporis, ætatis & virium ſubiecti. Venæſectioni ſtatim ſubiungatur purgatio, eumque in finem non mitiora, ſed fortiora ſeligantur remedia, Helleborus niger, Scammoneum, Gummi gutta, reſina Gialappæ, ſimiliaque. Externe applicentur veſicatoria aut rubefacientia, coniuncto ſimul largo uſu internorum remediorum temperantium, maxime nitroſorum & ſpirituum acidorum, ac interpoſitis quandoque mitioribus anodynis, tandemque inſuper inediam, quantum fieri poteſt, maximam imperando, & copioſam frigidam aquam pro potu porrigendo. Si autem febris aliqua, ex intermittentium claſſe, forſitan delirio tali fomitem præbere videatur, tunc in cortice Peruviano, ſub divino præſidio, quærendum erit auxilium. Hæc qui provide obſervat & tempeſtive adhibet, cunctis feliciter ſubvenire poterit maniacis, nec ullum illorum ut ergaſtulo tradat, opus habebit.

(*Amſtelodamo Halam miſſæ d. 20. Iun. 1756.*)

Observatio LXXXIX.

DN. D. IOANN. ERNESTI STIEFF.

Descriptio Globi igniti Wratislaviæ observati.

Doctrina de fulmine, de globis ignitis & lucentibus, deque aliis meteoris igneis, cum obſervationibus nitatur accuratioribus inque earum inſufficiente copia, cur naturam illorum inſufficienter adhuc cognoſcamus, ratio quæri debeat, hanc meam aliqualem eiusmodi globi ignei, Wratislaviæ obſervati, deſcriptionem naturalis ſcientiæ ſcrutatoribus non ingratam fore firmiter ſpero.

Die IX. Februarii ann. MDCCL. elapſo tertio quadrante poſt decimam nocturnam, globus, conſuetam alias magnitudinem ſuperans & ignitus, per atmoſphæram noſtram ruebat, & ſub cœlo ceterum ſereno incenſus, craſſitiem duorum vel trium pollicum habere videbatur. Quo propius ipſe terram verſus deſcendeb-t, eo maior erat eius diameter, ita ut ultimo illo temporis momento, antequam globus diſſiluit, ad pedem usque unum & dimidium increverit. Duplici motu, circa axem nempe & ſimul progreſſivo, in linea oblique declinante, ex regione africo-auſtrica orientem verſus ita velociſſime ruens per atmoſphæram ſe movebat, ut tempus curſu ſuo conſumtum vix unum minutum primum æquaret. Color eius in principio pallidus & poſtea ex rubro tinctus erat.

Lumen ſemper magis increſcens, ad inſtar ſplendoris, maxime penetrantis fulguris, oculos afficiebat; hinc civium plerique iſtud meteoron fulgur fuiſſe putarunt, quam opinionem fortiſſimus inſequens fragor tanto magis illis confirmabat. Globus iſte, oculis noſtris ſub ſex vel octo pollicum magnitudine appa-

apparens, lumine suo terras nostras eodem modo, sicuti sub plenilunio observamus, illuminare incepit, siquidem quo magis descendebat, eo plures efficacioresve lucis radios ad nos demittebat. Maximam denique suam adeptus magnitudinem, in spatio aëris quadraginta circiter pedum supra terram, prope pagum *Scheitnig*, ultra mille passus ab urbe nostra dissitum, in quatuor frusta candentia, inque Oderam fluvium decidentia, dissiluit.

Quilibet eorum, quibuscum de hoc globo igneo postea cóllocutus sum, alium semper mihi notabat locum, ubi globum decidisse credidit. Illorum relationes, qui ex ædibus suis in urbe globum conspexerunt, cum altitudo domiciliorum variis sensuum deceptionibus ansam præbeat, statim reieci. Amico cuidam Nobili, tunc temporis in via publica & in viciniis commoranti, globum in sylvam prope *Scheitnig* decidisse visum est. Ast nec in his sylvis ulla vestigia relicta deprehendebantur, immo & incolæ illius tractus, qui globum candentem viderunt, contrarium perhibuerunt. Præter alios, qui globum in Oderam decidisse observarunt, etiam miles quidam præsidiarius, tunc in vicinia, in vallo admodum elevato, excubias agens, idem affirmavit; cuius relationi in his quoque, quod lumen, splendor, ignis & fumus in uno eodemque temporis momento evanuerit, cum aliis consentienti, eo magis credendum est, quum frusta globi dirupti, nisi in Oderam cecidissent, vel in sylva, vel in domiciliis, vel alibi, quocunque pertingentia, torrere, ustulare, adurere & fumum spargere debuissent. Quamvis enim eiusmodi globi tecta ex lateribus coctis constantia nec incendere, nec conquassare possint, quoniam illa non ad instar fulminis, igne in acumen quoddam collecto, attingere solent; sæpius tamen cum tectis scandularibus & stramineis, aliisque materiis facile inflammabilibus, ignem suum communicare solent, prout complura id con-

firmant exempla. Hinc etiam illis non simpliciter fidem adhibendam esse censeo relationibus, quibus nunciatur, quod corpora quædam a fulmine, sub cœlo sereno erumpente, aut accensa, aut igne consumta fuerint, quum id maiori omnino iure globo eiusmodi igneo, ab imperitis pro fulmine reputato, tribuendum esse videatur, siquidem fulmen ad nostram usque terram pertingens sub cœlo sereno rarissime, frequentius autem globus igneus notari solet.

Disrupto autem globo tres statim fragores, tonitrui valde similes, audiebantur, qui nobis admodum videbantur propinqui, siquidem in compluribus domiciliis, tam in urbe nostra, quam extra illam, etiam ad 1500. passus dissitis, tres leves sentiebantur succussiones, quibus præcipue fenestræ commovebantur, unde etiam incolæ, fragores hos solummodo audientes, nec globum videntes, tormentum quoddam nimio pulvere nitrato onustum, ad significandam desertionem quandam militarem, tribus vicibus explosum fuisse autumarunt.

Sphæricam equidem figuram oculis meis exhibuit hic globus, dum illum e loco quodam elatiore conspexi; an autem hanc vere, vel aliam habuerit, ob motum nimis rapidum certo asserere non possum, siquidem corpora, quæ in distantia valde remota velociter moventur, oculis nostris semper sub alia figura apparent, quam si proximius eadem, aut in quiete constituta, intueri licet. Ceterum in illa regione aëris, quam globus percurrebat, ad minutum temporis radium quendam oblongum, ex vaporibus sulphureis fumoque materiæ combustæ productum, reliquit.

Vt autem plenior evadat historia huius globi, sequentes insimul observationes meteorologicæ merito eidem adhuc erunt subiungendæ.

Mensis Februar.	Tempestates.	*Constitutio Cœli.*	*Altitudo Mercurii.*	*Gradus Thermometri.*
3.	Nubes. Circa meridiem cœlum serenum & nubilum, Gelu inopinatum.	Libanotus.	′ ″ 30. 16.	52.
4.	Cælum serenum. Frigus intensum. Aurora borealis valde rubra.	Caurus.	′ ″ 30. 18.	54.
5.	Serenum. Frigus adhuc intensius. Aurora borealis pallidi coloris.	Eurus.	′ ″ 31. 22.	56.
6.	Cœlum serenum postea cum vaporibus. Gelu. — — —	Eurus.	′ ″ 31. 22.	51.
7.	Idem. — — —	Aquilo.	′ ″ 31. 21.	47.
8.	Nubes. Serenum & nubilum. Gelu continuans. —	Caurus.	′ ″ 30. 19.	39.
9.	Serenum & nubilum. Ex toto serenum. Gelu —	Favonius.	′ ″ 30. 17.	30.
10.	Cœlum nubilum. Gelu. —	Eurus.	′ ″ 29. 15.	31.
11.	Nubes. Gelu. — —	Vulturnus.	′ ″ 29. 13.	30.
12.	Serenum. Frigus mitius. Regelari incipit. — —	Auster.	′ ″ 30. 20.	25.
13.	Cœlum serenum. Tempestas temperatior. Gelu ex improviso solvitur. —	Vulturnus.	′ ″ 30. 20.	20.

Altitu-

Altitudinem mercurii ex tubo Torricelliano & frigus ex duobus Thermometris, 80. gradus caloris & 100. gradus frigoris monstrantibus, annotavi. Vnum horum, observationibus præsertim hiemalibus destinatum, in camera versus septentrionem sita, proxime ad fenestras apertas suspensum est; alterum in camera meridiem versus spectante adservatur, ubi, ob hypocaustum vicinum calefactum, frigus, apertis etiam fenestris, paulo semper mitius est. Diversitas locorum in his duobus Thermometris, licet in ambobus in uno loco suspensis ad pares gradus liquor moveatur, semper differentiam 10. vel 11. graduum producit. Obiter hic adnotabo, quod in his Thermometris frigus huius anni MDCCL. hiemale, etiam intensius, non ultra 62. gradus, ac sæpius saltem ad 40. 45. 48. 50. 52. 54. 56. gradus liquorem descendere coëgerit, id quod quamvis relationibus in nostris novellis communicatis contrarietur, cum omnibus tamen aliis observationibus diligentius institutis consentit.

Subsequente mox die loca, ubi globum probabiliter decidisse plurimi crediderunt, sedulo, & quidem ea intentione perquisivi, an aliquid de materia forsitan relicta, pro investiganda eius indole, adhuc invenire possem, insuperque etiam ipsius loci conditionem quomodocunque mutatam sedulo examinare mecum constitui, sperans me hac occasione de eo quandam obtenturum esse confirmationem, quod a celeberrimo Boerhaavio relatum habemus *i*), quippe qui in Iamaica eiusmodi globum igneum, pyroboli magnitudine, e cœlo ruentem aliquando vidit, & eo in loco, in quem delapsus erat globus, fossam parvam, cum multis foraminibus invenit, quorum profunditatem adstantes baculis metiri non poterant; sed omnis spes mea, de ulterius continuandis observationibus concepta, cum ipso globo igneo evanescens in Oderam cecidit.

Interim

i) Philosophical Transactions Num. 357. p. 148.

Interim hunc globum nil aliud, quam exhalationum sulphureo-salino-nitrosarum massam coagmentatam fuisse, & cum materia fulminis aut aliquam conformitatem, aut proximam fere similitudinem habuisse, nullo modo dubitari potest. Disruptus autem fuit hic globus cum fragore satis manifesto, in quatuor quasi frusta, ob resolutionem & disiunctionem particularum antea coniunctarum vi ignis productam, sub qua inprimis nitrosæ partes accensæ, aliis intermixtæ, fragorem istum concitarunt.

Quamvis autem plurimi observarint, hunc globum in quatuor tantum disruptum fuisse frusta, in plura tamen illum abiisse admodum probabile est. Sic etiam, præter exacte observatos ternos illos fragores, plures omnino productos fuisse, suspicari licet, quoniam dum velocissime se invicem excipiunt, non facile distincte percipi possunt.

Antequam hoc meteoron apparuit, per aliquot dies, ut adiecta monstrat tabula, cœlum mox serenum, mox vaporibus obscurum erat, manifesto indicio, quod in atmosphæra nostra multæ particulæ sulphureæ, salinæ atque nitrosæ collectæ & coacervatæ fuerint, quæ dein tam pro igneis eiusmodi globis, quam fulminibus generandis, materialem suppeditare possunt causam. Exinde etiam facile cognosci potest, cur primis huius anni mensibus, Februario nempe & Martio, non solum in Silesia, sed & in diversis aliis provinciis, ob austros frequentius spirantes, tonitrua, his temporibus alias perquam rara, tunc multo frequentiora fuerint. Rationem vero, cur exhalationes illæ in hac massa concentratæ non sub specie fulguris, in angustiorem radium depressi, incendantur & deflagrent, in compressione particularum a frigore facta præcipue collocandam esse arbitror, quum, meo quidem iudicio, æstivo tempore globi tales, e particulis sulphureis, salinis & nitrosis compositi, magis expandantur, & in maiori, quam hiberno tempore, quantitate hinc & inde in atmo-

sphæra dispersi existant, qui dein, si frigore accedente arctius inter se coëunt atque cohærent, sicque maiorem demum formant globum, aut sensim pedetentimque, aut in forma radii cuiusdam continui subito accenduntur atque deflagrant & varia eiusmodi ignea meteora tali modo sistunt.

Nonnulli horum globorum sine fragore etiam dissiliunt, quale quid nuperrime, testantibus relationibus publicis, in castello Regio Hafniensi observatum fuit. Fulgidum in principio erat corpus, maximum Planetarum magnitudine duplicata superans; quum vero ex alto descenderet, figuram globi lucentis, quatuor circiter pedes crassitie referentis, exhibebat, qui pedetentim dissolutus dein evanescebat. Hunc autem globum ex particulis tantum sulphureis compositum fuisse, pallidus eius color & dispersio sine subsequente fragore facta, sufficienter docent *k*). Noster interim globus igneus ex valida frictione & agitatione particularum coagmentatarum ignem concepit, quod etiam circa fulminis succensionem valet, utpote quam simili ratione fieri alibi iam demonstravi *l*).

Sedulo insuper percontatus sum, an idem ille globus eodem tempore in reliquis Silesiæ circulis remotis apparuerit, quale exemplum globi igneï, anno MDCCXVII. die X. Augusti in universa Silesia, Lusatia, Polonia & Hungaria observati, clarissimi adnotarunt Physici *m*); sed omnes relationes in

k) Singulare quoddam meteoron lucens & sine fragore evanescens ab Illustri conterraneo nostro, L. B. de Wolff, Halæ anno MDCCVIII. observatum fuit, cuius descriptio exstat in Act. Erudit. Lipsiens. ann. MDCCVIII. p. 526-528.

l) *Vid. Historische und physische Betrachtungen über die Wirckung des in einen allhiesigen Pulverthurm eingedrungenen Blizstrahls. Breslau 1749.*

m) Vid. *Annales physico-medici Wratislavienses, ann. 1717. Mens. August. Class. IV. Artic. 2.* in cuius egregii Operis continuationibus passim adhuc plura eiusmodi exempla occurrunt.

in eo conveniunt, quod globus in circumferentia duorum tantum milliarium conspiciendum se præbuerit, unde illum vix ultra dimidii milliaris altitudinem supra terram elevatum fuisse suspicor, quoniam exiguum hocce spatium in linea oblique declinante intra unius minuti primi spatium motu multo lentiore, quam ille globus a celeberrimo MONTANARIO anno MDCLXXVI. Bononiæ visus, percurrebat, quippe qui in uno minuto primo CLX. milliaria Italica, iuxta Muschenbroeckii relationem *n*), cursu suo absolvit.

Observatio XC.

DN. D. IOANN. ERNESTI STIEFF.

Dolor acutus, vagus, sub deglutitione, citra causam manifestam in pectore sese exserens, feliciter tandem sublatus.

Infirmitatum ab ægris nobis descriptarum causæ adeo interdum absconditæ latent, ut difficillime medentes, in tenebris tunc quasi oberrantes, morbi genium debite indagare, convenientes indicationes formare, aptaque pro iisdem impetrandis remedia seligere queant, eaque propter contenti esse debeant, si illa demum ipsis uti liceat felicitate, ut, quæ prudenti saltem coniectura investigata sunt, speratum præstent effectum salutarem, id quod inter complures alios, sequens etiam luculenter confirmabit casus.

Amicus quidam litteratus, meditationibus nimium addictus, mediæ inter macilentam & obesam corporis constitutionis, quartum supra quadragesimum ætatis suæ annum agens, sobrie semper vivens, & in diæta nullos fere, nisi in nimiis vigiliis, errores committens, corpus a prima iam iuventute

n) in Element. Phys. §. 991.

satis validum gerens, & infirmitatibus haud frequenter adflictus, nisi quod rheumaticis doloribus in superiore humero & circa scapulam, ex aëre gravi, crasso, humido, ac frigido oborientibus, aliquando vexetur, a quibus vero, adhibitis per unum alterumve diem aptis remediis resolventibus & discutientibus, feliciter semper liberatus fuit; hic, inquam, die XXI. Ianuar. a. c. bene tunc valens, sine ulla causa manifesta occasionali, de difficultate deglutiendi conquerebatur, quam vero, utpote adhuc minus molestam, non statim multis pharmacis levare volui. Altero die melius quidem deglutire potuit, mox tamen post deglutitionem dolorem quemdam spurium ac pungentem, ac præcipue post usum calidorum increbescentem, sensit. Fauces hinc inspiciens, nec in illis, nec in uvula ac epiglottide ullum aut præsentis, aut futuræ inflammationis indicium, nullasve in iisdem pustulas deprehendi, nulla etiam in his partibus aderat pituitæ collectio, nec ullum aliud signum, ex quo causam dolorosæ deglutitionis deducere potuissem. Calor totius corporis semper erat naturalis, & sicuti æqualis ac moderatus persistebat sanguinis motus progressivus, ita etiam reliquæ functiones libere & ordinate succedebant. Infusum igitur saltem leniter calidum, ex herbis Veron. Tussilaginis, Consolidæ, floribus Malvæ atro rubentibus & Papaveris, cum Syrupo Violarum, de Althæa & Capillorum Veneris loco sacchari edulcoratum, frequentius sorbillandum, præscripsi.

Referebat proinde mihi æger, quod tertio aut quarto die, antequam primum sensit dolorem, pisces comederit, & hinc suspicabatur, se forte non advertentem exiguam & acutam quandam spinam, quæ oesophagum lædere potuisset, cum carne piscis deglutiisse; sed statim hic evanuit metus, quoniam non immediate post piscium esum dolor iste obortus fuit. Restabant equidem nonnulla vitia oesophagi, rariora æque ac funesta, in celeberrimi Boneti *Sepulchreto anatomico,*

Tom.

Tom. II. Lib. III. Sect. IV. pag. 745. ſqq. recenſita; omnibus autem his ſolertius perluſtratis, ne unicum, quod ad ſtatum præſentis morbi adplicari potuiſſet, inveni. Non minus quoque hac occaſione recordabar caſus illius funeſti, ab Illuſtri Boerhaavio exacte deſcripti; evolvens autem eius *Hiſtoriam atrocis, nec deſcripti prius morbi*, Lugd. Batav. 1724. editam, omnem ſuſpicionem de diſrupto oeſophago ſtatim dimittebam, quum ſymptomata minime inter ſe convenirent.

Tertio die æger, neutiquam decumbens, nec a laboribus ſuis ordinariis deſiſtens, narrabat mihi, quod dolor, mox poſt deglutitionem perceptus, locum ſuum priſtinum mutaverit, & paulo magis deorſum deſcenderit, ita ut illum nunc præſertim circa regionem iſtam, ubi ſternum in proceſſum xiphoidem deſinit, perſentiſceret, quando ingeſta, per oeſophagum tranſeuntia ad hunc locum, uti opinabatur, devenirent. Externe nullus rubor, nulla macula nullaque protuberantia cauſſam mali manifeſtabant. Si vero in mediaſtino, aut pericardio, vel in pleura, aut ipſa pulmonum ſubſtantia vaſorum quorumdam infarctus vel diſruptio præternaturalis, aut apoſtemata quædam oborientia in culpa fuiſſent, tunc, neglectisetiam aliis ſignis, dolor nunquam remittens maiora circa reſpirationem & liberum ſanguinis progreſſivum motum, quam circa deglutitionem ingeſtorum, produxiſſet incommoda. Aſt quoniam ſub illibata & integra reſpiratione motuque cordis æquali dolor, nunc magis punctorius, non continuus erat, ſed per intervalla ceſſabat & tunc ſaltem redibat, quando vel cibos, vel fluidum quoddam calidum æger aſſumebat; hinc nulla etiam neque de his, neque de aliis ſingularibus cauſis, moveri poterat ſuſpicio, veluti de caſu ex alto, concuſſione pectoris, fractura aut luxatione coſtarum, equitatione impetuoſiore, everſione rhedæ, vomituque aut ſingultu vehementiore, dum nullius ex his conſcius erat ægrotus, quod unquam præceſſerit. Sic etiam porro nulla diaphragmati tribui poterat culpa,

quoniam vitales, quibus illud inservit, functiones, respiratio nempe & circulatio, in sua perseverabant integritate. Neque tandem cardia, seu orificium ventriculi sinistrum, hic accusari poterat, dum in illa regione non perseverabat dolor, sed ex eadem in latus dextrum migrabat.

Quo carior autem mihi erat æger, quoque rarior videbatur eius morbus, eo solertius in eundem inquirens, an certior tandem pleniorve quædam indicatio aptiora mihi suppeditaret remedia, complurium celeberrimorum Medicorum observationes de morbis rarioribus evolvi, seduloque & attente perlustravi, sed pariter frustraneo cum eventu. Lubentissime equidem venæsectionem instituissem in brachio, nisi ægri obstitisset aversatio, qui non nisi sub extrema eandem admittere volebat necessitate.

Variis ergo incassum præscriptis & adhibitis remediis, vaga tandem doloris indoles eiusque transitus ex uno loco in alium diaphoreticorum usum magis postulare mihi videbatur. Mixturam ergo simplicem rectificatam, cum sexta tantum parte liquoris mineralis anodyni Hoffmanni mixtam, ad 50. guttulas præscripsi, cuius binas tresve doses pomeridianis & vespertinis horis sumsit æger, posteroque die eodem modo & gradu quidem recurrentem, sed magis nunc se se diffundentem sensit dolorem, unde non immerito suspicabar, obstructionem quandam, in minimis aut serosis, aut lymphaticis vasis factam, dolores hos excitasse, quam idcirco, leniter augendo transpirationem, & resolventia ac discutientia in- et externa subiungendo, successive removere decrevi, eumque in finem infusum pugillare ex similibus speciebus paratum, mixturamque concentratam, largius cum essentia Pimpinellæ albæ remixtam, frequentius exhibui, ac insimul externe emplastrum de Meliloto cum diaphoretico Mynsichti coniunctum, regioni, quam scrobiculum cordis vocamus, imponere iussi.

Licet

Licet autem interim ægro, de eventu huius morbi perquam ſollicito & hinc frequentiorem meam viſitationem ſibi expetienti, metum omnem eximere allaborarem, adfectumque hunc dolorificum, niſi maiora forſitan caperet incrementa levior ſaltem iſta & ſuperficialis interna inflammatio, omni deſtitutum eſſe periculo declararem; tamen circa ſecundam matutinam ſexti diei horam æger, poſtquam inſomnem huc usque hanc transegerat noctem, gravi corripiebatur horrore, quem mox ingens excipiebat æſtus febrilis; ex quo inopinato eventu imminentis febris inflammatoriæ maiorisve periculi indicia colligebat, ſtatimque nova mea conſilia efflagitabat. Sepoſitis ergo interim remediis hactenus adhibitis, alia in illorum locum ſubſtitui, circumſtantiis præſentibus, ſatis omnino ſonticis, accommodata, quibus etiam febris non ſolum mitigabatur, ſed & ægri vires reſtituebantur. Dolori autem, more ſolito eodemque vigore poſt deglutitionem ſemper redienti, emplaſtro iam deſcripto, bis quotidie renovato, ulterius non ſolum reſiſtere allaboravit æger, ſed &, feliciter ſic a periculo febris inflammatoriæ ſine venæſectione liberatus, veſpertinis horis prioris infuſi & mixturæ iam allegatæ reſolventis uſum continuavit, unde tandem die ſeptima dolor priſtinum ſuum reliquit locum, quem circa proceſſum xiphoidem pertinaciter hactenus ſuſtinuit, & in remiſſiori gradu verſus dextrum latus, ſecundum longitudinem, infra coſtas ſpurias ſe extendit. Exoptatum igitur ab uſu remediorum internorum ac emplaſtri ſuperimpoſiti, in diſcutienda hac ſtaſi inflammatoria, deprehendens effectum, iisdem ulterius inſiſtendum eſſe iudicavi, ſicque die X. tandem omnis dolor plenarie ſublatus & amiciſſimus æger in integrum reſtitutus fuit.

Obſer-

Observatio XCI.

DN. D. IOANN. ERNESTI STIEFF.

Vlcera glandis venerea cum tumore magno inflammatorio & phimosi enormi coniuncta, feliciter sanata.

Vir iuvenis, temperamenti sanguineo-cholerici, in ætate vegeta constitutus, vel ex coitu impuro, vel alio quodam casu infelici, lue venerea infectus, huiusque mercedis a Venere acceptæ nescius, in eodem illo libidinoso vitæ genere pergit, donec miasma venereum, per fluidorum massam disseminatum, labe sua varias corporis partes contaminavit, & in utroque inguine bubones ingentes apparuerunt. Eventu hoc perterrefactus, & suborto improviso hoc malo nunc vehementer attonitus, saluti suæ melius prospicere statim decrevit, ac ab amicis, quos pariter olim a malo venereo liberavi, admonitus ut meum peteret consilium & auxilium, Wratislaviam venit. Ex circumstantiis vitæ ante actæ mihi declaratis & ex morbi statu præsenti sedulo perveſtigato rem vere iam desperatam inveni.

Bubo inguinis dextri erat durus, inflammatus, & grandior, quam ut resolutioni sine suppuratione obediret; alter vero minor molliorve, ad resolutionem non plane frustra tentandam spem adhuc dabat, unde iisdem mox emplastrum Vigonis cum quadruplo Mercurii, cum diaphoretico Mynsichti & oleo Guaiaci mixtum, imposui, coniunctis simul sacculis ex speciebus discutientibus & emollientibus paratis. Ægrum lue venerea infectum iam esse, præter reliqua signa, Medicis iam cognita, facies pallida & livida, atque sanguis ex vena incisa missus, clarius docuerunt. Vnicum, quod nempe lues nec uvulam & epiglottidem, nec fauces per totum morbi decur-

decurſum corripuerit, valde mirabar, quum hæc loca frequentius alias & citius ab hoc miasmate erodantur.

Quoniam miſer hic urinam parcius & ſub intenſiſſimis ſimul doloribus reddebat, hinc penem, retracto præputio, curatius inſpiciebam. Non ſolum in corona glandis varia ulcuſcula, ſed etiam non procul ab orificio, ex quo urina emittitur, duo maiora, variasque inſuper veſiculas, livida, acri, & rodente lympha repletas, ob compagem ſubtiliorem nervorum ibi tanto periculoſiores, inveniebam; quorum malorum cauſſam in id reiicio, quod æger glandem præputio perfecte tectam haberet. In coitu enim cum femina impura denudatæ glandi multæ impuritates acres ac rodentes ex vagina muliebri adhærent, quæ, quando in eiusmodi hominibus ſtatim præputio glans iterum obvolvitur, nec induſio abſtergi, nec commode tranſpirare poſſunt. Hinc irritant rodunt-que non ſolum ſubtiliſſimam glandis cuticulam, ſed carnoſam etiam eius ſubſtantiam corrodunt & inflammant, ac putreſcentia dein & introrſum ſerpentia ulcuſcula producunt. In compluribus ægris, ubi ſimilia occurrebant ulcera venerea, licet corpus ipſa lue non fuerit infectum, idem obſervavi, & certe minime ab impuro & acri ichore, (quo ſemper madet vagina uteri fluore albo maligno laborantium,) cum glande in coitu communicato, illa fuiſſent excitata, niſi glans præputio ſemper arctius obvoluta, & ablutio penis ſtatim poſt coitum ſuſcipienda, neglecta fuiſſet. Vlceribus his unguentum digeſtivum & Baſilicum, cum Eſſentia Myrrhæ mixtum, frequentius impoſui, & glandem cum Decocto Lignorum bene ſaturato, iuncta ſimul Tinctura Antimonii acri, ſæpius abluere iuſſi. Ipſa glans ingenti tumore inflammatorio deformata erat, & quoniam ſub illo cuticula nimium expanditur, nervi vero vaſaque advehentia & abducentia plus iuſto partim extenduntur, partim premuntur, hinc ingens dolorum augmentum hac ratione concitabatur.

In scroto valde tumido venæ spermaticæ supra testiculos ad crassitiem fere calami scriptorii dilatatæ simulque nodosæ aut varicosæ comparebant, quam ultimam horum vasorum conditionem mutatam CELSVS recte *varices vasorum spermaticorum* vocat, minus autem apte recentiores quidam Medici herniis adnumerant & sub *Varicoceles* titulo comprehendunt. Tandem etiam uterque testiculus a stagnante corrupto semine valde distensus, & inprimis dexter ultra dimidium naturalis suæ magnitudinis tumore auctus erat.

Primo ergo die curationem cum emulsione laxante, temperamentis sanguineo-cholericis in casu nostro præ pilulis aloëticis magis semper proficua, inchoabam. Postero die, quum suspensorium pro pene & scroto applicare, atque cataplasmata resolventia & emollientia ex farinis quibusdam, cum aqua ad consistentiam pultis coctis, admixto oleo Lumbricorum terrestrium diurno tempore, nocturno autem emplastrum de spermate Ceti scroto imponere vellem, glandem præputio, ob ingentem phimosin admodum tumido, adeo arcte tectam inveni, ut illud nullo modo retrahi potuerit; unde statim linteola, lacte tepido, cum floribus Chamomillæ, Sambuci & foliis Hyosciami cocto, madefacta, singulis horis super imponere, atque simul in urethram lac tepidum, cum mucilagine seminis Psyllii & vitello ovorum mixtum, intra præputium vero & glandem Essentiam Myrrhæ, Lignorum & Pimpinellæ, cum guttulis aliquot olei Hyosciami, quantum fieri potuit, sæpius iniicere iussi.

Tertio die ægrum, quem præcedente vespera absque ullo metu aut signo imminentis cuiusdam febris reliqueram, misere decumbentem deprehendi. Inquietus per totam noctem somnoque carens, summo mane gravissimo febrili corripiebatur paroxysmo, subito ita invalescente, ut in summo vitæ versari videretur periculo. Statim igitur seponebam decocta & alia antivenerea, pro interno usu iam præparata, quæ hoc

ipso

ipſo die prima vice adſumere debebat, æger, dum pulſus durus, celer & quandoque intermittens aliaque concurrentia ſymptomata Venæſectionem potius aliaque febrem mitigantia poſtulabant remedia. His autem ſtatim licet in uſum vocatis, quum poſt meridiem omnia non ſolum in eodem gradu vehementiæ perſeverarent, ſed & inſuper leve quoddam accederet delirium, ægro iterum ſex uncias ſanguinis ex mediana detraxi, atque remedia præſcripta per ſemihoras in maiori doſi exhibere iuſſi; quo facto poſt nonam veſpertinam morbum multo remiſſiorem, ægrumque in tranquilliori ſtatu, ſpem reſtitutionis haud vanam promittente, inveniebam. Nihil ergo circa remediorum uſum mutavi, niſi quod emulſioni præſcriptæ Diacodium addiderim. Sequente die, quoniam febrilis ille inſultus iterum ceſſavit, pulveres & potiunculæ alterantes ac temperantes in minori doſi exhibebantur.

De cauſis horum ſymptomatum interim ipſe ſollicitus, ex ægri tandem relatione cognovi, me in ſuſpicione mea non erraſſe, ſcilicet quod terror vehemens, quem exinde concepit, quoniam amicus quidam ipſi nunciavit, abſolute neceſſariam fore teſticuli venerei exſectionem, & phimoſin non aliter, niſi mediante ſcalpello, ſanari poſſe, ita repente & inopinato febrem iſtam excitaverit. Hinc etiam, quum ipſi adſeverarem, eiusmodi teſticulos venereos & phimoſes me ſæpius iam ſine ſcalpello ſanaſſe, ſimulque, quantum fieri potuit, maiorem ſpem obtinendæ perfectæ reſtitutionis offerrem, ſublato hac ratione anxio illo metu, tanto facilius prædictis remediis vehementes inde obortas commotiones febriles lenire, & poſtero die ad ipſam luem debellandam me accingere potui.

Non lubet iam fuſius ſingula hunc in finem præſcripta enarrare remedia, ſed ſufficiet paucis monuiſſe, quod primo conſueta in uſum vocaverim decocta, ex radicibus & lignis antivenereis, ſine tamen antimonio, parata, utpote cuius

etiam Tincturam, non in omnibus eiusmodi subiectis proficuam, omisi, eiusque in locum Essentiam Lignorum bene saturatam, cum Essentia Pimpinellæ albæ concentrata remixtam, substitui. Matutinis ergo & pomeridianis horis æger, sudoris proliciendi caussa in lecto decumbens, mensuram unam decocti lignorum primarii cum LXXX. guttulis prædictarum Essentiarum, hauriebat, reliquo autem tempore duas mensuras decocti secundarii, loco potus ordinarii, subiungebat. Ante introitum lecti quotidie pulverem sumebat, ex absorbente quodam, antimonio diaphoretico & Aethiope minerali, paulo largius admixto, paratum; post quartum vero semper diem pilulas mercuriales sine aloë paratas interposui, hisque remediis internis per XXIV. dies sine interruptione continuavit æger.

Interim durante hocce tempore omnem adhibui industriam, ut salivationem averterem, in qua alias complures medentium unicam restitutionis spem, non sine ægrorum damno, sæpius ponunt. Non equidem indiscretim in lue venerea salivationem reiicio aut omitto; in hoc autem subiecto si eandem more consueto excitassem, certe fauces, uvula & epiglottis, ob nimiam humorum acrimoniam, periculo gravissimæ inflammationis & exulcerationis expositæ fuissent, cum subsequente simul claræ & sonoræ vocis iactura. Proinde etiam cum remediis illis exquisitam & strictam coniunxi diætam, concedendo saltem ægro in prandio modicam carnis bubulæ assatæ portionem, & in cœna panem bis coctum, omnes autem alios cibos, una cum iusculis, penitus proscribendo, serioque simul eidem iniungendo, ut finita curatione saltem gradatim & successive ad pristinam rediret diætam, in quibus omnibus etiam exacte morem mihi gessit.

Sub his autem circumstantiis vix aliquot ab inchoata curatione elapsi erant dies, quum phimosis, nescio qua de causa, subito adeo ingravesceret, ut in sphacelum abire videretur,

tur, pro quo tempestive avertendo admodvendum omnino fuisset scalpellum, nisi ingens ægri obstitisset metus, cuius anxiis precibus commotus, omnia alia potius adhuc tentare decrevi remedia, ne forte nova iterum, ob gravem animi perturbationem, accenderetur febris. Hinc fomentum ex aqua calcis vivæ aliisque discutientibus paratum & per aliquot iam dies cum linteaminibus adplicatum, quum minus nunc illud sufficere iudicarem, mutavi, aliudque, cui saccharum Saturni admixtum erat, substitui, & cum linteaminibus, tepido illi intinctis iterumque expressis, qualibet semihora totum penem involvere iussi. Res optime successit, & hoc remedio per quatuor dies adplicato, periculosissima inflammatio tandem mitigata fuit, per quatuordecim autem dies adhuc, sed non ita frequenter, continuato, phimosis, tumor glandis, & ulcera, in parte huius anteriore oborta, feliciter sublata fuerunt. Enormis equidem hæc phimosis & tumor inflammatorius glandis omnem ulcuscolorum, coronam eius obsidentium, sanationem, ob impossibilem præputii retractionem, durante hoc tempore prohibuit, dum ab illo momento, quo phimosis adeo enormiter aucta fuit, nullum remedium intra præputium & glandem ulterius iniici potuit, unde etiam, quum, abactis fonticis his symptomatibus, præputium iterum retraherem, in denudata glande peiorem longe statum illorum ulcuscolorum me inventurum esse metuebam; aft præter opinionem & summa cum admiratione deprehendi, quod prædicto illo fomento, cum linteaminibus applicato, optime repurgata & maxima ex parte iam consolidata fuerint.

Quod de reliquo bubones venereos, in utroque inguine simul præsentes, attinet, sinister resolventibus adplicatis promte auscultabat, & intra breve temporis spatium feliciter iterum disparebat, id quod etiam intuitu scroti prætumidi & testiculi venerei itidem feliciter eveniebat; dexter autem bubo, nimium iam induratus, omnem respuebat discussionem, unde

illum emollientibus & maturantibus ad suppurationem deduxi, factaque sufficiente mundificatione, brevi temporis intervallo eius consolidationem obtinui, ac tandem, postquam, continuato per XXIV. dies prædictorum remediorum usu, miasma venereum penitus e corpore ægroti eliminatum esse deprehendi, venæsectionem in brachio subiunxi, sub qua sanguis ad VIII. uncias emissus, optime mixtus & bene depuratus comparebat. Dein, ad sordes a sudoribus copiosis forte in cute relictas abstergendas, balneum ex aqua saltem simplici, ac demum, ad tonum vasorum cutaneorum, itidem sub sudore nimium debilitatorum, restituendum, aliud, ex herbis nervinis & sapone Veneto paratum, aliquoties, prosperrimo cum successu, adhibitum fuit, sicque ægrum, ab omnibus suis malis sine scalpello nunc liberatum, quinque hebdomadum spatio ita restitui, ut in quartum iam annum optima fruatur sanitate.

(*Wratislavia Halam missa d. 8. Iul. 1756.*)

Observatio XCII.

DN. D. GOTTLIEB CAROLI SPRINGSFELD.

De

Permagno Steatomate abdominis, XL. fere libras æquante.

In Dissertatione mea inaugurali, quam sub Præsidio Excellentiss. Hebenstreitii, de *Partium coalescentia morbosa*, Lipsiæ 1738. defendi, permagni p. 29. mentionem feci Steatomatis, quod in abdomine militis cuiusdam, qui, ob ingentem infimæ huius cavitatis expansionem, & coniunctum oedematosum pedum tumorem, pro ascitico habebatur, post mor-

mortem inventum fuit. Spem ibi feceram, me alio tempore huius omnino rariſſimi caſus exactiorem daturum eſſe hiſtoriam. Datam liberare nunc conabor fidem, eaque expromam, quæ reſtant, ex ſupra memorati anni adverſariis meis, quibus illa tunc temporis inſerueram.

Fuit autem defunctus e numero militum, qui in cohorte prima Sereniſſimi noſtri Principis glorioſæ memoriæ ſtipendia merebantur, quinquaginta ſeptem annos natus, ſtatura longus, cholerico-melancholico temperamento præditus. Iuvenis quidem ſarcinatoris opera exercuit, caſtra deinde ſecutus eſt, ſex quoque præliis ipſe adſtitit, incolumis tamen ex omnibus rediit, & ſatis tranquillam, pro illorum hominum more, tandem egit vitam. Quamdiu illum novi, novi autem per decem fere annos, cachecticam habebat faciem, abdomenque ſemper tumidius, quam natura eſſe debuiſſet: quod eo magis in oculos irruebat, quia quoad reliquas corporis partes magis emaciatus erat. Abdominis ille tumor tandem adeo increvit, ut æger lecto teneretur, nec ſe ipſum levare poſſet. Quo facto uxor, & cognati, uſitato vulgi more, in principio talia adhibebant remedia, quæ vel a maioribus didicerant, vel a circumforaneis & medicaſtris variis, aut ipſis etiam vetulis acceperant. Quum vero pedes magis intumeſcerent & reſpiratio difficilior evaderet, meum tandem implorarunt auxilium. Rite ergo inſtituto examine, in cauſas morbi inquirere ſtudeo, quas tamen e longinquo repetendas eſſe cognovi. Interim amara, ſalia fixa, & quæ morbo convenientia credidi, præſcribo medicamenta. Incaſſum autem omnia adhibebantur: nil enim his, uti exitus docuit, efficiebatur. Suaſor itaque fui, ut Archiater noſtri Principis, Dn. D. MATTHIÆ *o*), ſimul

o) Is quoque fuit, qui brevem huius Caſus hiſtoriam Berolinum ad clariſſ. SCHAARSCHMIDIVM miſit, qui eam Diario ſuo inſeruit. Vid. Eiusd. *Medicinische und chirurgische Berlinische wöchentliche Nachrichten, Erſter Iahrgang, 1738. Woche 39. p. m. 308.*

simul in consilium vocaretur, qui tamen brevi temporis intervallo quoque experiebatur, morbum hunc nullis cedere remediis, eaque idcirco ulterius porrigere nolebat.

Aderant autem tantum non omnia signa asciten cum anasarca coniunctum denotantia. Totum abdomen ultra modum distentum tumidumque erat, vix enim lino, duas ulnas cum dimidia longitudine referente, poterat comprehendi: cuticula splendorem monstrabat, & vestigium impressi retinebat digiti. Quando æger ex uno in alterum movebatur latus, magnus in abdomine audiebatur sonitus, qualis ab utre, aqua non penitus repleto, dum illa exinde effunditur, reddi solet. Minime vero hic tumor solum occupabat abdominis cavum, sed & ad scrotum usque, femora & pedes sese extendebat. Scrotum inprimis erat vesicæ ad instar inflatum, & adeo turgidum, ut magnitudine infantis recens nati caput æquaret: qui ultimus tamen tumor, adhibitis remediis convenientibus externis, aliquantum tandem subsidebat. Quo magis autem inferiores partes tumore illo distendebantur, eo magis superiores extenuabantur. Sub hypochondrio dextro durities quædam insolita notabatur, quam quidam ab indurato hepate proficisci autumabant. Respiratio valde erat difficilis: urina reddebatur perpauca, rufa, quasi oleosa, & nubeculas quasi ex furfuribus coalitas monstrabat: pulsus observabatur parvus, inæqualis & frequens: febricula lenta in hecticam proclivis: sitis interdum vehemens, sudor fere nullus: alvus adstricta. Ad hæc accedebat in pede dextro, ubi femur incipit, dolor ingens ac perquam vehemens, alias nunquam in hydrope occurrens, & idcirco mihi semper maxime suspectus.

Rebus ergo ita comparatis, quum nihil internis effici posset remediis, continuis nos fatigavit æger precibus, ut ultima adhuc experiremur, & paracentesin adhiberemus. Cedimus eius efflagitationibus, remque eo dirigimus, ut exercitatissimus nostri Principis primarius Chirurgus, Dn. GÜNTHI-

RVS,

RVS, cuius in ſuperiore VII. huius Tomi obſervatione iam cum laude mentionem feci, illam perageret. Notatu autem perquam dignum erat, quod, quum modo dictus Chirurgus ſiniſtram manum abdomini imponeret, dextra vero in plaga oppoſita idem illud percuteret, percontaturus, num ſenſum quendam perciperet fluctuationis, ſonus prorſus ſingularis auditus fuerit, quaſi nempe tympanum, cuius corium madefactum eſt, pulſaret. Quo facto Chirurgus, dubius omnino redditus, punctura ægro denegabat, illique ancipitem prædicebat eventum. Tandem precibus continuis & cum lacrymis coniunctis, ægroti pariter ac cognatorum, commotus, acu triquetra, quam antea oleo illiniit, abdomen illo in loco, qui inter anteriorem oſſis ilei ſpinam & umbilicum medius eſt, in ſiniſtro latere perforavit, quod æger quoque animo bene conſtituto ſuſtinuit. Aſt, acu extracta, ne guttula quidem aquæ per cannulam, in abdomine relictam, effluxit. Hinc ſtilo per illam immiſſo, atque compreſſione externa ſubiuncta, parum aquæ, loturam carnis colore & conſiſtentia referentis, per intervalla promanavit. Ipſe ego vulnus ſtilo, per cannulam inducto, exploro, & reſiſtentiam, ſtilo non ſuperandam, ſentio. Quam ob rem, quum intra duarum horarum ſpatium, omni licet adhibita opera, non niſi duæ circiter libræ eiusmodi aquæ educi potuerint, monitione ipſius ægri cannula fuit extracta, vulnusque debito modo deligatum.

Varie deinde, ut plerumque ſolet, diſputatum fuit, quæ cauſa ſit, cur aqua non effluxerit? Alii putabant hydropem adeſſe anaſarca, ſerumque hærere potius inter cutem & muſculos abdominis, hinc acum triquetram non penetraſſe in cavum abdominis. Alii iudicabant, aquam contineri quidem in abdomine, ſed folliculo peculiari membranaceo incluſam hærere, hancque ſententiam obſervatione comprobare conabantur Illuſtr. HEISTERI, qui, facta in uno latere punctura, nullam educere potuit aquam, quæ tamen, perforato oppo-

sito latere, satis abunde effluxit. Alii denique, aliis experientiis commoti, adfirmabant, omentum sine dubio esse scirrhosum, hinc eiusdem pondere ac duritie impediri effluxum aquæ: & quæ aliæ erant circa hunc eventum opiniones, ob levitatem tamen minus recensendæ.

Æger tunc in lecto tranquille se continebat: quum vero circa vesperam alvum exonerare vellet, & idcirco e lecto efferretur, plus quam duæ libræ lymphæ puræ, dum in sella perforata considebat, e vulnere effluxerunt; quoniam vero animo linqui videbatur, hinc adstantes perterriti illum in lectum rursus deportarunt, quo facto aqua fluere desiit. Sequenti die de debilitate quidem corporis, minime vero de aliquo circa vulnus dolore querebatur æger: quare nos, & præsertim Chirurgum rogabat, ut in altero latere punctura institueretur. Has preces per quatuor dies iterabat; sed prævidentes irritum huius operationis chirurgicæ effectum, placavimus tantummodo eius animum, promittendo nos precibus suis satisfacturos, si vires recuperasset. Interim signa adpropinquantis comparebant mortis. Æger enim sicca tussi vexabatur, quæ si hydropicis supervenit, tunc, teste Hippocrate *p*) & Celso *q*), mors semper metuenda est. Quarto igitur die, post puncturam, æger moriebatur & quinto sectio instituebatur anatomica. Antequam vero ad illam progrediebamur, paracentesis in dextro præmittebatur latere, & quidem binis in locis, ut nempe partim experiremur, num in hoc latere educi potuisset aqua, partim etiam, si forte aliqua eius adesset copia, illam prius removendo, sectionem sine impedimento peragere possemus. Ast idem, ac in vivo adparuit eventus, dum nulla plane eius guttula prodibat.

Cute

p) Sect. VII. Aphor. 47. *Hydropicum, si tussis habeat, desperatus est.* Confer. Sect. VI. Aphor. 35. *Hydropicis tussis superveniens, malum.*

q) De Medicina Libr. II. Cap. 8. *In hydrope tussis spem tollit.*

Cute igitur rite ſeparata, in latere ſiniſtro vulnus acu factum exploravimus, quod nullam monſtrabat inflammationem, & iam collapſum erat. Offerebat nunc ſe oculis noſtris ſic dicta membrana adipoſa. Hæc omni pinguedine deſtituebatur, ſolæque cellulæ reſtabant, nec tamen in his, quod omnes mirabamur, lympha effuſa reperiebatur, ſed tantum paucæ flaveſcentis liquoris guttulæ. Remotis his, muſculi abdominis diſſecabantur, tuncque in regione epigaſtrica ventriculus & maxima inteſtinorum pars in conſpectum prodibant, quæ a vi quadam ſurſum verſus premi videbantur, eodem modo ac in gravidis diſſectis, ab utero tumido atque expanſo viſcera abdominis, & inprimis inteſtina, ſurſum pelli deprehendimus. Omentum valde emaciatum, non ſuper inteſtinis, ut alias ſolet, expanſum erat, ſed quaſi retroactum & contortum incumbebat ventriculo. Sub umbilico vero & in hypochondriis peregrinum quoddam corpus ex luteo albicans, adparebat, totumque eius cavum replebat, & inteſtina una cum omento e loco ſuo verſus ſuperiora elevaverat. Quod ad huius tumoris figuram & magnitudinem attinet, duas perfecte referebat veſicas bovinas, flatu diſtentas, quæ, parte laterali paululum compreſſæ, arcte inter ſe coaluerunt. Subſtantia illius erat ſevo ſimillima, quaſi pingue quoddam ſubeſſet, dura, renitens, uno verbo, qualis in ſteatomatibus obſervatur. His vero duobus corporibus maioribus multa inhærebant minora, plurima nucis avellanæ, nonnulla iuglandis figuram referentia, quorum omnium licet eadem eſſet ſubſtantia, tamen color in minoribus erat magis fuſcus & nigricans.

Quum dein connexio huius corporis examinaretur, deprehendebamus illud intra duplicem membranam meſenterii hærere. Dum enim, ligato inteſtino duodeno, eoque abſciſſo, reliqua inteſtina tenuia a meſenterio ſeparabantur, & portio inteſtini ilei, duas circiter ſpithamas longitudine æquans, adhuc reſtabat, tunc plane diſperibat meſenterium, eiusque

& operis cellulosi loco tumor hic intra mesenterii membranas offendebatur, ita ut intestinum ileum illa in parte, qua adhærere solet mesenterio, huic tumori adnatum esset. Communis autem illa membrana externa, a peritonæo orta, bina hæc corpora ab utroque latere includebat, & facile ab illis separabatur. Propria enim tunica quodlibet corpus adhuc cinctum erat. Minime vero solum mesenterium, sed etiam mesocoli partem hic occupaverat tumor. Nam eadem ratione, qua ileum cum tumore connectebatur, etiam cœcum intestinum, & coli quædam pars cum eodem cohærebat. Processus autem vermiformis secundum longitudinem erat extensus, atque apici tumoris superincumbebat, ita tamen, ut inferior & externa eius pars, versus renes intra unum alterumve Steatomatis corpus valide adnexa videretur. Separatis igitur nunc intestinis, tam tenuibus, quam crassis, tumor ille adhuc arcte adhærebat spinæ dorsi, præsertim primæ, secundæ & tertiæ lumbari vertebræ: quin adeo firmiter quasi comprehendebat atque ambibat musculum psoas, ut non, nisi summa vi atque prævia disruptione fibrarum, ab illo & iliaco separari potuerit; imo musculum illum & vasa cruralia, arteriam nempe & venam dextri lateris, substantia sua sebacea, sub ligamento Povpartii usque ad femur comitabatur, ibique suas quasi agebat radices, unde procul dubio dolor ille acerbus atque molestus in femore dextro, cuius supra mentionem fecimus, ortum traxit, ægroque interdum imposuit, ut herniam ibi timeret. Nusquam, nisi in hac regione lumbari, visa fuit inflammatio. Quadratus enim lumborum gangræna vix non correptus deprehendebatur. Notatu dignum erat, quod vasa sanguifera, quæ superincumbebant huic tumori, mesaraicis fuerint similia. Sub membrana enim communi prorepentia intrabant ipsum tumorem, illique sine dubio materiam nutritivam advehebant.

His

His ita ſedulo indagatis, totum hoc eximebatur corpus præternaturale, & quum, uti ex ſuperioribus conſtat, in duas ſub prima ſua origine diviſum fuerit partes, quæ circa latera tantum mediante tela celluloſa quadam leviter inter ſe cohærebant, hinc absque ulla fere vi divellebantur. Bilanci dein impoſitæ, quælibet illarum ſeorſim fere viginti, ambæ autem coniunctim ultra triginta novem libras pondere æquabant. Hac occaſione ſimul beneficium quoddam mechanicum cognovi, quod, ſub tanta peregrini illius corporis mole, ægroto, dum viveret, magno utique fuit commodo. Situm nempe ſuum ingens ille tumor occupaverat in medio abdominis, ita quidem, ut, quoniam in duas æquales dividebatur partes, æquilibrium in corpore conſervaret, neque permitteret, illud in unum magis, quam in alterum, urgeri latus. Centrum enim gravitatis huius tumoris, ob partes æqualiter diviſas, ibi erat, ubi inter ſe cohærebant. Linea vero verticalis, a vertice cadaveris per umbilicum ad baſin ducta, tranſibat per cohæſionem, ſive centrum gravitatis tumoris, unde corpus ſemper in æquilibrio ſervari poterat.

Remotis igitur duobus his corporibus, tandem partes genitales examinavimus, animadvertimusque in latere dextro annulum illum, ſub limbo muſculi oblique deſcendentis occurrentem, adeo extenſum atque dilatatum, ut tres digitos facile admitteret. Per hanc vero aperturam teſticulus dexter in cavum abdominis, ope funiculi ſpermatici, Steatomati accreti atque incumbentis, ſenſim ſenſimque retractus erat, firmiterque corpori illi ſteatomatico, in ſuperficie eius externa, regionem iliacam ſpectante, adhærebat. Alter autem teſticulus burſa ſua continebatur. Totum præterea ſcrotum ſero illo, quod præcipue intra eiusdem membranas uberrime ſtagnare ſolet, diſtentum, hydrocelen referebat, leviterque inflammatum erat. Itaque, licet teſticulus dexter in cavum abdominis re vera intraverit, minime tamen ruptura qualis-

cunque in peritonæo idcirco facta fuit, sed is saltem sub eius lamina interna, in tela illa cellulosa, quam alii externam, & hinc *duplicaturam peritonæi* vocant, latitavit.

In cavo autem abdominis exigua occurrebat quantitas aquæ, quæ vix quatuor libras pondere superabat. Vesicam statim detegere non potuimus; exemto vero Steatomate, factaque prius in ureterem incisione, ac flatu dein, mediante tubulo, in illum immisso, in conspectum tandem ita prodibat, ut corpus steatomaticum locum suum intra vesicam, & intestinum rectum occupasse deprehenderemus. Et hac ipsa occasione simul observavimus, ureteres, dum e renibus egrediuntur, & infundibulum seu pelvim formant, ultra modum naturalem fuisse dilatatos, cuius phænomeni causam merito in nimia compressione Steatomatis ponendam esse, quilibet facili perspiciet negotio. Vrina enim, in renibus secreta, per ureteres libere in vesicam descendere non potuit, sed in superiore ureterum parte stagnavit, illosque extendit, unde ratio patet, cur æger sub incremento symptomatum parum semper urinæ reddiderit.

Tandem transversim dissecta fuere corpora illa steatomatica, tuncque in illo, quod sinistrum abdominis latus occupaverat, deprehendimus similem quidem & æqualem per totum corpus substantiam, ast color a centro usque ad dimidium reliquæ substantiæ paulo obscurior erat, eum fere in modum, sicuti substantia corticalis cerebri a medullari se distinguere solet. Alterum vero horum corporum, quod in dextro latere collocatum fuerat, cavitate quadam, duas fere libras aquæ lividæ continente, instructum erat, cui quatuor aliæ minores, seu cellulæ, simili aqua repletæ, respondebant. Ex his omnibus simul sumtis colligi potest, hoc Steatoma omnino ortum suum duxisse ex glandula quadam mesenterii obstructa, scirrhosaque facta, cui vitæ genus militare primam forsan dedit ansam. Quoniam vero adeo facile dirimi potuit tumor, valde pro-

probabile eſt, duas glandulas vicinas fundamentum eius poſuiſſe & ſucceſſive ita coaluiſſe.

Fuit igitur obſtructio glandularum & inde natum Steatoma morbus primarius; tumor vero pedum oedematoſus atque ſcroti, effuſaque lympha, tantummodo effectus, quem alii ſymptoma vocant. Pondus enim Steatomatis compreſſit venam cavam vaſaque lymphatica: hinc circulus impeditus ſanguinis, hinc ſtaſis in vaſis lymphaticis, hinc effuſio, hinc oedema.

Poſtremo diſſecuimus quoque hepar atque lienem, nullam vero in his animadvertere potuimus obſtructionem. Cyſtis fellea autem copioſa bile repleta erat, duoque continebat lapides, qui aurantii erant coloris, rubis grandibus ſimiles, æqualisque magnitudinis & ponderis, quod, dum coniuncti bilanci imponebantur, duarum erat drachmarum cum dimidia. In thoracis cavo aliquam effuſæ lymphæ offendimus copiam: in pulmonibus vero nil, quod præter naturam fuiſſet, obſervavimus. De reliquo conferri huc merentur caſus, de Scirrhis meſenterii, iam olim a LECHELIO & BEHRENS communicati, in *Ephemerid. Nat. Cur. Decur. II. Ann. II. Obſerv. 159.* & *Annalibus phyſ. med. Wratislavienſibus Ann. 1722. M. Iun. Claſſ. IV. Artic. 12.*

(*Weiſſenfelſa Halam miſſa d. 20. Iul. 1756.*)

Obſervatio XCIII.

DN. D. FRIDERICI SIMONIS MORGENSTERN.

Deſcriptio cancri marini, vulgo Eremitæ.

Quamvis hiſtoria naturalis a celeberrimis Viris, noſtris temporibus diligenter ſatis exculta ſit, novas tamen acceſſiones,

ſiones, ob rerum ſuarum copiam, quam pertractat, admittit quotidie, ut quilibet rerum naturalium ſtudioſus, & ipſius ſtudii amœnitate, & tantorum virorum exemplis allicitus, ſe obſtrictum putet, iis tantum addere, quantum ipſi occaſio præbet. Iisdem rationibus incitatus, ſequentem elaboravi deſcriptionem cancri cuiusdam marini, vulgo *Eremitæ* dicti, quem exigua rerum naturalium ſuppellex mea mihi ſubminiſtravit, adiecta icone, ſingula exactius, monſtrante. Quicquid in præſenti ſubiecto obſervare potui, annotavi accurate, ſed cum per longum temporis ſpatium, quo adſervatum fuit, partes quædam forte mutatæ, & internæ plane conſumtæ ſint, brevem hanc atque mutilam deſcriptionem benevoli lectores mihi non vitio vertent. Interim conatus meos non plane fruſtraneos eſſe, eo ex fundamento credidi, quod icon, quam varii Auctores de cancro iſto dedere, a naturali figura plane recedit, & quod in eo, quod de illo commentati ſunt, nimis breves fuerunt, ita ut tantum indicaverint, Eremitam cancellum mollioris corticis eſſe, qui, ut ſe ab iniuriis externis defenderet, conchylii cuiusdam habitaculum intraret, idque rurſum cum alio mutaret, ſi illud eundem ob corporis ſui augmentum non ulterius capere poſſet. Neque ſolertiſſimus naturæ perſcrutator Clariſſ. Dn. Lesser, in ſua *Teſtaceo-theologia*, neque Auctor libri, qui gallice inſcribitur: *Spectacle de la nature*, neque *Philipp. Iac.* Sachsivs *a Lewenhaimb*, in *Gammarologia*, quæ Francof. 1665. prodiit, plura indicant.

Concham turbinatam, quam noſter Eremita inhabitat, inter marinas referendam eſſe, ſolus ipſius aſpectus, & ſatis firma compages, confirmant. Ex quo per ſe patet, Eremitam inter maris incolas referri. Accurate quidem indicare mihi non licet, num mari ubique inſit; hoc tamen coniectura colligere poſſum, præſentem ex mari ſeptentrionali eſſe, & in littore prope Ieveram fuiſſe repertum; alia enim vix datur via, qua ad amicum, a quo hunc Eremitam accepi, pervenerit.

Gallis

Gallis dicitur *Eremite*, vel *Bernard Eremite*. Cur nomen *Bernhardi* ei fingant Galli, non perspicio. Ratio huius cognominis, quam SACHSIVS *a Lewenhaimb* inde derivat, quod, quia, crusta licet tectus, aliud tamen latibulum quærat, idcirco fatuus sit, seu Bernhardus, iniurioſe ac falso excogitata mihi videtur; cum cancellus noster ob molle, quo gaudet, integumentum aliorum conchyliorum firmo tegmine se provide muniat. Germanis audit *Pilger-Krebs*, *Eremite*, *Cumann*, *Soldat*.

Ex conchæ apertura, seu ore, eminent extrema membra chelarum, quatuorve pedum anteriorum maiorum (vid. *Tab.* VII. *Fig.* 1.) Horum figura, nec non ipsorum color ad colorem & figuram cancrorum nostratium fere accedit. Et chelæ, & reliqui pedes satis firmo gaudent integumento, & vix augurari quis posset, formam reliquarum partium a structura & duritie cancrorum communium multum differre.

Sepositis ac remotis parietibus conchæ turbinatæ, Eremita ita in conspectum venit, uti *Fig.* 2. delineatus sistitur.

Caput & dorsum, germanice *die Krebs-Nase*, plus ad planum, quam convexum structum est. Pars anterior quatuor gaudet excavationibus semicircularibus, seu incisuris, quibus margo extremus cinctus est (vid. *Fig.* 2.), in cuius medio apice, in utroque latere, corpora duo semilunaria posita sunt, iuxta quæ & paululum inferius oculi eminent. His proxime adiacent duæ eminentiæ seu apophyses, quibus in inferiore parte antennæ duæ adnatæ sunt, quæ, ut in cancris nostratibus, ex circulis sensim decrescentibus constant. Antennæ hæ ad dentes sitæ exsurgunt (vid. *Fig.* 3.) Dentes duo externe convexi, in margine, quo se tangunt, serrati, interne concavi, conspiciuntur; in basi seu radice cuiusvis oblonga invenitur eminentia, quæ dentium molarium vices æmulari videtur. Dorsum ad dimidiam partem testa tenui tectum, quod reliquum est, membrana seu tunica admodum

tenuis claudere videtur. Corpus quinque septis in cellulas quasi dividitur, ita tamen, ut in medio liber transitus maneat, qui inferius angustior est, & quidem eo angustior, quo caudæ propior (vid. *Fig. 5.*). Septa hæc externe in ventre instar costarum posita apparent, quæ inter se in medio ventris coniunguntur (vid. *Fig. 4.*). Cavitates, quas formant, ultimum membrum cuiuslibet pedis claudit, membranis & tendinibus adnatum.

Miror sane, quod ne ullum quidem vestigium ventriculi invenerim, qui in cancellis nostratibus ex satis firma compage & ossibus, si ita loqui fas est, constat, firmisque circa orificium inferius instructus est dentibus. Vix credere possum, ventriculo cancellum nostrum destitui. Si ventriculo non destituitur, est iste sine dubio singularis & mollioris structuræ, qui cum reliquis mollioribus partibus internis tractu temporis consumi potuit. Abdominis & caudæ cavitatem vacuam inveni.

Secundum Illustr. LINNÆVM quilibet cancer duodecim instructus est pedibus, hinc & Eremita *r*). Ego decem tantum in nostro cancro observavi, inclusis chelis, quem numerum & spatia in trunco pedibus privato distincte determinant (vid. *Fig. 4.*). Quodsi vero appendices circa os, quibus cancer id retinet, quod chelis ori admovetur, pedibus adnumerantur, ubique eorum numerus ad duodecim accedit.

Chelæ ex quinque articulis constant (vid. *Fig. 6.*). Vltimus, qui proprie chela dicitur, iterum ex duobus, fixo nempe & mobili. Chela dextra grandior sinistra erat; id quod sæpe in aliis cancris observatur. Et chelæ, & quatuor pedes anteriores pro corporis reliqui conditione prægrandes sunt.

Quilibet pedum anteriorum ex sex articulis plano-rotundis componitur, qui quo propiores trunco, eo pressiores sunt. Ex-

r) Vid. eius Systema naturæ a I. I. LANGIO edit. Halæ 1740. p. 64.

Extremum cuiuslibet pedis fere ensiforme est, externe magis convexum, interne planum & pressum, in cuius medio linea usque ad apicem transit. Vltima extremitas huius articuli acuta, pellucida & dura est, instar unguis. Pars anterior pedum convexa in margine serrata est (vid. *Fig.* 7.). Quatuor pedes posteriores, minuti, compressi & politi sunt, absque incisuris serratis; in articulatione crinibus obsessi conspiciuntur, (vid. *Fig.* 8.).

Cauda extendebatur usque ad tertium gyrum conchæ turbinatæ. Caret circulis seu articulis, quos in cancris communibus observamus. Exterior ipsius tunica ad papyri crassitiem accedit, & mollis est. Diameter caudæ sit successive minor. In fine curvata est & testacea.

In utroque latere duo apophyses seu cornua observantur, quorum superius inferiore grandius est; istis crines nonnulli adnati sunt; externe hirsuta, interne vero polita apparent vid. (*Fig.* 9.).

Observatio XCIV.

DN. D. FRIDERICI SIMONIS MORGENSTERN.

De

Seri destillatione ex umbilico.

Vir triginta annorum, temperamenti paululum segnioris, strictioris habitus corporis, vitæ sedentariæ adstrictus, variis animi pathematibus, & præcipue, ob tristem rerum suarum faciem, mœrori gravi indulgens, duobus abhinc annis imbecillitate corporis tentatur. Quæ cum ipsi non satis curæ esset, & cum ex pessimo multorum hominum more animum unacum corporis viribus nimio potulentorum spirituoso-

rum usu reficere studeret, factum est, ut quartana febris successive ortum exinde traxerit. Hæc ineptis artificiis, præsertim adstringentibus tractata, evanuit quidem, sed extremitatum inferiorum tumor oedematosus subsecutus est, reliquis totius corporis partibus fere emaciatis. Accesserunt durities abdominis, brevis & impedita respiratio, nocturno tempore multo difficilior, dolores varii, modo pectus, modo abdominis cavitatem occupantes, nec non irregulares motus febriles, fauces aridæ & noctes insomnes, quæ omnia satis grave damnum & haud levem viscerum obstructionem indicabant. Ita constituto & mea auxilia die 24. Ian. a. c. imploranti eiusmodi ordinavi remedia, quæ, nisi febrem quartanam revocarent, viscerum tamen obstructioni reserandæ conducerent. *Loweri* decoctum avenaceum cum Cichorio, tincturæ alcalinæ temperatæ, pulveres salini, repetitus usus pilularum polychrestarum ad Beccheri methodum præparatarum, omnia hæc mihi videbantur morbo superando accommodata. Nec spes me fefellit; primo enim mensis Februarii die extremitatum inferiorum tumor infra genu descenderat, atque reliqua morbi symptomata mitiora se ostendebant, ut usum horum medicaminum continuari, haud abs re esse crederem; excepto *Loweri* decocto, quod, quia non ad palatum erat, æger recusabat, & cuius in locum aliud decoctum resolvens & temperans præscribebatur. Propter tumorem pedum vel sacculos tepidos ex furfure in usum vocavi, vel pedes tabulæ querneæ calefactæ imponi iussi. Tertio eiusdem mensis die de exquisito dolore umbilici ægrotus conquerebatur, tumor vero nullus conspicuus erat. Ad illum mitigandum, nec non ad resolutionem obstructionis viscerum facilitandam, Emplastrum saponatum *Barbette* camphoratum regioni dolenti noctu imponebatur. Quod etiam sine dubio auxilium tulisset, nisi officii genus, ad quod æger requirebatur, eum coëgisset, locum mutare. Vestimentis ergo probe munitus, rheda urbem

quan-

quandam vicinam petiit, de qua undecimo die Februar. per litteras mihi nunciavit, oedema pedum ſub uſu remediorum evanuiſſe & ſatis bene ſe valere, dolorem vero umbilici itinere finito vix ſuſtinere ſe potuiſſe, ut levaminis gratia aſſerem querneum ſiccum & calefactum nudo ventri impoſuerit, poſt cuius vero applicationem ex umbilico ſerum exſtillaſſet. Stillicidium hoc die XXVI. Februar. adhuc obſervatum eſt, quo die cum huius ſymptomatis ulteriorem deſcriptionem deſideraſſem, litteræ ad me datæ ſunt, quæ indicabant, aperturam umbilici adhuc patulam eſſe, & ut ipſa ægroti verba adducam: *man könne in den Nabel hineinſehen;* id, quod exſtillat, circa umbilicum, exſiccatum pallide rubere; quantitatem huius ſeri accurate determinari non poſſe, alio enim die maiorem, alio minorem quantitatem excerni; impoſita lintea plerumque madida eſſe, & durante hoc ſtillicidio dolorem nullum ſentiri. Læſo umbilico decerpta linteamina & emplaſtrum ſaponatum *Barbette* imponi iuſſi, coniunctis medicamentis internis, non quidem huic affectui, ſed potius morbo primario ac robori viſcerum deſtinatis. Vulnuſculum brevi poſt conſolidatum, & æger de nullis incommodis ulterius conqueſtus eſt.

Excretiones ſeri ex umbilico interdum occurrunt, & plerumque plethoræ & cacochymiæ, ſpeciatim vero relaxatis umbilici poris adſcribuntur, iisque hominibus præſertim accidunt, qui habitus ſunt ſpongioſi. Illuſtr. b. m. *Frid.* Hoffmannvs, in *Conſultat. med. Tom. XI. pag. 387.* eiusmodi caſum recenſet, excretionem ſeri impuri viſcidi ex umbilico ſiſtentem, & profitetur, ſe vel infantes, vel adultos hoc affectu laborantes aliquoties obſervaſſe. Caſum vero, quem enarravi, ab eo, quem Illuſtr. Hoffmannvs loco citato proponit, in multis differre, & hinc communicatione non plane indignum credidi. Dubium quidem nullum eſt, maſſam humorum ſubiecti præſentis, & per diætæ vitia, & per ineptam

febris quartanæ curationem quam maxime fuisse depravatam; interim tamen stillicidium subsecutum impuro duntaxat sero, vel relaxatis umbilici tubulis deberi, affirmare non audeo. Absentia enim tumoris frigidi in regione umbilicali, nec non ipse dolor exquisitus, huic sententiæ contradicunt. Stillicidium hoc ita potius enatum esse existimo: Obstructiones viscerum, & sine dubio etiam hepatis, humorum circulum naturalem in illis retardarunt; impeditus humorum transitus spasmos facile excitare, & simul umbilicum, per ligamentum rotundum hepati connexum, afficere & in consensum trahere potuit. Inde ergo dolor umbilici. Dolor iste per iter institutum auctus fuit, quo factum est, ut & simul humorum directio versus umbilicum promota sit; nulla enim corporis nostri pars dolore afficitur, ubi non eundem simul maior versus partem illam humorum excipit affluxus. Accedit denique impositio asseris quernei sicci & calefacti nudo ventri, qui humores eo fortius attraxit, ita quidem, ut pori umbilici angusti, propter nimiam fluidorum serosorum directionem versus tubulorum istorum extremitatem, tandem disrupti fuerint.

(*Magdeburgo Halam missa d. 28. Iul. 1756.*)

Observatio XCV.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Hæmatocele.

Iuvenis 34. circiter annorum, macilentus, per aliquot annos castra secutus, intemperantiæ maxime deditus, ægroto redux corpore in patriam, post varia alia perpessa militiæ incommoda tumorem scroti monstrosæ magnitudinis circumferens, tandem huius intuitu lectum petere & Medici pariter ac Chirurgi auxilium quærere coactus fuit. Quum prima vice

hi

hi ad illum accederent, & alvinam, & urinæ excretionem libere ſuccedere, nullumque circa appetitum & digeſtionem vitium aut defectum adeſſe deprehendebant; pulſus ſaltem erat plenus & paulo celerior, ægerque ſimul conquerebatur de anxietatibus præcordialibus, ex animi forte pathemate aut flatulentia oriundis, itemque de borborygmis & vagis doloribus ſpaſticis, tam in medio abdominis, quam in hypochondriis & lumbis ſe ſe exſerentibus. Scrotum ipſum, omnis doloris expers, nullam naturalis coloris in cute monſtrabat mutationem, tumorque nec ſplendens erat, nec tranſparens, digitoque preſſus nullam retinebat foveam, & licet ſub qualicunque eius compreſſione teſticuli tactu explorari haud potuerint, nulla tamen aderat durities, nec ullum inteſtinorum prolapſorum, aut flatuum incarceratorum indicium. Sub his ergo circumſtantiis ſtatim inſtituta fuit venæſectio, ad præcavendam forte adhuc ſuperventuram inflammationem, illaque peracta ſacculi, ex vegetabilibus reſolventibus & carminativis, addito ſale ammoniaco, parati & cum aceto & aqua cocti, ſcroto imponebantur, clyſter ex carminativis & emollientibus, iniiciebatur, ſimulque interne blanda reſolventia, diapnoica, digeſtiva, laxantia carminativa & temperantia ſucceſſive exhibebantur, ſed absque ullo ſalutari effectu, unde tandem chirurgica inſtituebatur operatio, perforando nempe ſcrotum in ſiniſtro latere cum acu triquetra, vulgo *Trocar* dicta, quod cum absque ullo dolore inde percepto factum eſſet, ſtatim ingens quantitas, integram circiter menſuram conſtituens, ſanguinis craſſioris nigricantis effluebat, quam ultimo, ſub leni compreſſione ſcroti, aliquot guttulæ materiæ cuiusdam albæ & quaſi purulentæ, verum tamen pus non referentis, excipiebant. Hoc ergo facto ingens ille & fere ſtupendus ſubſidebat tumor, continuatoque in- et externorum hactenus præſcriptorum remediorum uſu, intra breve temporis intervallum vulnus, ſimplici quodam emplaſtro hactenus tectum,

ctum, feliciter fuit consolidatum, ægerque pristinam ex voto recuperavit sanitatem.

Observatio XCVI.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Hydrops anasarca, ex corrupta febre quartana, in gravida, cum subsecuto sphacelo circa genitalia, cortice Peruviano sublatus.

Fœmina 36. annorum, quarta vice, & mense quidem tertio, gravida bona alias corporis prædita constitutione, varias post rixas & offensiones, victumque pravi succi, & minus excuratum, assumtum, cruditatibus ac bile corrupta onustum gerebat ventriculum, quas cum quotidie fere, novis semper in diæta commissis erroribus, adaugeret, pessimo illo vulgi præiudicio capta, gravidas absque noxa gulæ quomodocunque luxurianti indulgere posse, universam tandem humorum massam adeo inquinatam reddidit, ut prorsus tandem cacochymica evaderet. Accidit inde, ut ineunte Martio mense ann. 1750. aliquando gravi corriperetur horrore, quem vehemens excepit æstus, per totum corpus sese diffundens, isque siccus & absque ullo sudore per XIV. dies indesinenter continuans, tandem vero, instituta statim in principio Venæsectione, & subiunctis seduloque continuatis temperantibus, successive remittens, ac superveniente spontaneo sudore penitus iterum cessans. Licet autem critica hæc excretio spem recuperandæ sanitatis haud exiguam ostenderet, admodum tamen fallax hæc erat, siquidem, elapso vix aliquot hebdomadum spatio, quartana subsequebatur intermittens, illaque satis regularis. Exhibebantur quidem & eidem opponebantur consueta remedia incidentia, resolventia, digestiva, laxantia & robo-

roborantia, ſubiuncto demum provido corticis Peruviani uſu in forma ſemi-vinoſi infuſi; quum vero uſum illorum ſperatus non ſtatim exciperet effectus, aliarumque muliercularum accederent perſuaſiones, de ſpontanea huius febris ceſſatione exantlato partu certo ſubſecutura, ab omni prorſus abſtinuit medicatione, pravam autem non immutavit, ſed potius priſtino more continuavit diætam, hacque ratione brevi temporis intervallo plura alia graviora & periculoſiora proterve ſibi contraxit mala. Non ſolum enim univerſum externum corporis habitum tumor ſucceſſive occupavit ſeroſus, ſeu hydrops anaſarca, ſed quartana etiam in quotidianam intermittentem mutata fuit, inſimulque circa genitalia ingens primo oedematoſus obortus fuit tumor, qui brevi poſt, ſuperveniente inflammatione, ipſam gangrænam ibidem & ſphacelum comites ſibi adiunxit, unde, ob indies invaleſcentem virium proſtrationem metumque mortis facile ſubſecuturæ, accedentibus inſimul amicorum perſuaſionibus, denuo Medici Chirurgique imploravit auxilium. Statim ergo & interna remedia, æſtum præcipue mitigantia, viresque deficientes reſtaurantia, & externa diſcutientia, balſamica, digeſtiva aliaque, præſcripta & adhibita fuere, aſſiduoque illorum uſu, favente inprimis divina gratia, ſphaceloſæ tandem corruptionis reprimebatur progreſſus, partesque corruptæ mediante ſuppuratione feliciter procurata a ſanis ſeparari incipiebant. Hæc autem dum ita agebantur, ultimus adpropinquabat graviditatis terminus, ægraque noſtra, febre licet & hydrope anaſarca adhuc laborans maximeque debilis, non obſtante gravi adhuc præſente genitalium læſione, præter omnium ſpem & opinionem felici partu, legitimo tempore, absque dolore enixa eſt fœtum, admodum quidem imbecillem, vitam tamen in quintum uſque menſem continuantem. Exantlato dein partu nihilque febris impetu aliquo modo deferveſcente, prioribus remediis non ſolum ſubiungebantur reſolventia, incidentia,

digestiva & diuretica blandiora, sed ipse etiam cortex Peruvianus in electuario exhibebatur, hacque ratione, & diligentissime simul operam suam conferente Chirurgo, intra quadrimestre fere spatium ab ingenti hac truculentorum morborum caterva feliciter liberata fuit hæc fœmina, pristinasque vires una cum sanitate adeo perfecte recuperavit, ut postea duabus iterum vicibus gravida reddita, viventes adhuc & pariter sanos partu enixa sit liberos.

Observatio XCVII.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Maculæ scorbuticæ singularis indolis in vetula & puero.

Mulier quædam sexagenaria, egena, civis cuiusdam huius loci res domesticas curans, integra hactenus gaudens valetudine, nisi quod ab aliquot annis insolitam quandam in artubus lassitudinem, cum molesto aliquo in toto externo corporis habitu subinde sese exserente pruritu, perceperit, coniuncto simul colore faciei aliquo modo lurido & quasi cachectico, mense Martio a. c. mane e lecto surgens, copiosas hinc & illinc in variis corporis partibus observat maculas, petechiis quoad roseum colorem simillimas, magnitudine vero easdem quadantenus exsuperantes, & successive ita undiquaque sese diffundentes, ut ipsa etiam labia orisque cavum unacum faucibus occuparent. Harum quædam circa meridiem primi diei, dehiscente cuticula, sincerum plorabant sanguinem, escharaque dein obtegebantur; aliæ stagnantem sub cuticula & transparentem monstrabant cruorem; aliæ tandem, sensim evanescente rubore, colorem induebant flavescentem, adinstar sugillationum ex contusionibus ortarum. Nulla equidem gravia

gravia aderant ſymptomata, præter laſſitudinem quandam gravativam membrorum, cuius intuitu lectum tandem petere coacta fuit. Implorato dein auxilio medico, conveniens ſtatim & paulo ſtrictior imperabatur diæta, temperataque præſcribebantur antiſcorbutica, videlicet mixtura ex tinctura antimonii tartariſata & eſſentia lignorum cum ſpiritu cochleariæ parata; infuſum ex herbis recentibus cochleariæ, naſturtii, beccabungæ & ſemine fœniculi cum ſero lactis; decoctum pro potu ordinario, ex rad. fœniculi, graminis, cichorii, lapathi acuti, ſarſaparillæ, raſura cornu cervi, ligno ſaſſafras, ſem. dauci Cretici & caſſia lignea; linctus ex mucilagine ſem. cydon. cum aqua roſarum extracta, & ſyrupo florum papav. errat. melleque roſarum, ſub quorum uſu, interpoſitis ſimul laxantibus, & ſubiunctis diapnoicis, intra trium circiter ſeptimanarum ſpatium maculæ iſtæ penitus evanuerunt, priſtinaque feliciter reſtituta fuit ſanitas.

Paucis dehinc elapſis diebus ad puerum XI. annorum, integra huc usque ſanitate gaudentem, vocabar, illumque in lecto decumbentem, & in tota corporis ſuperficie maculis fuſcis æque ac rubris deformatum inveniebam. Erant hæ prioribus modo deſcriptis exacte ſimiles, hoc unico excepto, quod cuticula in omnibus permaneret integra, nullusque ex iisdem prodierit ſanguis. Nullus aderat æſtus febrilis, nullaque alia notabantur ſymptomata, præter anxietatem quandam præcordialem & intenſiores capitis dolores. Hinc eadem fere cum prioribus præſcribebantur remedia, ſicque ſucceſſive maculæ colorem induebant flavum, ac tandem intra XIV. dies omnes iterum diſparebant.

Observatio XCVIII.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Febris continua in quintanam intermittentem mutata.

Vir quidam macilenti habitus, sed robustioribus simul fibris instructus, ex itinere in Silesiam superiorem, nundinarum causa, suscepto redux, post varios in diversoriis male instructis, cogente necessitate, circa diætam commissos errores, de gravi primo conquerebatur dolore capitis, lassitudine totius corporis & spasticis circa lumbos sese exserentibus doloribus. Elapsis sic aliquot diebus, inopinato vehementem sentit horrorem, per integram horam durantem, tandemque in æstum insignem siccum desinentem, qui eodem fere in gradu, cum levi saltem quandoque intercurrente remissione, per quinque indesinenter ægrum excruciabat dies, tandemque, præmissa statim in initio Venæsectione, & subiunctis temperantibus variis, præcipue autem nitrosis, penitus iterum auferebatur & compescebatur, ita ut per quatuor dein subsequentes dies nulla amplius incommoda, præter universalem quandam debilitatem, restarent. Ast quinto die post meridiem ex improviso novus recurrebat horror, ægrum per integram iterum affligens horam, simulque doloribus cardialgicis, nausea & vomitibus stipatus, quibus copiosa extrudebatur saburra viscida, subsequente dein æstu admodum intenso, per duodecim horas continuante, & cum largo tandem sudore successive desinente. Per quatuor dein dies integra iterum fruebatur valetudine, quinto autem die similis recurrebat paroxysmus, hacque ratione, elapso semper quatriduo, sexies repetebat, sensim tamen mitescentibus symptomatibus, donec tandem, exhibitis interim digestivis, laxantibus, stomachicis ac diapnoi-

pnoicis, subiunctoque corticis Peruviani usu, felici eventu tota hæc clauderetur scena.

Observatio XCIX.

DN. D. CAROLI WILHELMI SACHSII.

Catalepsis triduana febri continuæ superveniens.

Virgo triginta annorum, vitæ sedentariæ addicta, ad animi adfectus valde prona, strictioris corporis habitus, ineunte Martio mense a. c. hora tertia matutina gravi corripiebatur horrore universali, per horæ dimidium durante, quem vehemens statim excipiebat æstus, cum pulsu celeri ac debili, cute arida, dolore capitis, præsertim circa cervicem, anxietatibus præcordialibus linguaque quasi retorrida, quibus, sub ulteriori progressu, iungebantur, artuum summa lassitudo, virium languor, somnus inquietus, ciborum fastidium, respiratio accelerata, sitis intensa & spasmodici per dorsum excurrentes dolores, una cum deliriis subinde saltem, tam diurno, quam nocturno tempore intercurrentibus, quæ prodeunte & quadantenus continuante sudore notabiliter semper minuebantur, vel penitus etiam cessabant. Instituta ergo primo statim die Venæsectione, ad sitim restinguendam aqua fontana, cum succo & Ess. sicca citri, addito simul nitro, mixta, & ad æstum mitigandum singulis ternis horis LXXX. guttulæ tincturæ flor. papav. rhœados, cum nitro & syrupo dictorum florum coniunctæ, versusque noctem pulveres, ex absorbentibus cum succo citri saturatis & nitro compositi, per intervalla exhibebantur. Dum hæc ita fiebant, legitimo tempore erumpebant catamenia in largiori quantitate, sed absque ullo levamine, siquidem singula illa prædicta symptomata in eodem tenore & gradu, modo remissiori, modo acerbiori, ad decimum usque perseverabant

bant diem, tuncque demum succeſſive evaneſcere incipiebant, ſimulque certiorem quandam ſpem ſucceſſuræ plenariæ reſtitutionis faciebant. Aſt duodecimo die inopinato nunciabatur mihi, ægram prorſus immobilem in lecto iacere, omnique ſenſu & ſermonis uſu plane deſtitutam, adeoque procul dubio forti apoplexia tactam eſſe. Statim ergo accurrens, eandem rigidam gelidamque & quaſi in ecſtaſi conſtitutam, in lecto decumbentem invenio, apertis, immobilibus & in unum locum defixis oculis, nihilque ad interrogata reſpondentem. Pulſus interim erat naturalis, reſpiratio libera & æqualis, deglutitio autem impedita, ut porrecta potulenta ſtatim iterum ex ore effluerent. De reliquo vultum monſtrabat hilarem, ſique brachium aut pedem attollerent adſtantes, moveri quidem poterat, ſed ſtatim priſtinum ſuum iterum occupabat locum & immobilis permanebat, unde facile ex ſingulis his coniunctim ſumtis ſymptomatibus concludi poterat, non apoplectico, ſed potius cataleptico affectu correptam eſſe hanc ægram, quæ dein ita rigida & lecto quaſi affixa per triduum manſit, nullaque arte, nec veſicatoriis acrioribus brachiis & ſuris impoſitis, nec clyſteribus ſtimulantibus iniectis, nec ſpiritibus volatilibus, naribus creberrime admotis, nec denique frictionibus artuum fortioribus, aliisque huius generis tentaminibus ſuſceptis, excitari poterat. Tandem, finito tertio die, emiſſis aliquot ſuſpiriis ſponte ad ſe redibat ægra, ſenſumque una cum motu recuperabat, rogantibus reſpondebat, potum deſiderabat, omnium vero, quæ interim ſecum acta eſſent, ob plenarium ſingulorum ſenſuum defectum, ſe prorſus ignaram profitebatur. Feliciter autem ſic ſuperato gravi & raro hocce paroxyſmo febris, quæ hactenus quaſi ſuſpenſa videbatur, denuo redibat, & ſub priori facie ad diem usque vigeſimum octavum continuabat, ſoloque prædictorum remediorum, iisdemque interpoſitorum diapnoicorum ac moderate reſolventium,

tium, & in declinatione subiunctorum roborantium usu feliciter tandem profligata fuit.

(*Wratislavia Halam missæ d. 12. Aug. 1756.*)

Observatio C.

DN. D. SALENTINI ERN. EVGEN. COHAVSEN.

Sectio anatomica, post fata suprema Eminentiss. ac Celsiss. Principis, Domini FRANCISCI GEORGII, Archiepiscopi & Electoris Trevirensis, reliqua, ann. MDCCLVI. d. XVIII. Ianuar. pie defuncti, instituta, iuncta simul prægressorum morborum historia.

Annus iam elapsus erat, ex quo Eminentissimus gloriosæ memoriæ Archiepiscopus & Elector langueſcere & enervari, succeſſive quoad externum corporis habitum, satis alias carnosum, contabeſcere, & appetitu, ceteroquin vegeto, sensim deficere inceperat; de stomachi quadam debilitate & subinde intercurrente nausea frequentes erant querelæ, quæ mala sensim adaugebantur, donec ipsis Calendis Ianuarii a. c. omnes cibos nauſearet, & indies magis magisque viribus deſtitui deprehenderetur. Varia quidem satis tempeſtive incommodis his opponebantur remedia, absque tamen optato effectu; accedebat enim clandeſtinus febrilis calor, cum nocturna oris siccitate, & a secundo usque ad sextum diem Ianuarii omnia deteriora reddebantur, viresque magis imminuebantur, ita ut interdiu sæpius, ob debilitatem, lectum præter consuetudinem premere cogeretur. A sexto die frequentes succedebant vomitus, iique utplurimum bilioſi; septimo accedebat tuſſis

tussis, qua mediante ex imo pectore pituitam reiiciebat tenacissimam, crassam pultaceam, purulentæ materiæ similem, sitis autem non erat intensior, sed saltem de oris & linguæ siccitate, imo plenaria interdum ariditate conquerebatur. Appetitus nunc omnis prorsus evanuit, ita ut per totum morbi decursum, a sexto nempe usque ad decimum octavum diem Ianuarii, nulla plane alimenta sumserit, sed tantummodo iusculum frequentius sorbillaverit, interponendo eidem per intervalla gelatinam cum succo citri aut cerasis paratam. Die decimo Ianuarii omnia ita in deterius ruebant, ut admonendus censeretur de sacramentali confessione, & sumendo viatico sacrosanctæ Synaxeos, quod utrumque in plenaria erga Deum fiducia suscepit. Matutino tempore utplurimum peius habebat, & de viribus admodum deficientibus conquerebatur; interdiu autem & noctu somnus satis erat tranquillus, sed semper laborem adferens. Decimo quarto die, quum mane surgere vellet e lecto, usque adeo viribus destituebatur, ut animo linqui videretur, unde extrema applicata fuit sacramentalis unctio, qua peracta paulo melius habere & refocillari credebatur; ast breves saltem hæ erant induciæ; licet enim die XV. tussis, antea adeo molesta, imminueretur, rariorque contingeret materiæ mucidæ reiectio, absque tamen ulla respirationis difficultate, & idcirco quibusdam spes aliqua restitutionis adfulgere videretur, die tamen XVI. maior notabatur inquietudo, & capiti pulvinaria supponi iubebat, erectoque, præter morem, corpore iacere peroptabat, ob laboriosiorem iterum redditam respirationem, unde hoc ipso die gravis omni-umanimos occupavit metus de funesto exitu iam adpropinquante; verum circa vesperam liberior reddebatur respiratio, reiectaque per vomitum copiosa bile, admodum tranquillum per totam hanc noctem capiebat somnum, simulque per intervalla, si forte evigilabat, iusculum, gelatinam & mixturam antiphlogistico - cordialem sumebat. Die XVII. mane nulla amplius

amplius notabatur oris & linguæ siccitas, neque sitiebat, interim loquela erat difficilis, ut vix intelligi potuerit, & ingruente vespera omnia repente in deterius vergebant, lingua penitus deficiebat, circa horam septimam somno opprimebatur, sub quo vires sensim sensimque magis frangi atque circa duodecimam respiratio profundior, & magis anhelosa fieri paulatimque imminui notabatur. Clausis, instar profunde dormientis, decumbebat oculis, brachia, quæ non ita multo ante adhuc inquiete iactitaverat, nunc immota iacebant, sicque inter constantes adstantium preces & tristissima plurium suspiria usque ad tertiam matutinam decimi octavi diei continuabat, tuncque quasi placide obdormiscens animam Deo reddebat.

Postquam ergo funestus hic discessus Reverendissimo & Eminentissimo Successori, Domino nostro clementissimo, a nobis infra signatis Medicis significatus fuit, non solum quæ ad funeris solennia spectabant disponebantur, sed & insimul nobis Medicis clementissime demandabatur, ut exanimatum glorioſæ memoriæ Principis Electoris corpus anatomice perlustraremus; hinc tertia pomeridiana, præsentibus, illustrissimo Comite *de Wertheren*, Camerariorum supremo præfecto, Dn. Consiliario intimo Wvst, Dn. Cameræ Consiliario seniore *Speicher*, ad hunc actum specialiter deputatis, per experientissimum Dominum D. *Iacobum Foelix*, Præsidii huiatis Electoralis Medicum ordinarium & Dominos Chirurgos assistentes, *Rosbach*, *Riekling*, *Pannacker* & *Gravert* facta est dissectio anatomica, initium in abdomine faciendo. Licet autem corpus externe perquam macilentum, extenuatum, partibusque musculosis & carnosis penitus fere destitutum deprehenderetur, integumenta tamen multa adhuc pinguedine referta erant, intestina vero partim collapsa, vacua, & colore ex rufo nigricante quasi inflammatorio tincta comparebant; ventriculus, satis magnus, valde flaccidus & fere va-

cuus, liquamen bilioſum, iuſculo ſumto mixtum, continebat; Lien valde erat exiguus, ſed naturaliter conſtitutus; hepar in gibboſa parte ſanum, in ſima vero, & præcipue illa, quæ incumbit ventriculo & veſicæ felleæ (quæ, prorſus vacua, omni carebat bile,) proxima eſt, nigricantem monſtrabat colorem, incipientis ſphaceloſæ corruptionis teſtem; ren uterque omni carebat vitio; veſica autem urinaria valde carnoſa, contracta & anguſtata deprehendebatur. His ita luſtratis, ad pectus progrediebamur. Elevato ſterno, quod magnum & firmum erat, cartilaginoſa, quæ in coſtarum connexione eſſe ſolet, ſubſtantia tota oſſea comparebat. Cor cum ſuis arteriis & venis in ſtatu erat naturali; lobus pulmonum dexter coſtis firmiter erat annexus, ſiniſter autem liber, uterque tamen minus ſanus, ſiquidem ſanguine copioſius, quam par erat, infarcti & ad corruptionem gangrænoſoputredinoſam diſpoſiti comparebant. Ceterum notari omnino adhuc meretur, quod, durante hac diſſectione anatomica, tam ex arteriis, quam venis diſciſſis parum promanaverit ſanguinis & utraque hæc vaſa admodum collapſa adparuerint. Aperto tandem & detecto cranio, omnia in cerebro naturaliter conſtituta inveniebantur. Actum d. 18. Ianuar. 1756.

Franciſcus Antonius Leodarius de Saylern, glorioſæ memoriæ Archiepiſcopi & Electoris Archiater & Conſiliarius intimus.

Salentinus Erneſtus Eugenius Cohauſen, glorioſæ memoriæ Archiepiſcopi & Electoris Archiater & Conſiliarius aulicus.

Ex antiquiſſima & illuſtriſſima, Viris principibus, Heroibus, Equitibus, Toga Sagoque, domi forisque omni ſeculo inclytis, ſumme celebrata *Schoenborniana* Familia, anno ſeculi præteriti octuageſimo ſecundo, XVII. Calendas Iulii originem ſuam duxit noſter Franciscvs Georgivs, ac poſt emenſos omnes heroicarum virtutum & dignitatum gradus ex

Præ-

Præpoſito Eccleſiæ Metropolitanæ Trevirenſis, cóncordibus ſuffragiis membrorum Reverendiſſimi Capituli, Archiepiſcopus & Elector VI. Nonar. Maii MDCCXXIX. renunciatus, V. Id. Iunii MDCCXXXII. in Epiſcopum Wormatienſem & XV. Calend. Iulii eiusdem anni in Præpoſitum Principem Elwangenſem poſtulatus fuit. Temperamentum ei dederat Natura ſanguineo-cholericum, quod Heroibus & ad magna natis ſæpius familiare eſſe ſolet, cuiusque intuitu blanda copioſioris ſanguinis diatheſis efferam ceteroquin bilem ita temperabat, ut non excederet, ſed neceſſariam ad ardua expedienda negotia adderet alacritatem. Statura ſicuti non excedebat in giganteam molem, ita nec parvitate deformis erat, ſed medios habebat bene compoſiti corporis artus. Habitus non ſolum toroſus, ſed etiam floridus erat; color faciei vividus, oculus igneus, ingenium, iudicium & magnanimitatem Principi convenientem prodens. Placido fulgebat in ore decor; in alloquio erat affabilis, in reprehenſione vero terribilis. Corpus equidem paulo magis videbatur obeſum, ita tamen, ut neque pinguedinea moles ad deſidiam & torporem cogeret, neque a continuo Regiminis labore detineret. Vi conſtitutionis connatæ in iram præceps videbatur, eam tamen prudentia & morali philoſophia moderare & compeſcere didicerat, ita ut limites transgredi eandem nunquam ſineret.

In virili ætate ad morbos minus proclivis fuit, ſi doloroſam Nephritidem calculoſam, ſæpius cum copioſi ſabuli & calculorum excretione recurrentem, excipias, quæ multis ſtipata tum colicis, tum gravibus aliis ſymptomatibus, primis Regiminis ſui annis crudeliſſimos concitavit cruciatus. Huic ante viginti annos iungebantur, frequens veſicæ ſpasmus, mictus cruentus admodum doloroſus, ſenſusque ponderis in veſica gravioris, ex quibus collective ſumtis ſignis calculum in eadem latitare tanto certius concludere licuit, quo magis idem etiam a duobus peritis Chirurgis, facta catheteris applicatione,

& ab ipso Archiatro, Dn. *de Saylern*, tactu eius præsentiam explorante, confirmatum fuit. Eodem autem fere tempore, quum fama publica, de novo illo calculum dissolvente remedio virginis Anglicanæ, undique magis magisque dispergeretur, continuus dolor, mali ipsius non immerito metuendum ulterius incrementum, amicorum consilia, exterorum persuasiones, variæ de felici effectu acceptæ relationes, & insignia in publicis scriptis decantata encomia Eminentissimi animum eo inclinarunt, ut cum singulari fiducia remedium illud maxime nauseosum in usum trahere constitueret, licet non omnium de eo esset consensus, quibusdam nempe maiora potius exinde incommoda metuentibus, aliis autem irritum plane & frustraneum eius effectum prænunciantibus; & calculi vesicæ dissolutionem per interna remedia plane negantibus. His tamen non obstantibus generoso animo periculum cum illo facere decrevit, & idcirco clementissime iniunctum fuit dexterrimo huiati Pharmacopoeo aulico, Dn. *Cornelio Bender*, ut sollicite omnia pro hoc arcano necessaria præpararet. Sumsit ergo aquæ fontanæ levioris mensuras duas, addiditque iisdem rad. bardan. drachm. vj. rad. fœnic. petroselin. ana unc. j. saponis Alicantini bolum integrum, coxit hæc leni igne, semper spatula lignea agitando, ad remanentiam partis dimidiæ, illamque in sex doses divisit, de quibus tempore matutino circa nonam, pomeridiano circa quartam, & nocturno circa nonam, semper unam hausit, postquam prius integram circiter drachmam sequentis pulveris in vino Toccavienſi sumserat: Rec. Testar. ovor. calcinat. unc. vj. Limac. calcinat. unc. unam & dimid. M. F. Pulvis. Pasta saponacea sequentem in modum præparabatur: Rec. saponis Alicantini opt. unc. xv. pulv. Nasturt. verrucosi, in crucibulo tecto ad nigredinem combusti, drachm. vj. cum dimid. mell. despumat. unc. ij. M. F. Globuli, pond. unciarum sex. Ad corrigendum autem & moderandum prioris decocti nauseosum saporem, uni-

unicuique dosi cochlear mellis despumati admixtum fuit. Medicationem hanc, divino favente Numine, die secundo Novembris 1740, inchoavit, & non interrupta serie continuavit usque ad diem vigesimum Novembris 1745. neque ullum incommodum a tanta saponis quantitate, successive assumta, sensit, neque unquam appetitus ullo modo laesus vel diminutus fuit, sed sobriam semper exquisite observando diætam, durante hoc tempore pancratice valuit, indeque concludere licuit, nullam exulcerationis vel corruptionis labem interne delituisse, prout fusius a me expositum, & observatis confirmatum est *in Commercio litterar. Norimb. ann. 1743. Mens. Iul. Hebd. XXX. sq. p. 233. sqq.*

Anno vero 1746. post superatum Venationis laboriosæ exercitium Trevirim discessit, ubi ex causa quadam incognita, (licet aliqui saponaceum decoctum accusare, eidemque effectum adscribere annisi fuerint,) Eminentissimus subito gravi corripiebatur diarrhœa, nullis quidem torminibus stipata, sed vires penitus quasi exhauriente, siquidem sub illa copiosissima amurca fœtida tanta in copia tantoque cum impetu exturbata fuit, ut tandem sub ipso excretionis actu vehementi oppressus fuerit animi deliquio, metusque proxime instantis mortis totam invaserit aulam; verum cardiacis fragrantioribus tam externis, quam internis excitatus & in quiete detentus, ad se paulatim rediit, fluxus imminutus fuit, & mitioribus adhibitis tonicis, successive penitus cessavit, appetitus una cum viribus restituebatur, sospesque postea, inter communes plausus a civibus Confluentinis, ad sua redux, susceptus & introductus est. Vividus denuo redditus faciei color, membrorumque pro ætatis ratione maior fere agilitas, ingeniique constans prompta activitas, in omnibus etiam arduis negotiis, ex omni parte sanam indicabant constitutionem, & de nullo conquerebatur incommodo, si catarrhales interdum occurrentes defluxiones illasque comitantem excipias tussim, quam tamen

facile mitigabat sequente pulvere: Rec. rad. liquirit. ʒiij. Spermat. ceti ʒij. Sacchar. citrati, seu cum flavedine corticum Citri recentium deradendo mixti ʒj. de quo omni bihorio dimidiam drachmam vel scrupulos duos capiebat, & ad involvendam seri acrimoniam de Pasta cum glycyrrhiza parata, particulam quandam, in ore leniter dissolutam, lente deglutiebat: Rec. rad. liquirit. libr. j. Concisa coquatur in s. q. aquæ fontan. dissolvantur dein in hoc decocto Gumm. arab. libr. iiß. colaturæ addatur Sacchar. alb. libr. j. coqv. l. a. ad consistentiam Marmeladæ, quæ non modo gratum & iucundum præbet remedium, sed etiam tussim siccam, ab humorum acrimonia irritante & stimulante ortam, mirifice lenit.

Anno 1750. mense Augusto urinæ excretio nimium imminui videbatur; licet enim hactenus interdum per unum aut alterum nychthemerum parcius prodierit, tertio tamen plerumque die copiosius reddebatur, quod nunc non amplius contingebat. Causa quidem huius imminutionis primo in sudores hactenus paulo largiores coniiciebatur; cum vero pedes, imo crura usque ad femora oedematosus occuparet tumor, ita quidem, ut incessus redderetur molestus, simulque calcei & caligæ dilatationem postularent, metus oboriebatur non plane vanus de imminente hydrope, pro quo avertendo sequens præscriptum fuit infusum: Rec. herbar. recent. linar. genist. ebuli cum toto, ononidis, sambuci, absynth. ana manip. IX. cort. tamarisci manip. vij. comburantur lento igne & in cineres redigantur, dein Rec. horum cinerum ʒvj. rad. iunip. ʒj. baccar. iunip. ʒß. semin. fœnic. petroselini, apii, ana ʒj. nitri antimoniat. rad. sqvill. ana ʒij. M. includantur sacculo, adfundatur vini Rhenani mensura una cum dimid. de quo infuso dein bis de die scyphum hausit, adeo felici cum effectu, ut lotium non solum copiosius flueret, sed oedematosus quoque pedum tumor brevi evanesceret. Ne vero copiosius quam par esset redderetur hic humor, & forte spuria quæ-

dam

dam concitaretur diabetes, ulteriorem huius infusi usum omisimus, eiusque in locum lene quoddam tonicum, ex Tinctura martis tartarisat. cum Elixir. balsam. Hoffmanni substituimus, quo per paucos dies sumto ita convaluit, ac si nunquam ægrotasset.

Anno 1751. die 23. Aprilis, spirante aquilone, Eminentissimus Montaburo redux, incautius se frigido vento exposuerat, hinc horripilatione corripiebatur, cui succedebat intensus in ischio dolor rodens & continuo torquens, omnemque quietem prorsus adimens, cumque eodem tempore Moguntiæ commorarer, ob adversam valetudinem Eminentissimi Electoris, hinc celeri nuntio inde avocabar, ac circa decimam vespertinam rediens, nostrum Eminentissimum sub intensissimis doloribus in lecto decumbentem, & non nisi illorum levamen anhelantem inveni. Protinus ergo linimento illo spirituoso & paregorico, ab illustri *Frid.* HOFFMANNO in *Medicin. ration. systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. VIII. §. 12. p. m. 444.* commendato, partem affectam illiniri iussi, simulque mixturam diapnoicam exhibui, quibus paulatim effectum fuit, ut, conquiescentibus aliquantum doloribus, sedendo extra lectum commorari potuerit. Ad penitus autem profligandum molestissimum hoc malum, & pristinum partibus debilitatis restituendum tonum, Thermæ Emsenses (quæ perquam commode & absque magnis sumtibus non solum calidæ, sed ita etiam fervidæ Confluentiam vehuntur, ut ante ægrotantium introitum, pro caloris & fervoris dissipatione, adhuc moveri debeant,) in usum vocabantur, quibus mediante Geranio Eminentissimus imponebatur, ac indies per horam ibidem relinquebatur, indeque intra quindecim dierum spatium ita levatus fuit, ut consueto more obambulare, quin etiam venationi deinceps iterum vacare potuerit.

Anno 1755. mense Augusto Eminentissimus citra manifestam causam, aut qualemcunque datam occasionem, inopinato

nato tussi adfligebatur molestissima, cui iungebantur ardens gulæ dolor, cum uvulæ relaxatione, & deglutitione difficili. Catarrhalis quidem saltem subesse videbatur & credebatur defluxio, verum comes erat materiæ mucido-viscidæ vere purulentæ copiosissima reiectio, illi non absimilis, quæ phthisicos exhaurit; febris lenta insimul non admodum obscure gliscebat, appetitus prorsus erat deiectus, urina intense rubebat, frangebantur vires, somnusque parcus & inquietior concurrebat. In usum ergo trahebat sibi familiare, ad inflammationem anginodem præcavendam & avertendam, gargarisma, quod ex aliquot cochlearibus aceti vini & spiritus vini, cum pauxillo sacchari, & aliquot cyathis infusi Theæ paratur, cui dein subiungebantur iniectiones demulcentes ex decoctis talium specierum cum lacte & nitro factis; interne vero exhibebantur remedia acrimoniam humorum temperantia, involventia, antiphlogistica, ac tandem lenia tonica & antifebrilia, quibus ultra mensem sedulo continuatis materiæ mucido-pituitoso-purulentæ reiectio sensim imminuebatur, ac prorsus tandem cessabat; stimulus vero ad orexin, alias semper adhuc rite constitutam, plane deficiebat, nec ullis stomachicis resuscitari poterat. Præ omnibus autem cibis carnes inprimis continuo nauseabat, ita quidem, ut unice saltem pisces appeteret, commederet, &, quod multis fuit admirationi, bene ferret, promte digereret, opportune egereret, nec ullam inde molestiam sentiret, licet a multis retro annis nunquam illos degustaverat, firma ductus persuasione, quod usum illorum, citra grave sanitatis incommodum & damnum, ferre non posset. Proinde etiam per intervalla appetitus devolvebatur ad lacticinia & pulticulas, maxime vero tales, quæ pro pueris in nostris oris ex farina triticea purissima & lacte parantur, nequaquam tamen hæc alimenta sufficiebant ad debitum corpori præstandum nutrimentum, nedum qualecunque augmentum; substantiam enim musculoso-carnosam sensim evanescere

atque

atque consumi tam in manibus, brachiis, suris & femoribus, quam in universo reliquo corporis trunco, ipse notabat, quique non ita multo ante de nimia in hydropem proclivi intumescentia sollicitus erat, nunc tabem pertimescebat. Ipse ego quoque affectum hunc nunquam pro simplici catarrhali habui (licet probe sciam, quod levis quoque morbus senibus gravem adferat laborem, insimulque nec inusitata nec absona sit assertio, quod & senibus fatales reddantur catarrhi,) sed vomicas vel tubercula exulcerata latitare semper opinatus sum, measque eo potissimum direxi indicationes therapeuticas, etiamsi postea sub anatomica corporis dissectione nullum illorum detectum fuerit vestigium, quale tamen fortassis reperiri potuisset, nisi usitato plerumque more eiusmodi scrutinia furtivo oculo, & nimis celeri manu instituerentur.

Mense Decembri 1755. ardua varia negotia crebriorem præbuerunt occasionem vehementioribus iracundis animi commotionibus, quæ præcipue quoque in ventriculum vicinasque partes nervoso-membranaceas vim suam exserere, & debili senescenti corpori grave utplurimum inferre solent damnum. Constat enim per experientiam, quod iracundiæ affectus in universam fluidi in cerebro & nervis contenti massam agat, illoque mediante universam nervorum & membranarum compagem gravissime afficiat, & omnes motus vitales insigniter turbet ac pervertat; hinc etiam factum procul dubio est, ut ob spasticos motus ad vesicam felleam pariter transeuntes illamque constringentes, bilis subinde in auctiori quantitate fuerit exturbata, motu peristaltico inverso in ventriculum propulsa indeque dein sub crebrioribus vomitibus adeo copiose reiecta, quemadmodum, ob auctiorem & inordinatum tam sanguinis, quam fluidi nervei progressum, somnus sub morbi augmento deficere, totumque corpus sensim, accedente artuum tremore, debilitari & fatiscere debuit. Licet autem de

reliquo animi esset vividioris ac sensibilioris, atque ob temperamentum cholerico-sanguineum ad iracundas commotiones admodum proni, ita ut, inconsultis etiam Medicis, si forte illæ maiori in gradu fuerint concitatæ, ad temperandam efferam bilem, de pulvere antispasmodico Hallensi integram sæpe drachmam assumserit; nunquam tamen, etiam sub gravissima dolorum exacerbatione, indignationem aut impatientiam qualemcunque monstravit, sed potius insignem mentis suæ tranquillitatem his verbis plus simplici vice demonstravit: *Finem exspectare confidenter oportet; Deo relinquenda sunt omnia, hic enim Rector vitæ est.* Cum denique mature a Medicis monitus esset de periculoso morbi sui statu, hos intrantes erecto, generoso & imperterrito animo allocutus est: *Laudo & approbo, quod me ob imminens periculum moneri feceritis; gratias ago pro sollicitudine, quam vos tum pro corpore, tum anima mea gerere lætus experior*; hæcque adeo serena protulit fronte, ut nec mortem timere, nec vitam amare visus fuerit, taliterque beatam analysin exspectans, placide obiit Germaniæ Nestor, postquam optime vixit & regnavit, a mundo nil maius acquirere potuit, præter id, quod sua religione orthodoxa, virtute & munificentia obtinuit.

Vix excesserat e vivis Eminentissimus, quum lugubre hoc fatum in Relationibus publicis non solum annunciaretur, sed insimul quoque perperam adderetur, omnia viscera absque ulla labe saniissima reperta fuisse, quod malevolus quidam suggessisse videtur, qui ad hunc exenterationis actum neque pertinuit, nec fortassis requisitus fuit. Vesicula fellea omnino quidem vacua deprehendebatur, indeque concludebatur, omnem bilem per frequentes vomitus reiectam fuisse; verum subfuit fallacia causæ non causæ, siquidem, ut mihi serius innotuit, Chirurgus, minus tunc temporis sobrius, improvide scalpello vesiculam vulneraverat, & dein, reprehensionem promeri-

meritam & opprobrationem metuens, magis dextre commissum solœcismum celare, quam sectionem instituere didicerat. Venas autem & arterias cruore prorsus fere vacuas fuisse, mirum haud videbitur, quum ex præmissa ultimi morbi historia constet, per integrum iam annum, & ultra, appetitum fuisse languidum, nec exquisitissimis stomachicis excitari potuisse, omnes carneos, gelatinosos & nutrientes cibos nauseæ fuisse, sicque in primis ita dictis viis exiguam copiam utilium ac nutrientium humorum, & consequenter etiam sanguinis, elaboratam fuisse. Calculi vero nec in renibus, nec in vesica ullum amplius apparuisse vestigium tanto magis omnes mirabantur, quo certius ipsis aulæ Proceribus innotuit, quantis quondam ex calculo (cuius complura specimina, pisis imo fabis maiora, vidi,) cruciatibus afflictus fuerit, insuperque his adhuc accedit, quod hospitem talem adversum satis magnum periti non solum Lithotomi & Chirurgi, sed ipse quoque experientissimus Archiater *de Saylern* distincte & aperte, ope catheteris, se deprehendisse & explorasse constanter asserant, quorum scrutinio & relationi sicuti fidem denegare minime licet, ita, sepositis aliis contrariis ratiociniis, unicum hoc experimentum nondum exacte satis demonstrare & confirmare videtur, quod grandior & durior in vesica latens calculus per Lithontriptici Anglicani usum, utut satis diu continuatum, penitus fuerit dissolutus. Merito proinde anceps hæreo, aliorumque potius diiudicationi relinquo, an vesica carnosa, parva, contracta minusque dilatabilis, a calculo quondam in ea latitante in præternaturalem hunc redacta fuerit statum, annon carnosa hæc constitutio exploratoribus imposuerit, illosque seduxerit, ut duriorem huius partis substantiam pro calculo habuerint. Hoc interim certum omnino est, quod ex mutata hac vesicæ conditione doloroſus ille ad mingendum & sub mictione perseverans stimulus, Eminentissimum creberrime adfligens, quoties exigua saltem & vix aliquot coch-

learia excedens urinæ quantitas in illa collecta erat, originem ſuam duxerit, cuius moleſtiſſimi ſymptomatis intuitu etiam publicos conventus, comeſſationes, luſus ac longiora colloquia (inique licet id interpretantibus compluribus, quibus vera cauſa erat incognita,) evitare non modo ſtuduit, ſed debuit, ne, dum ſtimulo huic reſiſtere conaretur, graviora inde ſibi concitaret incommoda. De ſana tandem conveniente cerebri conditione ſatis exquiſitum & infallibile teſtimonium præbuit conſtans magni ingenii, eminentis iudicii & generoſi animi ad ultimum fere terminum perſeverans vigor.

Ipſam de reliquo exenterationem promte, ingenioſe & apte peregit Clariſſ. Dn. *Iacobus* Foelix, Medicinæ Doctor, Militiæ Electoralis Medicus ordinarius & Poliater Confluentinus, qui etiam funeris condituram, me ſimul dirigente, ita exacte adornavit, ut, licet non omnis carnoſa & muſculoſa ablata fuerit ſubſtantia, per trimeſtre tamen ſpatium absque omni fœtore illud conſervari potuerit, & in ſacello apud R R. P P. Capucinos expoſitum ſteterit, usque dum xij. Calend. Maii pompa lugubri ad navem deductum atque inter ſeptuaginta tormentorum bellicorum, ex arce Ehrenbreitſteiniana ultimum honorem præſtantium, boatus, adſcendendo Moſellam, Trevirim translatum, & debito cum ſplendore in Metropolitana Eccleſia depoſitum & curatum fuit. Balſamationis autem formulæ fuerunt ſequentes:

Rec. Ceræ albæ part. iv. olei iunip. part. j. Obducatur his Linteum oblongum, cum quo, ad inſtar faſciæ, peracta conditura, totum corpus involvatur.

Rec. Rad. angelic. enul. petaſit. valerian. ariſtoloch. rotund. zedoar. herb. rut. abſinth. baccar. iunip. ana ℥vj. colocynth. myrrh. elect. aloes hepat. camphor. ana ℥iiß. Concil. & contuſ. coqv. in aceti fortiſſimi menſuris vij. Colat. adde

ſpi-

spirit. vini libr. iv. D. S. *Essig den Leib inwendig und auswendig damit zu waschen und zu beitzen.*

Rec. Rad. tormentill. zedoar. diptamn. alb. ana ℥ij. Herb. scord. C. B. rutæ, menth. crisp. abrotan. absinth. centaur. min. ana ℥ij. Cort. aurant. citr. piperis albi, longi, nuc. moschat. caryophyll. arom. macis, cinnamom. ana ℥iij. sem. anis. fœnic. baccar. iunip. laur. styrac. calamit. gumm. benzoes, camphor. ana ℥viij. gumm. oliban. myrrh. aloes, boli Armen. ana ℥viij. M. F. Pulvis subtilis, D. S. *Pulver nach dem abwaschen den Cörper, so wohl äusserlich, als innerlich damit zu bestreuen.*

Rec. Herb. absinth. rutæ, menth. salv. artemis. ror. marin. origan. serpill. centaur. minor. hyssop. puleg. scord. maioran. matricar. thymi, agrimon. aneth. betonic. ana ℥vj. flor. lavend. rosar. rubr. stœchad. arab. spicæ Indicæ, fol. lauri, asari ana ℥iij. sem. carvi, coriandr. baccar. iunip. granor. paradis. rad. cyperi rotund. zedoar. gentian. pyrethr. calam. aromat. ana ℥iv. nuc. mosch. maciris, cinnamom. santal. citrin. caryoph. aloes, myrrh. mastich. ana ℥iv. sal. commun. libr. dimid. M. concis. & contus. gr. m. D. S. Species pro abdominis cavitate effarcienda.

Rec. Olei spicæ, terebint. rosar. coct. ana ℥viij. ol. iunip. styrac. liquid. gumm. benzoes, styrac. calamit. ana ℥vj. terebint. Venet. libr. unam, ol. nuc. moschat. express. ℥iv. M. lento igne liquefiant & refrigeratis adde ol. destill. lavend. citri, caryophyll. arom. cort. aurant. chamomill. myrrh. ana ℥j. M. F. Balsamum, quocum corpus in et externe undique inungatur.

Rec. Myrrh. elect. aloes hepat. ana ℥vj. styrac. calam. gumm. benzoes cosli dulcis, amari, caryophyllor. aromat. nuc. moschat. santal. citrin. cinnamom. ligni aloes, flor. rosar. rubrar.

rubrar. balauſt. lavendul. anthos, herb. maioran. ror. marin. cent. min. abſinth. ana ʒß. ſem. baſilic. carv. ana ʒvj. moſchi & ambr. cum ſacchar. trit. ʒj. M. F. Pulvis, prævia inunctione cum prædicto balſamo toti corpori inſpergendus.

Rec. Ol. nuciſt. caryophyll. cinnamom. de cedro, de bergamott. ana ʒiij. iunip. ſuccin. ana ʒj. pulv. myrrh. rubr. ʒj. zibeth. moſch. ana ℈j. ambr. gr. x. D. ad Pyxid. S. Balſamum pro corde condiendo.

Rec. Ol. lavend. ʒß. ol. cort. aurant. ſpirit. roſar. ana ℈ij. Zibet. moſch. ana ℈j. ambr. gr. x. M. D. ad Pyxid. S. Balſamum pro inungendis cavitatibus oris & aurium. Denique iisdem, quibus abdominis cavitas, etiam culcitræ repletæ fuerunt ſpeciebus.

His propter affinitatem adnectere placet in Archivo repertam deſcriptionem (ut æternitati vindicetur,) obſervatorum in Eminentiſſimo quondam Trevirorum glorioſæ memoriæ Archiepiſcopo, *Ioanne Hugone*, cuius memoria legi poterit in NVNNINGII & COHAVSENII *Commerc. litterar. Tom. II. Epiſt. 14. pag. 267.* Sentiebat Eminentiſſimus, ſenio & laboribus exhauſtus, XV. menſis Decembris an. 1710. mane, cum pridie frigori hyemali in templo ſe diutius expoſuiſſet, virium deiectionem, cum coryza ſucceſſive graviori, mucoque multo, narium interiora lædente, quem coacervatum ſufficienter emungere, etiam admonitus, renuit, liberiorique aëri nimium ſe exponens catarrhum auxit.

Die quinto morbi febris acceſſit, unde experientiſſimus Dominus Archiater Palatinus, BRVNNERVS, in conſilium Duſſeldorpio advocatus fuit, ante cuius adventum die ſeptimo ab hora octava veſpertina ad ſextam matutinam cum vehemen-

mentissima tussi & febris exacerbatione magnam quantitatem materiæ sanguine tinctæ Eminentissimus reiecit, tanta cum vehementia & stertore, ut de vita dubitaretur, cumque omnia respueret medicamenta, remediis spiritualibus res tota fuit commissa. Mane præter omnium fere opinionem Eminentissimus adeo fuit levatus, ut oratorium suum more hucusque consueto iterum ingrederetur, cum spe reconvalescentiæ. Hoc die præmemoratus Dn. Archiater Brvnnervs advenit.

Communi igitur consilio tam ex oris siccitate, siti & pulsu inæquali, quam urina flammea, iustam de inflammatione interna, & quidem in pulmonibus, cum metu gangrænæ, suspicionem capientes, necessaria quæque proposuimus suasimusque omni sollicitudine remedia, & quidem assumtu faciliora, gratiora, mixturam antipleuriticam omni bihorio cochleatim repetendam, cum decocto pectorali, aliisque potulentis gratioribus; dissuasimus sollicite aëris liberioris usum, quibus tamen persuadere non potuimus Eminentissimo, quin quotidie infirmus vicinum adiret oratorium, æterna potius, quam mundana meditanti; nec magni fecit medicamentorum usum, etiam liquidorum, quæ tamen ipsa natura sollicitare videbatur, siti & invincibili oris siccitate.

Decimo quarto die erupit pus ex aurium dextra, postquam pridie de dolore eiusdem conquestus fuerat; sputamina, hactenus cruenta, in albicantia cocta mutata fuerunt, non citra spem subsecuturæ alicuius mitigationis febris, quæ tamen pertinaciter perseveravit, accedente simul dolore acuto in latere sinistro.

Vigesimo primo die increbuit febris, cum pulsu semper inæquali, virium tanta prostratione, ut e lecto surgere non potuerit, qui alias etiam, contra monita Medicorum, per totum morbi decursum singulis diebus, ad audiendum missæ sacrum,

ſacrum, non ceſſaverat oratorium ſuum frequentare. Subſequente viceſimo ſecundo die tranquillior fuit, ſomnumque habuit placidum; vigeſimo tertio die, qui fatalis fuit, plane exaruerunt fauces, potum tamen abhorruit, vires penitus fuerunt attritæ, & reſpiratio ſonora evaſit, mente tamen conſtabat, usque dum hora undecima veſpertina placidiſſime exſpiravit.

Vigeſimo quarto die, qui erat ſeptimus Ianuarii ann. 1711. inſtituta fuit cadaveris ſectio, & condigna eius conditura. Aperto abdomine meſenterium flaveſcens ac inteſtina hinc inde nigricantia comparuere; ſeparatis leviter inteſtinis ventriculus in conſpectum venit, cuius pars ſuperior, diaphragmati contermina, computruit gangræna, & extremitate digiti vix tacta diffluxit. Remoto ſterno, dexter pulmonum lobus ſalvus adhuc fuit, nullibi coſtis adnatus, ſiniſter vero undique coſtis accretus deprehendebatur, ea præcipue in parte, qua doluit Eminentiſſimus durante morbo ſupra diaphragma; ſeparato dein a coſtis hoc lobo ingens ſciſſura ſive lacuna, inſtar vomicæ ſatis amplæ, detecta fuit, mucilagine ſubflaveſcente, conſiſtentiam albuminis ovi referente, repleta & incruſtata. In ventriculo diſſecto & duodeno ſanguis nigricans comparuit; lien mollis erat, cum inciſuris, hepar autem vitii expers, itemque renes & veſica; cor, præter polypum circa valvulas ſemilunares hærentem, oſſeas habuit prominentias, quales etiam in aorta hinc inde notatæ fuerunt; in cerebro ſerum copioſum occurrebat, de reliquo autem ſatis firmum erat.

Hæc ita obſervata fuiſſe atteſtor, Ioannes Craffto HIEGEL, Eminentiſſimi piæ memoriæ Principis Electoris Archiater.
BRVNNER, Archiater Palatinus.

(Confluentia Halam miſſa d. 26. Aug. 1756.)

Obſer-

Obſervatio CI.

DN. D. CHRISTOPH. IAC. TREW

Siſtens Cedri montis Libani characteres cum illis Laricis, Abietis Pinique comparatos.

Omni ævo prædicata & decantata Cedrus arbor, a duobus iam ſæculis ſæpius quidem a præſtantiſſimis viris deſcripta & depicta in publicum producta eſt; quum vero eandem in loco natali obſervare eorum pauciſſimis contigit, & horum præterea plerique nec de omnibus, quæ hodie ad characterem rite definiendum requiruntur, inſtructi fuerunt, nec vel ipſi artem pingendi perfecte calluerunt, vel alios in his peritiores ad manus habuerunt: actum haud agunt illi, qui iam cognita denuo ad examen vocant, eaque vel confirmant vel emendant. Quum ergo mihi ſingularis occaſio enata eſt, licet non ex propria, alius tamen ex fida obſervatione, omnium partium huc pertinentium naturalem faciem depictam obtinendi, curioſis gratum fore duxi, earum publicationem hoc quoque in opere reperire.

In Anglia namque iam ſub finem præteriti ſæculi ſatæ & ad ipſum uſque fructum perficiendum nunc feliciter educatæ ſunt harum arborum plures. Hac occaſione data, celebris doctusque ſtirpium pictor, Dom. IO. DIONYSIVS EHRET, alibi ſæpius iam laudatus, non intermiſit, ramulum eiusmodi arboris, tribus iulis totidemque conis perfectis onuſtum & more ſuo elegantiſſime accuratiſſimeque ſecundum magnitudinem naturalem depictum a. 1744. mecum communicare, cuius imaginem omni ſtudio repræſentatam in prima tabula ac decade Plantarum ſelectarum, quæ opitulante Dom. IO. IAC. HAIDIO, pictore & chalcographo Auguſtano præſtantiſſimo, ab anno 1751. ibidem in publicum prodire cœperunt, iam

exhibui. Hac vero imagine sola non contentus petii ex laudato EHRETO, ut non solum totius arboris faciei, verum etiam omnium fructificationis partium imagines pari industria elaboratas superadderet; id quod etiam, pro amicitia nostra per aliquot iam lustra confirmata pedetentim ex voto obtinui, & quidem totius arboris picturam a. 1748. paullo post coni ex maturitate dissoluti seminumque perfectorum, a. 1754. vero reliquarum fructificationis partium, quibus eodem ferme tempore accessit conus maturus a Dom. COLLINSONO, Regiæ ut & Antiquariorum Societatis membro celeberrimo, benevole ad me missus.

Antequam autem easdem imagines producam & explicem, maioris illustrationis gratia præmitto ea, quæ circa harum arborum in Anglia cultarum historiam, tum ex Dom. IO. PHIL. MILLERI, Regiæ Societatis Londinensis & Botanicæ Florentinæ membri nec non Pharmacopœorum Londinensium in horto Chelseano Hortulani clarissimi Dictionario hortulanorum sextæ editionis, tum ex epistolis EHRETI hausi.

In horto Chelseano aluntur quatuor Cedri circa alveum plantatæ, quarum & totius horti ichnographiam elegantem IO. HEYNES chalcographus a. 1751. in folio regio cum publico communicavit. Harum earundem Cedrorum historiam fusius exhibuit laudatus MILLERVS l. c., ex qua, peregrino idiomate consignata, notatu maxime digna excerpere supervacaneum haud censeo hisque sisto. Satis celeriter incrementum capit hæc arbor: tres enim pedes altæ tantum erant quatuor illæ plantæ, quæ a. 1683. horto Chelseano inferebantur, nihilominus a. 1736. duæ ex his caudicis sui ad 2. pedes supra humum elevati peripheria 10. pedes iam æquabant, ramique a trunco ad extremitatem usque ultra 20. pedes sese extendebant. Arbor est amœnissima: non solum enim ad aliquam distantiam frondium externa seu superior superficies,

cies, ex denſiſſimis & virore perenni præditis foliolis elegantiſſimi periſtromatis inſtar contexta viſui obiicitur, dum rami omnes deorſum inclinant; verum etiam rami inferiores, caudicem 8. vel 10. pedum ab humo diſtantia ambientes, eousque reflectuntur, ut humum ferme attingant hincque æſtivo tempore gratiſſimum umbraculum præbeant. A. 1750. eædem indicantur menſuræ, ſi excipias caudicis peripheriam adunum pedem eiusque longitudinem, ab humo ad ramos usque nudam, ad quatuor pedes auctam. Ramorum amputationes absque incrementi impedimento haud ſuffert hæc arbor, id quod exemplo duarum reliquarum harum arborum Chelſeanarum probat, quæ minus provide prope caldarium hortenſe quoddam plantatæ & ampliores factæ (ne ſolis radios huic ædificio neceſſarios intercipiant) exciſæ, hinc vero reliquarum magnitudinem non multum ſupra dimidium conſequutæ ſunt; ſibi autem relictæ hæ arbores non ſolum in gelidiſſimis regionibus, quemadmodum in ipſo monte Libano perpetua ferme nive tecto, verum etiam in ſolo exili macro & glareoſo, quid? quod ſaxoſo, adeoque etiam in montibus ſterilibus calvisque lætius, quam in ſolo magis lutoſo aut pingui, procreſcunt atque augmentum capiunt, quare Auctor miratur, eas in Anglia hucusque haud copioſius eſſe cultas, prouti etiam P. BELLONIVS dudum iam in libello de neglecta ſtirpium cultura probl. XVII. docuit, non fore difficile, cedros aliis quoque in regionibus educare. Illæ, quas alit hortus Chelſeanus, ab aliquot iam annis iulos ſeu flores maſculinos, ſed earum duæ tantum hucusque (a. 1750.) conos produxerunt, nec hi prius quam ante 16. vel 18. annos ad ſeminis usque perfectionem maturuerunt, idque altero demum vere, & quidem perfectius prægreſſa hieme ſæviori. Pro arboribus his in Anglia ſerendis coni olim ex ipſo Libano allati ſunt, utpote quorum ſemina vim vegetativam ad aliquot annos conſervant & ad plantationem magis idonea redduntur, quando

coni maximam reſinæ ſuæ partem iam exſudarunt; nunc autem ſufficiunt illi coni, quos Anglia ipſa magna in copia ſuppeditat. Quæ curæ circa ſemina ex conis eximenda eorumque ſationem pariter, ac plantarum inde enatarum culturam, obſervandæ ſunt, ſollicite etiam adnotavit idem A. quas vero utpote a ſcopo alienas, ſicco pede tranſeo, eaque nunc, quæ EHRETVS mihi retulit, ſubiungo. Teneros conos Tab. IX. fig. 10-15. reperit 1753. ſub finem menſis Aprilis in horto Proceris (*Lord*) PORTMORES in *Waybridge* provinciæ *Surrey* 15. milliaria Londino diſtante. Eodem tempore in arbore eadem deprehendit etiam iulos fig. 3-9. præteriti anni, quorum capſulæ ſeu antheræ adhuc clauſæ & farina repletæ erant: recentes iuli fig. 1. 2. addebat, proveniunt menſe Iulio. Excelſam cedrum obſervavit porro in horto cuiusdam privati in *Hillington* provinciæ *Middleſex* prope *Oxbridge*, cuius baſis 13. pedes & 8. pollices circumferentia ſua tunc æquabat, arboris vero totius amplitudo ſecundum ramorum extenſionem tranſverſe ſumta 72. pedibus reſpondebat. In horto Ducis ab ARGYLE in *Hounslow-Heath*, 12. milliaria Londino diſtante, magna harum arborum e ſeminibus educatarum copia a 30. annis colitur, quarum aliæ 15, aliæ 20. pedes altæ ſunt, nulla vero hucusque conos produxit. In horto regio *Kinſington* aliquot inſuper tales reperiuntur arbores, iam fructiferæ, & in omnibus ſeminariis quotannis nunc ſeminum magna ſeritur copia, quam coni vel ex monte Libano allati vel in ipſa Anglia maturitatem conſequuti ſuppeditant.

Ex his præmiſſis facile intelligitur, qua fide gaudeant figuræ nunc explicandæ: repræſentantur autem

Tab. VIII. Cedri Libaniticæ totus habitus ſecundum unam ex Chelſeanis maioribus delineatus;

Tab. IX. eiusdem partes fructificationis, & quidem fig. 1. iulus ſeu amentum flores maſculinos ſeu ſteriles continens cum calyce

calyce ſuo imbricato ex foliorum faſciculi gremio pronaſcens; 2. idem per longitudinem diſſectus; 3. *a.* idem perfectus cum calyce polyphyllo *b.* perſiſtente; 4. calyx ſeparatus; 5. *c.* iulus ſeparatus & per longitudinem diſſectus, ut ſquamarum ſeu ſtaminum axis *d.* pateat; 6. quatuor ſquamæ iuli ſeparatæ; 7. eiusmodi ſquama a facie laterali in magnitudine aucta, quæ nil aliud eſt, quam pars illa, quæ dicitur ſtamen, cuius filamentum *e.* perbreve eſt, maxima pars *f.* antheram didymam ſeu capſulam bilocularem conſtituit farina ſeu polline maſculino refertam, & reliqua *g.* in expanſionem membranaceam abit, quæ membranæ antherarum apices claudunt & in iuli ſuperficie imbricatim ſquamarum inſtar diſpoſitæ comparent; 8. eiusmodi capſula ſeu anthera aucta transverſim diſſecta cavitatem ſuam polline refertam manifeſtans; 9. anthera in magnitudine naturali & aucta a facie inferiori, cuius loculi ex maturitate ſponte ſua dehiſcebant & pollinem explodebant; 10. conus partes femineas ſeu fecundas continens iunior *h.* cum calyce ſuo polyphyllo *i.* pariter imbricato, ſed ad coni perfectionem non perſiſtente: conus hic non ex foliorum faſciculi gremio uti iulus, ſed ſeparatim ex proprio petiolo provenit; 11. calyx a cono ſeparatus; 12. conus idem per longitudinem diſſectus, ſquamarum nexum cum axi *k.* repræſentans; 13. idem conus cum axi *l.* a ſquamulis ex parte denudato; 14. ſquamula ſeparata *m.* a facie inferiori, *n.* ſuperiori cum ſeminum binorum rudimentis; 15. o. conus paullo adultior, *p. p.* foliorum faſciculi ſigillatim provenientes; 16. conus maturus integer in magnitudine naturali, cuius vertex *q.* umbilicatus eſt, petiolus *r.* conum erectum ſuſtinet, coni vero maculæ reſinam exſudantem indicant; 17. eiusdem coni per axem verticaliter diſſecti dimidium, ubi mira & denſiſſima firmiſſimaque ſquamarum compages, aliquot ſeminum loculi, & axis petiolique continuitas (cuius ope ambo

simul persistunt & sine læsione a stirpe separari nequeunt) comparent; 18. eiusmodi conus sponte sua dissolutus, cadentibus squamis axem nudum *s.* relinquens; 19. harum squamarum una separata, quarum singulæ semina duo alata in superiori superficie fovent; 20. ex his seminibus unum separatum. Hæ partes omnes naturali suo colore repræsentatæ D. v. in plantar. selectar. dec. VI. comparebunt.

His characteribus addenda sunt folia plurima confertim ex tuberculo quodam hinc inde per ramos prodeuntia, acuminata, rigida atque perennia seu hieme non cadentia, quibus characteribus instructa arbor a variis auctoribus, præsertim recentioribus systematicis, varia obtinuit nomina. Est namque

Cedrus Bellon. Itin. 162. cum f. Matth. Comment. in Dioſc. Ven. 1570. p. 108. cum fig. Epit. 44. cum fig. Camer. Epit. 57. cum f. Tabern. Kreuterb. (Herb.) 1352. cum fig. Icon. 942.

- - Phoenicea *Renalm. Spec. hiſt. pl. 27.*
- - Phœnicia noſtra & Matthioli *Lugd. 36. cum f.*
- - Libani *Ger. 1454. Camer. Kreuterb. (Herbar.) 33. b. cum fig. Barrel. ic. 499. le Brun Voy. (itin.) 306. t. 155-157. Edward Hiſt. of Birds (Ornithol.) P. IV. p. 65 t. 188.*
- - Libani, ex qua templum Salomonis *Rauwolf. Reisbeſchr. (itinerar.) P. II. p. 280.* IV. p. 33. fig.
- - magna *Dod. 867. c. f. Portæ phytognom. L. IV. c. VII.*
- - magna conifera Libani *Park. 1532. c. f.*
- - magna ſive Libani conifera *I. B. T. I. libr. IX. p. 277. c. fig.*
- - conifera foliis Laricis *C. B. pin. 490. Rai. T. II. 1404.*

Cedrus

Cedrus maior montis Libani *Matth. comment. in Dioſcor. Venet. 1565. p. 126. c. f.*

- - Libani & Paleſtinæ præcelſa *Lob. obſ. 630. c. f. Adverſ. 443. c. f. Icon. 225.*

- - foliis rigidis acuminatis non deciduis conis ſubrotundis erectis *N. plant. ſelect. tab. I.*

Cedre du Liban *de la Roque Voy. de Syrie & du Mont-Liban p. 68. c. figg.*

Cedro dagli Hebrei & nelle ſacre lettere *Anguill. 43.*

Larix orientalis fructu rotundiori obtuſo *Tournef. I. R. H. 586.*

Abies foliis faſciculatis acuminatis *Linn. H. Cliff. 449. Wachend. H. Ultraj. 279. Gronov. Fl. or. n. 295.*

Pinus foliis faſciculatis acutis *Linn. Sp. pl. 1001. n. 6.*

Aeres S. Scripturæ *Hiller. Hierophyt. P. I. c. XLI. p. 377. aliorumque.*

Beroth & *Beroſch* S. Scripturæ *Ol. Celſ. Hierobot. 74.*

Horum auctorum figuras citatas qui confert cum illis EHRETI, facile deprehendit, earum nullam, nequidem illas BARRELIERI & de la ROQVE, ut ut reliquis præſtantiores, & totius arboris & eius partium habitum perfecte, plurimas præterea conos deorſum flexos repræſentare.

Vt certior fierem, quo iure hæc arbor a recentioribus vel ad Laricis, vel Abietis vel denique Pini genus referatur, ſingulorum horum generum ſpeciem aliquam, dudum iisdem adſcriptam, ſtudioſe examinavi & fructificationis partes adcurate depingendas curavi, quas figuras omnes illis cedri hic ſubiungere mecum quidem conſtitui, ſed temporis anguſtiæ aliæque rationes id prohibuerunt: ſufficiat ergo, nunc ea tantum brevibus exponere, quæ circa earundem convenientiam & differentiam obſervavi. Examinavi autem I. *Laricem folio deciduo coniferam I. B. I. 265. Tournef. I. R. H. 586.* ſeu

Pinum

Pinum foliis fasciculatis obtusis Linn. Sp. 1001. n. 7. II. *Abietem Taxi folio fructu sursum spectante Tourn. l. c. 585.* seu *Pinum foliis solitariis emarginatis, Linn. l. c. n. 8.* III. *Abietem tenuiore folio fructu deorsum inflexo Tourn. l. c.* seu *Pinum foliis subulatis mucronatis lævibus bifariam versis Linn. l. c. 1002. n. 10.* IV. *Pinum sylvestrem, vulgarem, Genevensem I. B. I. 253. Tournef. l. c. 586.* seu *Pinum foliis geminis, primordialibus solitariis glabris Linn. H. Cliff. 450. Spec. pl. 1000. n. 1.* Hoc examen me docuit sequentia:

I. Omnium specierum recensitarum æque, ac Cedri, iuli & coni in eadem stirpe, locis tamen distinctis, excluduntur. Omnium porro iuli seu amenta eadem gaudent figura & structura: figura namque in singulis cylindrico-ovata est & componitur ex plurimis staminibus, ordinibus regularibus, simplici axi transverse per totum ambitum affixis; singulum stamen (longe aliter, quam a TOVRNEF. t. 353. 355. 357. delineantur, exacte enim respondent staminibus Cedri tab. IX. f. 6-9.) perbrevi tantum gaudet filamento, anthera vero maximam eius partem format, oblonga & ex duobus loculis composita est, qui loculi in extremitate externa muniti seu cooperti sunt productione membranacea sursum scuti triangularis in modum prominente & squamæ instar totam iuli superficiem imbricatim investiente, maturi vero inferius sponte sua dehiscunt & pollinem subtilissimum explodunt. Eiusmodi præterea iulus in Cedro, Larice atque Abiete sigillatim ex gemma sua pronascitur & proprio calyce, vel, si mavis, gemmæ involucro persistente instructus est; in Pinu vero plures tales iuli, eodem tamen modo constructi, acervatim (conf. Camer. Epit. p. 40.) communi petiolo (quandoque ramoso, qualem Tournef. tab. 355. A. A. delineat) copulantur, proprio calyce carent & ante perfectionem communi tantum involvuntur.

II. Omnium

II. Omnium coni ex ſquamis (quas LINNÆVS floris feminini calyces proprios vocat) componuntur uni axi per gradus affixis, & ſingularum bini ſcrobiculi ad unguem earum ſuperficiei ſuperiori ſeu interiori impreſſi fovent duo ſemina, ala multo maiore, ſquamis tamen minore, inſtructa; ſed conus Cedri ovata & in vertice umbilicata ſe ſiſtit figura, ſquamæque omnes tam arcte inter ſe iunctæ ſunt, ut ſuperficiem ferme æqualem efficiant, nec unquam dehiſcant, niſi in ſumma demum maturitate, qua ab axi ſecedunt caduntque. Conus Laricis pariter quidem ovatus eſt, ſed non umbilicatus, & ſquamæ mox ab invicem valde recedunt extrorſumque flectuntur ita, ut ſuperficiem valde inæqualem atque hiulcam reddant. Abietis utriusque conus cylindricus ferme eſt & in maturo ſquamæ paullulum a ſe inuicem recedunt ſuperficiemque aſperam formant. Pini conus tener pariter quidem ovatus eſt, eamque figuram in alterum uſque annum ſervat; ſed ætate provectior vere conicus atque præterea tuberoſus fit, quæ tubera formantur ab apice ſingularum ſquamarum exterius prominente & quadrangulo: huius porro ſquamæ in ſumma maturitate ampliſſime a ſe invicem recedunt ita, ut ſemina ipſa excutiant. Quemadmodum autem in aliis generibus formandis fructus figura attentionem vix meretur, quando reliqui characteres inter ſe conveniunt: ita in his quoque eam ſolam pro charactere potius ſpeciei, quam generis, agnoſcent illi, qui in fructificationis partium convenientia acquieſcunt. Adeſt vero alius character ex his ipſis petitus notatu magis dignus. Cedri namque & Pini ſquama ad ſingulos flores femineos ſeu ſeminum embryones binos ſimplex tantum eſt, Laricis vero atque Abietis duplex, altera interna & amplior, quæ ſemina immediate ambit ac tegit; altera externa & anguſtior, quæ interiori proxime adſtat, ea tamen differentia, ut in Laricis & Abietis prioris ſeu n. II. tenero cono multum promineat & tunc fructificationis partes ab aeris iniuriis de-

fendere videatur; in Abietis vero posterioris seu n. III. cono tenero multo minor sit, quam interior squama ideoque valde exigua & usum hinc reddat obscuriorem. Porro, hæ squamæ exteriores, uti interiores, equidem in omnibus ad coni usque maturitatem persistunt, & rigidæ fiunt; sed in Larice atque Abiete n. III. vix notabile incrementum capiunt, unde in huius Abietis cono maturo difficulter reperiuntur, dum utriusque interiores squamæ crescendo illas multum superant; in Abiete vero n. II. & interiores & exteriores ad eandem longitudinem extenduntur; hæ tamen apicem suum reflectunt. Eiusmodi squamam Abietis n. II. exteriorem TOVRNEFORTIVS quidem delineavit tab. 353. fig. Q. &, obscurius tamen, indicavit fig. P. dudum vero ante illum accuratiusque C. GESNERVS *in Camer.* Epit. p. 49. Kreuterb. p. 24. b. lit. D. F. ubi lingula vocatur; ceterum autem nec hi nec alii, quantum scio, ulterius expositerunt. Vt hæc observata melius intelligantur, ea aliquot figuris illustrare necesse est. Sistit ergo tab IX. f. 21. Laricis squamam interiorem *a.* & exteriorem *b.* in nexu a facie interna, 22. exteriorem separatam ex cono tenero, 23. 24. ex cono adulto, a facie externa; 25. interiorem a facie interna cum binis seminibus alatis; Abietis n. II. 26. 27. 28. 29. 30. (ubi *c. d.* sunt semina internæ superficiei in externa quoque huius speciei in conspectum venientia) & Abietis n. III. 31. 32. 33. 34. 35. pari ratione, quibus accedit Pini n. IV. simplex squama 36. a facie externa cum apicis tuberculo *e*, 37. a facie interna cum binis seminibus alatis. Hic squamarum character illi a coni figura petendo maius iam conciliat robur & ambo magis adhuc firmantur, si non solum cum TOVRNEFORTIO, verum etiam cum LVDWIGIO atque HALLERO, foliorum dispositio varia iungitur. Si flores feminei seu embryonum rudimenta cum tubis seu stylis suis pariter accurate examinantur (quod mihi hucusque nondum licuit

cuit nec ab aliis factum obviam venit) plures forſan reperiuntur differentiæ characteres.

Qui ergo ſententiæ haud favent illorum, qui ex nimio ſyſtema naturale condendi ſtudio genera ſatis diſtincta miſcent, proptereaque antiquiſſimas nominum notiones, ſæpiſſime ſine urgente neceſſitate, delere minime dubitant, ex indicatis iam characteribus facile tot colligere poterunt, quot ad ſingula genera diſtinguenda ſufficiunt. TOVRNEFORTIVS, qui primus Cedrum & Laricem coniunxit, ſolam foliorum diſpoſitionem conſuluit; quando vero coni eiusque ſquamarum figura atque ſtructura numerusque in illo ſimplex, in hoc duplex ſimul examinatur, inter utramque pariter haud levis intercedit differentia, de quibus omnibus alia occaſione D. V. plura.

SCHOLIVM.

Auctorum, qui Cedros in monte Libano adhucdum reperiundas ipſi obſervarunt, relationes valde variant. Quas ego evolvi, ordine chronologico, quo montem laudatum conſcenderunt, ſunt ſequentes: A. 1575. LEONH. RAVWOLFIVS (Germanus & M. D. Auguſtanus) *Raiſſ-Beſchreib. &c. Lauingæ 1582. 4. P. II. p. 280.* A. 1647. de MONCONYS (Nobilis Gallus) *Voyages &c. a Paris 1695. 12. T. I. P. II. p. 106.* A. 1660. LAVR. d'ARVIEVX (Eques Provincialis) *Merckvv. Nachrichten &c. Gallice ed. a D.* LABAT, *& Germanice edit. Hafn. & Lipſ. 1753. 8. P. II. p. 333.* A. 1667. FRANC. FERD. de TROILO (Eques Sileſius) *Oriental. Reisbeſchr. Lipſ. & Francof. 1717. 8. p. 67* A. 1682. CORN. le BRVYN (Batavus) *Voyage au Levant. a Paris 1714. fol. p. 305.* A. 1689. de la ROQVE Nobilis Gallus (*s*)

(*s*) Auctor notarum, quæ adiectæ ſunt Germanicæ editioni Vniverſa-

lis

Voyage de Syrie & du Mont-Liban a Amsterd. 1723. 12. T. I. p. 67. A. 1696. M. HENR. MAVNDRELL (Anglus, Ecclesiæ Anglicanæ Alepi Antistes) *Reise-Beschreib. nach dem Gelobten Lande ex Anglica lingua in Germanicam translata Hamb. 1706. 8. p. 196.* His addenda est relatio illius Anonymi, cuius sæpius supra laudatus MILLERVS in Diction. Hortulanor. sub finem Laricis s. Cedri huius historiæ mentionem fecit, & qui A. 1720. in monte Libano suas observationes instituit. Horum præcipue auctorum ex relationibus hauriuntur, quæ nostro ævo de Cedrorum & quidem vetustissimarum maximarumque in monte Libano adhuc dum superstitum historia constant, quibus adhuc subiungere possum ea, quæ mihi ipsi anno superiori retulit D. STEPH. SCHVLZE, clarissimus ille instituti Hallensis, ad Iudæorum conversionem destinati, Missionarius, qui hunc in finem Asiam quoque peragravit & A. 1755. Libanum pariter visitavit. Horum relationes inter se collatæ parum inter se conveniunt. Libanum semper nive esse tectum, communis est opinio, & quando hæc traditio de summo eius cacumine intelligitur, id plures etiam asserunt; sed *Schulz.* mihi retulit, se, cui e longinquo id verum fuit visum, postero die ibidem nil, nisi fabulum candicans (*la Roqu. p. 71.* addit lapides duros ardesiamque albam), nullibi vero nivem mense Oct. reperisse, quemadmodum etiam *Arvieux p. 333.* mens. Iunio. *La Roqu. p. 73. seq.* (qui sub finem Augusti pariter nullam vidit nivem, nec sub Cedris, ubi pernoctabat,

lis Historiæ Orbis a quadam eruditorum Societate in Anglia conginnatæ (*Uebersetzung der allgemeinen Welthistorie &c.*) Halæ 1745. 4. T. II. p. 152. docet, Equ. d' ARVIEVX, non de la ROQVE, esse auctorem, & hunc tantum editorem huius aliorumque operum, quibus insolito more nomen suum praefixit. Moneo autem, huius & illius auctoris relationes multum inter se differre, quod vel etiam hinc inde ex sequentibus patebit.

ctabat, ullum ſenſit frigus, utut nullis ſtragulis tectus) ex relatione incolarum affirmat, ordinarie Decembri demum menſe nivem cadere & ab Aprili in Iulium usque ſolvi, poſtea vero eandem non amplius reperiri, niſi in quibusdam montis cavernis, quas ſolis radii penetrare nequeunt. *Le Bruyn p. 306. & ſeq.* expertus eſt, ipſo iam Ianuario nivem copioſiſſimam poſt meridiem liquefieri indeque peregrinatores huius accidentis ignaros ſæpius in ſummum vitæ periculum incurrere. *Moncon. p. 107.* menſe Dec. in ſummitate tantum paucam reperit nivem, *Rauvv. p. 281.* e contrario Maio adhuc atmoſphæram & nivoſam & ventoſam frigidamque ſenſit. Cedros in unica tantum montis huius regione reperiri, omnes indicant, & quidem paullulum infra ſummum eius cacumen, addit *Rauvv. p. 280. Monc. l. c. Arv. p. 238. la Roq. p. 67.* & *Schulz.* Eandem porro planam eſſe, refert *Arv. l. c.* & directe meridiem verſus ſitam addit *la Roq. p. 71.* Ad unum circiter milliare illam ſe extendere, memorat *Arv. l. c.* cui accedit relatio *Schulz.* qui eam cum ſpatio amplioris urbis, v. gr. Norimbergæ, comparavit. Hanc regionem, præter vetuſtas maximasque Cedros, magno iuniorum copia conſitam eſſe, indicant *Arv. p. 337. le Bruyn p. 306. b. la Roq. p. 69.* & *Maundr. p.* 196. confirmavitque *Schulz.* qui addidit, ex his haud paucas ad 80. ped. altitudinem iam perveniſſe, easque, & adhuc iuniores, conos iam ferre; *Rauvv. p. 280.* vero, qui huius loci circuitum definit exiguum, omni adhibita inquiſitione, nullas invenire potuit harum arborum ſoboles: unde colligendum eſſet, annorum circiter 80. ſpatio eas ſuccreviſſe, quod minus incredibile eſt ex eo, quia Cedri Chelſeanæ pari intervallo ad parem ferme magnitudinem pervenerunt. Quod autem ad vetuſtarum Cedrorum numerum attinet, earum XVI. tantum numeravit *Maundr. p. 196*, XX. *la Roque p. 68*, cum quo *Schulz.* convenit, XXIII. *Arv. p. 333. ſeq.* XXIV. & II. vetuſtiſſimas ramis iam orbatas *Rauvv. p. 280*, XXV-XXX.

Monc. p. 107, XXXV, vel XXXVI. *le Bruyn p.* 306. *b.* Altitudinem eiusmodi arboris nullus ex citatis auctoribus mensuravit, omnes autem eam declarant insignem, & sigillatim *Rauvv. l. c.* cum altissimis Abietibus comparat, *la Roq. l. c.* vero affirmat, cum tali Cedro nullam comparationem obtinere Platanum, Sycomorum aliamve grandiorem arborem ab ipso unquam visam. In caudicis crassitudine & ad ramos usque longitudine definienda quam maxime differunt hi auctores: longitudinem comparat 12. ulnis *Troilo p.* 67, 15. vel 18. ped. (5. vel 6. yards) *Maundr. l. c.* 10-20. ped. *Schulz.* 6. vel 7. tantum ped. *la Roq. p.* 70. (*t*); crassitudinis vero peripheriam deprehendit æqualem sex virorum amplexibus i. e. 30. vel 36. circiter ped. *Arv. p.* 334, 36. ped. & 6. dig. *Maundr. l. c.* 37. ped. ord. *Schulz.*, aliquot orgiis *Rauvv. l. c.*, 4. virorum amplexibus i. e. 20. vel 24. circiter ped. *Troilo l. c.* (quam mensuram IO. BAVH. *T. I. L. IX. p. 278. b.* ex relatione MELCH. LVSSY ulterius adhuc extendit), unius arboris 47. alterius 57. palmis (*paumes*) *le Bruyn l. c.*, & 7. ped. minus 2. dig. *la Roque p.* 72. *seq.* Hunc caudicem deinde mox abire in 3. vel 4. valde crassos truncos adeo confertos, ut simplicem tantum forment arborem, narrat *Monc. l. c.*, *Maundr. l. c.* vero eorum 5. describit & singulos cum crassa arbore comparat, cum quibus etiam convenit *Schulz.* ut & *la Roq.* secundum suam figuram (quam IO. IAC. SCHEVCHZERVS *Phys. sacr. tab. CCCCXVIII.* repetiit) quæ etiam non solum hos truncos, verum etiam eorum ramos maxime diffusos atque omnes præterea erectos repræsentat. Descriptio eorundem apud *la Roq.* valde obscura est: refert

(*t*) Quum hæc mensura a reliquis quam maxime differat, hinc A. notarum Vniversi. Orbis Historiæ l. c. p. 153. nota 119. coniicit, ponendos esse 17. ped., hanc mensuram vero *la Roque* non indicat numeris, sed verbis.

refert enim *p. 69. ſeq.* hos ramos extremitatibus ſuis formare ambitum perfecte rotundum (*un rond tres-perfait*) ſeu rotæ quandam ſpeciem artis operi ſimilem (*une eſpece de roue, qui ſemble être un ouvrage de l'art*) & ex litteris, quas Maronitarum Patriarchæ Secretarius ad ipſum latina lingua dedit, quasque p. 74. inſeruit, recenſet, ramos extendi in gyrum ſolo parallelos umbellam ferme ſolarem conficientes; dum vero omnes truncos & ramos erectos pingit, hoc nonniſi de ſummo cacumine intelligi poteſt. Quæ ceterum ex iisdem litteris aliorumque relationibus addit, hos ramos nempe hieme ſuperveniente nivis copia, cuius ponderi ſine diffractione reſiſtere haud poſſent, ſtatim in altum aſſurgere & ſecum invicem iunctos conum quaſi conſtituere, ut melius ſeſe ab adveniente hoſte tueantur, fabulam ſapit & ex ipſa huius arboris ſtructura lignoque duriſſimo facile refelli poteſt. *Monconys p.* 107. caudicis diviſionem in truncos, ſed arctiſſime inter ſe coniunctos, pariter indicavit, ramos etiam umbellæ in formam, ſed per diverſos ordines ſeu contignationes diſpoſitos deſcribit. Longe aliter caudicis continuationem obſervavit *Arvieux:* hic enim *p. 338.* tradit, omnes ramos ex caudice prodire, ſe in orbem, unum ſupra alterum, umbellæ figura expandere, & gradatim ſuperiora verſus ita imminui, ut ſingulorum diameter tanto minor fiat, quanto magis vertici accedunt. *Troilo* (cuius relatio etiam legitur apud WALPVRGERVM *Cosmotheologiſche Betracht. P. I. p. 433.*) hanc diſpoſitionem diſtinctius adhuc definit, dum *p.* 67. docet, primum ramorum ordinem, poſt 12. caudicis ulnas prominentem, corollæ inſtar circumcirca ſe extendere, deinde caudicem iterum ad 6. ulnar. ſpatium nudum apparere, poſtea alium ſimilem ramorum ordinem ſed priori denſiorem provenire, huncque iterum aliud ſed brevius caudicis ſpatium excipere, & poſtea novum ramorum ordinem ſequi, atque ſic porro hanc diſpoſitionem continuari usque ad cacumen arboris,

ris, quæ hac ratione elegantem pyramidem repræſentat, id quod etiam ex *Rauvv. p. 280.* deſcriptione colligi poteſt, qui vero hanc ſingularem obſervationem addit, caudicem ſecundum ramorum augmentum ſe flectere, indeque ipſos ramos a rectitudine ſua recedere. Hanc ramorum per gradus diſpoſitionem confirmant quoque ea, quæ MATTHIOLVS *Comment. in Dioſc. lib. I. c. 89.* ex relatione amicorum, qui univerſam fere Syriam peragrarunt, dudum iam annotavit & affirmavit, eundem creſcendi modum annoſiores quoque Libani Cedros tenere, & ramos ab imo usque ad cacumen fere in rotæ modum per intervalla caudicem cingere & ſpatiari, eosque tanto minores apparere, quanto ſuperius erumpant. Ex eodem forſan fonte eadem referunt DODONÆVS *p.* 867. atque DAPPERVS *Deſcr. Syriæ & Paleſtinæ p. mihi 38. b*, qui addunt, ramos tali ordine alterno diſpoſitos eſſe, ut per hos ad cacumen usque, veluti per ſcalas, aſcendere quis poſſet: conf. MATTHÆI HILLERI *Hierophyt. P. I. c. 41. p. 378.* Iuniores cedros hunc indicatum per ramorum contignationes pyramidis forma creſcendi modum ſemper ſervare, nullus contradixit, ſigillatim vero non ſolum ipſe *la Roq. p. 69.* ſed etiam *Arv. p. 338.* & *Schulz.* confirmavit. Quod ad ramorum longitudinem attinet, huius quoque menſura a variis varie indicatur: eam inſignem eſſe, generalibus tantum terminis declarat *Rauvv. p.* 280; & *le Bruyn p.* 307. plura de eadem non affert, quam quod ramorum ſub umbra magna hominum caterva ſedere poſſit. *Maundr. p.* 196, eorum amplitudinem cum III. ped. (37 yards) comparat: an vero diameter, an circumferentia intelligenda ſit, dubium reddit *Anonymus* apud *Millerum*; qui maximæ cuiusdam cedri ramorum diametrum 22. ulnis (yards i. e. 66. ped.) æqualem invenit, & *Millerus* addit, hanc menſuram non reſpondere modo indicatæ, ſive de diametro ſive de circumferentia aſſumatur; *la Roque p. 73.* circumferentiæ 120. pedes adſcribit, quæ menſuræ adeo diffe-

differentes nullo modo inter ſe comparari poſſunt. Denique ramos infimos ad humum ferme usque reflecti, iterum tacent omnes, ſi excipias *Troilo p.* 68; dum vero hic addit, eosdem non ſolum ad humum ipſam usque deſcendere, verum etiam ibidem radices agere & novos truncos formare (unde communem illam fabulam explicare conatus eſt, cedrorum harum numerum nunquam exactum reperiri poſſe) fidem ſuperat, quia eiusmodi multiplicatio in hoc arborum genere contra naturam eſt. Ceterum frondes Cedri ambitum ferme æqualem & artis quaſi opus perfecte tonſum referre, annotavit quoque *Maundr. l. c.*, hanc arborem vero, præter conos, iulos quoque proferre, nemo ex citatis auctoribus indicavit, præter *Arvieux p.* 337, ubi eosdem vocat flores, eosque ſteriles eſſe addit. Qua cura nunc Libani cedri a Maronitis cuſtodiantur, refert *idem p.* 338. & *la Roque p.* 71.

Hæc ſunt primaria momenta, quæ ex itinerariorum citatorum relationibus colligi poſſunt; quoniam vero una alteri contradicit, optandum eſt, ut data occaſione quispiam de his omnibus curioſos reddat certiores, ſimulque certam menſuram pedis vel Rhinlandici vel Anglici aut Gallici adhibeat &, qua uſus ſit, indicet.

Arborem hanc eſſe eandem, quæ in ſacro codice ob amplitudinem & altitudinem excellentem præ reliquis ſæpiſſime laudatur & *Aeres* vocatur, communis eſt ſententia, quam MATTH. HILLERVS *in Hierophytico Trai. ad Rh. 1725. edito P. I. c. 41. p. 377.* confirmare adniſus eſt; aliis vero recentioribus, quos facies nonnullarum cedrorum noſtro ævo examinatarum (quarum caudex altitudini decantatæ haud reſpondet) ſeduxit, probabilius viſum eſt, *Beroſch* ſignificare hanc cedrum, *Aeres* vero Pinum; quam opinionem multæ lectionis variæque doctrinæ apparatu tuendam præcipue in ſe ſuſcepit OLAVS CELSIVS *in Hierobotanico Vpſal. 1745. in*

8vo mai. p. 74 - 134. Argumenta eius primaria sunt sequentia:

1) Cedri libaniticæ caudici rectitudo & proceritas omnis denegatur *p. 132.*

2) eandem ergo arborem ob caudicis humilitatem (*p. 94. 120. 123.*) crassitudinem (*p. 94. 95. 123.*) ob verticis porro incurvationem (*97.*) ramosque parva ab humo distantia ex caudice circumcirca copiose excrescentes (*94 - 96. 123.*) ad opera, quæ ex *Aeres*, testantibus sacris paginis, fabrefacta sunt, (scilicet, præter templum Hierosolymitanum & palatia regia, columnas, turres, & navium ingentium rates, carinas malosque, quod multis locis ex scriptoribus tam sacris quam profanis citatis *p. 97. 122.* probat) minime aptam esse concluditur *p. 99. 122. 125.*

3) Ex quantitate materiæ, quam ædificiis & structuris SALOMONIS (*Paralip. II. 18.*) Libani silva suppeditavit & ad quam cædendam octoginta millia, transferendam autem septuaginta millia virorum ille selegit, *p. 125.* colligitur, tantam cedrorum copiam in Libano inveniri & cædi potuisse, non facile eum credere, qui scit, in universo terrarum orbe non dari cedrorum silvas, pineta autem ubique per immensa terrarum spatia longe lateque extendi.

4) Quum ante annos CC nonnisi paucæ supra viginti in Libano Cedri visæ sunt peregrinatoribus; inde patere, additur, temporibus antiquissimis quoque ibidem id genus arborum rarum fuisse.

5) Arboris *Aeres* frequentem usum fuisse in sacris per MOSEN institutis *Levit. XIV. 4. 5. 6. Num. XIX. 6.* adducitur *p. 126.* sed simul adstruitur, hæc loca ad Cedrum magnam vulgo dictam sive Laricem orientalem restringi, necesse non esse, neque Iudæos id postulare, qui, quum plures numerent

merent *Araſim* ſpecies, unam duntaxat, quæ proprio & omnibus noto nomine *Aeres* (Pinus) dicta ſit, nec in Libano tantum, ſed ubique locorum reperiatur, in lege voluiſſe intelligi, id quod ex ABEN ESRA & MAIMONIDE ibidem probatur additurque, hanc extra patriam & uno ſolo loco ludæis in ſacros uſus acquirendam ſemper fuiſſe, quam abſonum ſit, neminem non intelligere;

6) Quando ESAIAS *c. XLIV. 14. 15.* indicat, τὸν *Aeres* homini ad comburendum eſſe, *p. 127.* monetur, Pinum usque adeo inter cremiales arbores uſurpari, ut faces quæcunque vocentur tædæ ſeu pini.

Quanticunque autem roboris omnino ſint hæc doctiſſimi CELSII argumenta, ea tamen, quod pace tanti Viri dictum ſit, omne dubium, quod nullibi ſacri codicis locorum ſub *Aeres* nomine intelligenda ſit Cedrus Libani hodie adhuc ſic dicta, ſed ſemper Pinus, nondum tollere, mihi ſaltem videtur. Ipſe laudatus Vir no. 5. concedit, & ex Iudæorum ſcriptis probat, eos plures numeraſſe *Araſim* ſpecies, quarum Rabinos ſeptem fingere, eisque Pinum, Piceam, Abietem & Cupreſſum adnumerare, docet HILLERVS *l. c. p. 379*, qui præterea p. 378. nomen hebraicum *Aeres* & arabicum *Araza* vel *Azara* ut & *Arzon* ab uno eodemque etymo derivat, & addit, hoc nomen quamlibet denotare arborem coniferam, Cedrum videlicet, Pinum & Piceam. Mirum hinc non eſt, ſacri codicis LXX. interpretes in vertendo τῶν *Aeres* atque *Beroſch* nomine ſæpius variaſſe: nam 1. Reg. VI. 15. EZECH. XXXI. 3. 8. τὸν *Aeres*, & II. Reg. XIX. 23. Pſ. CIV. 17. ES. XXXVII. 24. LV. 13. LX. 13. τὸν *Beroſch* verterunt in κυπαρισσον, quemadmodum iidem *Beroſch* ES. XIV. 8. ξύλον λιβάνου, ZACH. XI. 2. πίτυν, ES. XLI. 19. Ελάτην, & HOS. XIV. 9. Ἄρχευθον. Supra laudatus SCHVLZIVS me certiorem reddidit, Cedrum Libani ab eius regionis incolis hodie adhuc

appellari *Aeres*, quemadmodum Abies, quæ ab Europæis non differt, *Beroſch*, cui relationi addidit, ibidem aliam adhuc arborum coniferarum ſpeciem (cuius vero characterem, ſtirpium notitia haud inſtructus, indicare non potuit, & quæ forſan eſt Pinus, cuius ad Libani radicem copioſe obviæ mentionem facit MONCONYS *p. 109.*) & quidem copioſius creſcere, quæ plerumque ad conclavium tabulata adhibetur & pariter *Aeres* vocatur, ſed ſimpliciter, quum e contrario altera ſpecies nomine *Aeres Libani* diſtinguatur, monens ſimul, eandem diſtinctionem ſemper etiam in ſacro codice obſervari. Si ullibi *Aeres* de alia arbore, quam de Libani Cedro, explicari poteſt, id certe EZECH. c. XXXI. nequit: ibi enim propheta, Pharaonis maieſtatem adumbrans, eam arboris cuiusdam præ reliquis excellentis imagine repræſentat, quacum nulla alia arbor, certe ex coniferis hucusque cognitis, ramorum copia, craſſitudine & inprimis longitudine, ut & frondium denſitate pulchritudineque, nec non umbra amœniſſima æque ac ampliſſima convenit, quam Libani Cedrus, quæ omnibus his attributis *l. c. v. 3-7.* decantatis uberrime gaudet, cuius habitus hic recenſitus tam peculiaris eſt, ut ab omnibus ſtirpibus, ipſisque aliis coniferis, absque ulla hæſitatione diſtingui queat. Ab illo autem Propheta *v. 3. 8.* vocatur hæc arbor *Aeres montis Libani*, & *v. 8.* maioris illuſtrationis cauſſa additur, nec ramos τῶν *Beroſch* cum illius ramis comparari potuiſſe, quare laudati CELSII aſſertionis (p. 97.) rationem aſſequi haud poſſum, Prophetam hunc *l. c. v. 8. Beroſchim* ab ramorum amplitudine commendare, *Araſim* vero ab altitudine potiſſimum celebrare, quum potius expreſſis verbis ibidem declaret, ramos τῶν *Beroſchim* cum ramis τῶν *Aeres* comparari haud potuiſſe. Id contra ex huius deſcriptione colligo, eundem *v. 3-7.* huic arbori tum amplitudinem incomparabilem, tum altitudinem inſignem, quid? quod præ omnibus arboribus agreſtibus ſuperiorem tribuere.

Si

Si nunquam ulla Libani cedrus alia ſub forma creviſſet, quam illa a MONCONYS, de la ROQVE & SCHVLZIO obſervata: hæc opinio vana eſſet; ut autem taceam eam formam, quam MATTHIOLVS, ARVIEVX & TROILO annotarunt, omnes conſentiunt in eo, quod hæ cedri iuniores ſemper in metam rectam aſſurgant, (quales etiam delineat *le* BRUYN *t. 155. 156.* ſed, uti etiam adultas, valde ieiune) qui creſcendi modus, quum omnibus arboribus coniferis communis ſit, aurem vellicat, eundem Cedris quoque eſſe naturalem, nec harum ullam, niſi ex accidente præternaturali, ab eo recedere: quis enim ſibi fingere poterit modum quo caudex ad 80 pedes (quam menſuram SCHVLZ. ut ſupra iam indicavi, in eiusmodi caudice iuniori obſervavit) recto tramite iam elevatus ad tam brevem usque altitudinem, qualem nonnulli autores ſupra citati indicarunt, in plures truncos divelli vel primarius perire poſſet, niſi hoc ex cauſis accidentalibus in prima iam ætate factum fuiſſet. Neque vero hæc theoria tantum eſt ſpeculativa, ipſa potius experientia probari poteſt. Reperiuntur apud nos plures Pinorum (eius ſpeciei, quam ſupra indicavi, quamque noſtrates *Foren* & *Feren* appellant) ſilvæ & ampliſſimæ & denſiſſimæ. Hæ Pini, ubi confertim naſcuntur, caudices generant non ſolum graciliores, rectiſſimos & tam celſos, ut ſæpius iam a Batavis ad navium malos ſtruendos ex noſtris oris petitæ fuerint, verum etiam ramos ſæpiſſime ad verticem ſeu cacumen ferme usque ſemper incurvatum deiiciunt: ubi vero ſigillatim vel ſaltem ſparſiores proveniunt, earum caudices deprehenduntur multo & humiliores & craſſiores, qui præterea ramos inferiores perpetuo ſervant magis magisque cum trunci craſſitudine augmentum capientes, in tot quaſi truncos degenerantes, alienumque plane habitum induentes, quæ monſtroſa mutatio procul dubio derivanda eſt ab agitationibus & concuſſionibus ventorum aliisve iniuriis, quibus ſolitariæ arbores magis expoſitæ ſunt, in pri-

ma ætate ſupervenientibus. Sæpius laudatus CELSIVS argumenta ſua maximam partem ſuperſtruxit binis illis Cedri figuris, quas de la ROQVE exhibuit. Etſi autem hic auctor illis adſcripſit, eas in loco natali ſecundum naturam fuiſſe delineatas, facile tamen probari poteſt, debitam accurationem minime eſſe adhibitam: non ſolum enim, quod ſupra iam monui, rami, ſeu potius ramorum trunci, recta ferme linea aſcendentes repræſentati, (quum tamen naturalis eorum character ſit, ut deorſum reflectantur, quod etiam noſtra tab. VIII. oſtendit, vel ſaltem parallelo ſitu excurrant, id quod omnes reliqui obſervatores annotarunt, & SCHVLZIVS quoque confirmavit, quæ conditio ob ligni compagem ſolidiſſimam ſpiſſiſſimamque poſtea mutari nequit), verum etiam conorum ſitus obliquus atque haud raro ramorum extremitatibus adpictus, & denique foliorum diſpoſitio formaque tum arboris integræ, tum eius rami ſigillatim exhibiti plane contra naturam repræſentata, auctoris incuriam ſatis manifeſtant. Hæ ergo figuræ ne quidem pro norma Cedrorum adhuc ſuperſtitum aſſumi poſſunt, multo minus earum, quæ SALOMONIS tempore extiterunt. Quis enim de magnitudine reliquoque earum habitu certum quid pronunciare poterit; quum, ſi non primævæ, certe vetuſtiſſimæ, aliis plane ſub conditionibus ad perfectionem venerunt? (*u*) His ergo bene recteque

(*u*) Eiusmodi arbor, ſecundum de la BOULLAYE de GOUZ p. 358, quem CELSIVS ipſe *p. 95. nota u.* citat, ante ætatis annum 2000. ad ſuam perfectionem haud venit. Hanc ætatis epocham approbare equidem haud auderem, certum tamen eſt, omnium arborum reſinoſarum incrementum primis quidem annis ſat celeriter, deinde vero, quando annoſiores fiunt, tardiſſime procedere, idque ipſarum cedrorum Chelſeanarum ab a. 1736. ad 1750. mutatione valde exigua ſupra notata probari, magisque hunc creſcendi modum illuſtrari poſſe, ſi comparemus, quot annis opus habeant

cteque ponderatis, ſatis probatum eſſe, opinor, in ſtatu cedrorum naturali caudicis primarii ad ſummam usque altitudinem, continuationem & rectitudinem ſufficiente ratione negari haud poſſe. Verticis incurvatio nullum præbet indicium impeditæ extenſionis in longum: non ſolum Pini ſuperius iam citatæ verum etiam Larices, id ſatis teſtantur. Ita namque ſe præſentavit non ſolum illa, quæ hortum medicum Altorfinum ultra C. annos ornavit & a. 1734. repentina tempeſtate proſtrata caudicis altitudine aliquot ſupra octoginta pedes Norimb. (qui pede Rhinlandico $\frac{1}{2}$. dig. inferior eſt) & craſſitudine ſesqui orgias æquabat; ita etiam adhuc conſpiciendam ſe ſiſtit illa, quæ hic Norimbergæ in horto ſuburbano Generoſiſſimæ Gentis HOLZSCHVERIANÆ adhuc vegeta proſtat & caudicem ad altitudinem unius pedis 110, ſex pedum ab humo 7. pedes 1. dig. craſſum, ad primos ramos eodem modo ac in cedro diſpoſitos 37. ped. & ad verticem 58. ped. longum nutrit, cuius vertex aliquot pedes longus arcus quaſi in modum curvus ſemper eſt. Craſſitudo caudicis cedrini, vel etiam maxima, non obſtat, quo minus ad opificia magnifica, ad quæ a SALOMONE adhibitæ fuerunt cedri, idonea, ut potius propterea reliquis arboribus præſtantior fuerit. Quando vero urgetur, eas propter hanc craſſitudinem eximiam ramorumque copiam ad malos ſtruendos adhiberi haud potuiſſe, conſiderandum eſt, hunc earum uſum tanquam frequentem, haud inveniri annotatum, & EZECHIELEM XXVII, ubi huius uſus *v. 5.* mentio fit, ubique de rebus ſelectiſſimis pretioſiſſimisque a Tyriis in uſum vocatis ſermonem inſtituiſſe: quando autem de operibus excellentibus ſtruendis agitur, ſuperflui ablatio, etiam cum damno, haud animadvertitur. Et quis certus reddi

pote-

habeant Pini noſtrates, antequam ad malos conficiendos idoneæ redduntur, quum tamen harum compages non tanta ſoliditate gaudeat.

poterit, numne etiam caudices graciliores cedrorum mediæ ætatis, an Pinorum (ubi non expreſſe cedrorum ex Libano mentio fit) intelligi debeant? Ramorum porro copia, ſi vel etiam in ſeneſcentibus caudicibus rami omnes remanent (RAVW. *l. c.* certe cedros II. vetuſtiſſimas invenit omnibus ramis deſtitutas) ipſum trunci lignum, præcipue interius, minime peſſundant: ſi hoc obſervatum haud fuiſſet, cur a THEOPHRASTO *Pl. Hiſt. L. V. c. 9.* CLAVDIANO *de raptu Proſerpinæ L. III. v. 360.* HIERONIMO *in Hoſ. c. XIV. v. 6.* (quem ipſe CELSIVS *p. 133.* citat, & quibus *p. 96. nota p.* duos alios addit auctores) Cedrus potuiſſet dici enodis? Cedros olim haud copioſiores fuiſſe in Libano, quam noſtris temporibus, nunquam probari poterit. Copiam earum, quam SALOMO ex hoc monte vicinisque regionibus petiit, numerum valde imminuiſſe, quis dubitat? renaſcentes etiam ſuperioribus ſæculis alios & præcipue Saracenos devaſtaſſe, plus quam probabile eſt. Ex Cypro veniſſe maximam illam cedrum 130. pedum altam & ad trium hominum complexum craſſam, quæ ad undeciremem Demetrii ſucciſa fuit, tradit PLINIVS *Hiſt. nat. L. XVI. cap. XL.* La ROQVE *p. 71.* refert, ſe in itinere, quod bis in inſulam Cyprum inſtituit, neminem inveniſſe, qui unquam in hac regione ullam vidit cedrum; quis autem veroſimiliter concludere poterit, ergo olim quoque nullam ibidem creviſſe, quum traditiones de earum copia ibidem obvia teſtentur. Cedri uſus in ſacris per MOSEN inſtitutis nullum movet dubium, quia CELSIVS ipſe conceſſit, ibi locorum per *Aeres* intelligi quoque Pinum, id quod de illo loco ex ES. *c. XLIV.* citato pariter valet, quum ibidem etiam non de Aeres Libani, ſed ſimpliciter ſic dicto, ſermo eſt. Ex his, opinor, patet, quam infirma ſit argumentatio de Cedrorum noſtro ævo in Libano incertæ ætatis ſuperſtitum habitu ad illum, quem priſca ætas ſub aliis prorſus conditionibus genuit. Ceterum eos, qui affirmant, hanc arbo-

arborem nullibi, niſi in monte Libano reperiri, iterum CELSIVS ipſe *p. 89. ſeq.* recenſet, nempe de Cedris Amoni & Tauri, Syriæ & Ciliciæ montium BELLONIVM *obſ. ſingul. L. II. c. 107, & 110, & de neglect. ſtirp. cultura probl. XVII. p. 66;* Ciliciæ THEOPHRASTVM *Hiſt. pl. L. III. c. 3.* & STRABONEM *L. XIV. p. 669;* Ciliciæ & Galatiæ DIOSCORIDEM *L. III. c. 1. de Agarico;* Cypri THEOPHRASTVM *l. c. L. V. c. 9.* & PLINIVM *Hiſt. nat. L. XVI. c. 40.* quibus porro annectit catalogum eorum auctorum, qui de Cedris Cretenſibus & Græcis, Arabicis, Indicis, Tartaricis, Africanis, Americanis, immo Sibericis, loquuti ſunt (quibus adhuc addendus eſt M. MARGGRAVIVS *Hiſt. de l' Acad. Roy. des Sc. & bell. lettres 1753. á Berlin 1755. p. 73.* ubi ſimul examen Cedri ligni chemicum reperitur, de Cedris Africanis regni Congo, inſularum Terceræ, Novæ Hiſpaniæ, Virginiæ & Floridæ). Sed merito addit CELSIVS, ſe, num hæ omnes Libaniticæ Cedri genuinæ ſint, ab aliis edoceri cupere. Atque omnino facile probari poteſt, plures ex memoratis cedris pertinere ad illud ſtirpium genus, quod Græci vulgo Cedrum vocarunt (de quo mox plura), quæ confuſio manifeſte colligi poteſt ex hiſtoria cedrorum, quam IO. EVELYN *Silva, or a diſcourſe of Foreſt-Trees Edit. V. p. 135.* & ex hoc IO. HOVGHTON *Husbandry publiſhed by* RICH. BRADLEY *Lond. 1727. p. 205.* exhibuit, collata cum Cedri Barbadenſis deſcriptione a GRIFF. HVGHES *natural hiſtory of Barbados p. 115.* Taceo illam arborem inſignis proceritatis & amplitudinis, quam Americani *Acajou* (quod nomen TOVRNEF. *I. R. H. p. 658.* retinuit, LINNÆVS vero *Gen. Pl. edit. V. n. 467, Spec. pl. p. 383.* in *Anacardium* mutavit) ab Hiſpanis pariter vocari Cedrum, ut docet ARVIEVX *p. 335,* itemque Hiſtoire generale de Voyages &c. *edit. Pariſ. T. XII. p. 612, & edit. Germ. ſub tit.* Allgemeine Hiſtorie der Reiſen &c. *T. XIII. p. 649.* LINNÆVS *Spec. pl.*

p. 1001. n. 6. de Cedri genuinæ seu coniferæ patria tantum annotat, eam in Syriæ, Libani, Amani Taurique montibus habitare, ut loqui amat.

Græcorum & PLINII Cedrus communis baccas fert, Iunipero similis & stirps dicœcia est, i. e. floribus masculis & femineis in distincta stirpe positis gaudet, & plerumque Oxycedrus vocatur. TOVRNEFORT, primus homonymorum debellator, *I. R. H. p. 588.* hoc stirpium genus solum appellavit Cedrum, dum illam Cedrum coniferam nuncupavit Laricem orientalem, & cum Larice Europæa ad unum genus reduxit. LINNÆVS Cedri nomen hucusque penitus delevit, illam coniferam primo cum Abiete deinde cum Pinu, hanc vero bacciferam, ob fructificationis partes communes, cum Iunipero coniunxit *Gen. pl. Edit. II. n. 917. & Edit. V. n. 1005. Spec. pl. p. 1039. seq. n. 2. 3. 9.* Num Cedrum coniferam montis Libani noverint & hoc nomine descripserint Græci, dudum iam disputarunt botanici: cui lubet, evolvat IO. BAVHINVM *Hist. T. I. L. IX. c. XIV. p. 263,* & præcipue *c. XV. p. 277,* quocum conferat quoque BODDÆVM a STAPEL *Comment. in Theophr. Eref. hist. pl. p. 196. a. seqq.* ubi affirmantium & negantium argumenta potiora in epitomen redacta inveniet. Quod ad THEOPHRASTVM attinet, negari nequit, eum duo Cedrorum genera recensuisse, sed unum tantum, nempe minus bacciferum & Iunipero simile, a Libanitica cedro omnibus characteribus distinctum, *L. III. c. XII.* descripsisse & *Oxycedrum* appellasse, hoc nomine vero a Iunipero, quam alios etiam Cedrum nominasse addit, distinxisse; eundem tamen novisse & alterum genus, nempe maius i. e. coniferum, probari potest ex eiusdem *L. V. c. IX,* ubi cedri altitudinem & crassitudinem talem definit, qualis de Cedro baccifera explicari nequit: conf. BODD. *l. c. p. 197. a. 599. a.* Quum vero, præter hanc altitudinis & crassitudinis notam specificam, nullam aliam (quarum præcipua est fructus coniformis)

mis) addit, plusquam probabile eſt, illi hoc genus non ex propria obſervatione, ſed ex aliorum tantum relatione vel fama communi imperfecta notum fuiſſe factum, quam ſententiam quoque tulit IO. MARTYN in ſplendida VIRGILII MAR. *Georgicor. editione Lond.* 1741. 4. *L. II. v. 443. in nota ſubiecta:* conf. CELSIVS *p. 82.* DIOSCORIDES ſecundum editionem IANI ANT. SARAZENI *L. I. cap. CV.* deſcribit non ſolum Cedrum parvam, ſpinoſam Iuniperi modo, fructum ferentem Myrti baccarum magnitudine rotundum: verum etiam alteram, quam arborem magnam dicit & quæ fructum profert uti Cupreſſus, at multo grandiorem, ex qua comparatione BODD. *l. c. p.* 198. *b.* iam probavit, non aliam, quam ipſius Cedri Libaniticæ coni figuram inde fingi poſſe. Proſtant quidem nonnulli codices, qui maioris Cedri deſcriptionem ſilentio plane prætereunt, qualis eſt ille, quem MATTHIOLVS in primis ſuis editionibus ſequutus eſt, aliique, qui eam quidem addunt, ſed fructum Cupreſſi fructu multo minorem tradunt, quali uſus eſt SERAPIO *de ſimpl. medicinis cap. CCCLIX. p. m. 245,* ubi arabice *Serbin* vocatur (unde procul dubio eandem lectionem hauſerunt SIM. IANVENSIS *Clav. ſanat. edit.* 1486. *cuſtod. lit. d.* 1514. *p.* 17. *b.* itemque MATTH. SILVATICVS *Pandect. edit.* 1473, *cap. CLII.* 1541. *cap. CXLV.*) eiusmodi vero codices corruptos eſſe, BODDÆVS *p.* 197. *b*, ut & MATTHIOLVS *edit. Venet.* 1565. *p.* 126. & 1570. *p.* 109. probat ex codice vetuſtiſſimo, quem AVGER. BVSBEQVIVS a CATACVZENO accepit & Conſtantinopoli in Europam attulit, ad quem etiam provocat CÆSALPINVS *de Pl. L. III. c. LVIII. p.* 137. & SARAZENVS *l. c. in notis p.* 17. *a.* GALENVS *de ſimpl. medic. facult. L. VII.* diſtinguit Cedri ſpecies ita, ut altera ſit fruticoſa Iunipero adſimilis, altera arbor non exigua. Addo his PLINIVM, cuius *L. III. c. V. edit.* HARDVINI *in fol. T. I. S. XI. p.* 686. *L. XXIV. c. V. T. II. S. XI. p.* 328. *Cedrela-*

drelaten (i. e. Cedro-Abietem, quam vocem sequentibus sæculis barbari interpretes SILVATICVS & IANVENSIS l. c. lepide mutarunt in *Cedrum latam*) esse Cedrum maiorem seu Libani, omnes, & CELSIVS ipse *p. 83. 84.* concedunt: atque omnino hoc nomen nunquam indicabit fruticem, qualis est Cedrus baccifera. Graviter autem, uti sæpius in stirpium descriptione, erravit PLINIVS, quando *L. III. l. c.* idem, quod THEOPHRASTVS de Iunipero tantum tradidit, & de Cedro baccifera pariter valet, de hac *Cedro-Abiete* quoque asserit, eam nempe duplicis esse generis, quorum unum floret sed fructum non fert, alterum fructiferum est, sed non floret, quem errorem quoque erravit BODDÆVS *l. c. p. 116. b.* Hæc Cedri explicatio LXXII. Interpretum τοῦ *Aeres* versionem in κέδρον satis superque probat.

Nemo mirabitur ieiunam & densissima caligine involutam stirpium historiam ex veterum monumentis ad nostra usque tempora conservatis petendam, qui perpendit, in scriptis eorum auctorum, qui singulari studio de stirpibus egerunt, nominum usum atque significatum reperiri tam varium, ut omnes, qui sufficiente descriptione propriisque characteribus haud illustrantur, adhuc dum incogniti sint. Facile ergo ex his concluditur, ea nomina, quorum apud alios quasi obiter tantum mentio fit, minori adhuc cura definita esse. Accedit ipsos botanicos eius ævi auctores complurium stirpium nomina ex vulgi tantum ore accepisse sæpissime ab eiusmodi qualitatibus, quæ pluribus communes sunt stirpibus ceterum diversissimis, petita, (quæ nomina secundum certos characteres mutanda esse, tunc nemo cogitabat) unde tot confusiones & homonymiæ in stirpium historia obortæ sunt nunquam tollendæ, de quibus e. c THEOPHRASTI, DIOSCORIDIS, PLINII, AVICENNÆ, SERAPIONIS &c. interpretes vel commentatores (ex quibus ROB. CONSTANTINVM, IVL. CÆS. SCALIGERVM, BODDÆVM, FAB. COLVMNAM, SARA-

RAZENVM, BOCHARTVM, SALMASIVM, HARDVINVM, ipſumque HILLERVM & CELSIVM, nominaſſe ſufficit) ſatis teſtantur. Quid? quod hic pravus nominum uſus tam diu continuavit, usque dum de certis ſtirpium characteribus definiendis ſub finem prioris demum ſæculi inter ſe convenerunt & ſecundum hos characteres peculiaria ſyſtemata condere cœperunt cordatiores viri, cuius aſſerti probationem vel ſoli BAVHINI ſatis ſuperque ſuppeditant. Hanc ob cauſſam ne quidem primi ſyſtematum conditores, CÆSALPINVS, MORISONVS & RAIVS, homonymias ubique evitarunt, quarum tamen emendationes propriorum characterum deſcriptiones additæ propius iam indicarunt.

Obſervatio CII.

DN. D. CHRISTOPH. IAC. TREW

De femellæ per marem fœcundatione in plantis, Napææ exemplo confirmata.

Stirpium floris partes eſſentiales a recentiſſimis botanicis in maſculinas & femininas diſtingui, harumque nomine tubas ſeu ſtylos cum ſeminum embryonibus, ſeu uno verbo ſic dictos piſtillos; illarum vero nomine ſtamina ſeu filamenta cum ſuis antheris intelligi, noto notius eſt. Neque ullum, botanoſophiæ hodiernæ fundamentis vel leviter tantum imbutum amplius fugit, hæc utriusque ſexus organa reperiunda eſſe vel in uno eodemque flore coniuncta, vel in floribus diſtinctis ita, ut plurimæ ſtirpes flores excludant & his & illis organis inſtructos, quos androgynos aut hermaphroditos appellant; multæ vero flores foveant, quorum alii maſculinis, alii femininis tantum gaudent organis, & propterea vel maſculini, vel feminini dicuntur flores; ut præterea eiusmodi flores & feminini & maſculini proveniant in nonnullis ſtirpibus copulati, in

aliis invicem ita ſeparati, ut vel in eadem ſtirpe, locis tamen remotis, vel in ſtirpibus unius generis ita plane diſtinctis, ut unum individuum, quod flores maſculinos tantum profert & ſterile eſt, propterea marem, alterum quod femininis floribus tantum onuſtum & fœcundum eſt, femellam appellent; quibus addendæ ſunt illæ ſtirpes unius generis, in quarum uno individuo flores maſculini, in altero hermaphroditi, itemque illæ, in quarum uno individuo feminini, in altero hermaphroditi occurrunt. Qui pleniorem huius diſtinctionis notitiam deſiderat, evolvat LINNÆI genera plantarum eorumque claſſes, quibus ſyngeneſiæ, monœciæ, dioeciæ & polygamiæ titulum inſcripſit. Vtrisque his floris organis ad fœcundationem ſeu ſeminis prolifici generationem opus eſſe, multa iam experimenta confirmarunt; quo tempore autem & modo utrorumque copulatio peragatur, altioris adhuc eſt indaginis. In ſtirpibus, quarum individuum unum maſculinos, alterum femininos tantum flores fert, hoc negotium exemplo *Palmæ dactyliferæ folio flabelliformi* luculenter comprobavit GLEDITSCHIVS (*x*). Quum idem in alio ſtirpium genere, quod *Napææ* nomine nunc notum eſt, obſervare mihi contigit, haud ſupervacaneum duxi, huius obſervationis circumſtantias publicas facere. Stirps hæc Virginiæ indigena, haud ita pridem in Europam delata ibidemque culta eſt. Primus, qui eius mentionem fecit, eſt, quantum ex LINNÆO *Spec. plant. p. 686.* conſtat, IO. BANISTERVS Anglus, cuius herbarium ſiccum Londini aſſervatur, catalogus autem plantarum a ſe ipſo in Virginia obſervatarum Londinum 1680. transmiſſus exſtat in RAII *Hiſt. Pl. T. II. p. 1926*, ubi vocatur *Althæa magna, Aceris folio, cortice cannabino, floribus parvis, ſemina rotatim in ſummitate caulium, ſingula ſingulis cuticulis roſtra-*

(*x*) Hiſtoire de l'Acad. Roy. des ſc. & belles lettres a. 1749. à Berlin 1751. p. 103. ſeqq.

roſtratis cooperta, ferens. An ſit *Abutilon foliis palmatis laciniatis, mas & femina* MILLERI *Dict. Hort. n. 15*, ex ſolo hoc nomine affirmare nequeo. EHRETVS utriusque plantæ, feminæ & maris, primus figuram coloribus nativis illuſtratam exhibuit in opere illo chartæ regiæ a. 1748. ſeqq. publicato, cuius titulus tab. I. adſcriptus eſt, *Plantæ & Papiliones rariores &c.* ubi tab. VII. fig. I. feminæ pedunculus florifer in magnitudine naturali, & tab. VIII. maris integer habitus cum floris partium analyſi in magnitudine imminuta ſiſtitur & vocatur *Abutilon folio profunde diſſecto, pedunculis multifloris.* Hanc ſtirpem, ut propriis characteribus gaudens genus, *Napææ* nomine diſtinxiſſe CLAITONVM, docuit LINNÆVS *Gen. pl. no. 748*, ubi huius generis character definitur, hæc ſpecies autem n. 2. vocatur *Napæa pedunculis involucratis angulatis, foliis ſcabris, floribus dioicis.*

Huius ergo plantæ ſemina a. 1748. accepi ex liberali manu iterum laudandi COLLINSONII, quæ ſata aliquot produxerunt plantulas, quas in vaſis fictilibus colui & hiemali tempore a frigore in caldario confervavi. Quum in tertium usque annum, perennarunt hæ plantæ, nulla vero pedunculum florigerum protruſit: unam ex illis 1751. aëri ſoloque libero commiſi, periculum faciens, an lætius creſceret, hiemeque ſalva maneret; quam quum feliciter ſuſtinuit, a. 1752. reliquas plantas omnes pariter in horti areolas transplantavi. Anno 1753. primum transplantata aliquot pedunculos excluſit copioſiſſimis floribus onuſtos. Flore examinato ſtatim deprehendi, eum ad claſſem malvaceorum pertinere, mœſtus autem expertus ſum, omnes & ſingulos flores cecidiſſe ſine fructus veſtigio relicto. EHRETI figuris de diſtinctione in marem & feminam iam quidem certior factus ſum; dubium autem me reddidit accuratius floris examen, quo inveni, præter ſtylos ex cylindrico tubo huic claſſi communi prominentes, exi-

exiguos globulos quaſi pellucidos huius cylindri orificium ſuperius cingere eodem ferme modo, quo ſtamina in aliis huius claſſis generibus memoratum cylindrum ſuperius ambiunt, ſed hac differentia, quod hi globuli marceſcerent ſine pollinis exploſione. Altero anno eadem ſtirps eodem modo pereuntes flores excluſit; quum vero a. 1754. etiam reliquæ plantæ florere cœperunt, forte fortuna inter illas ſe manifeſtabant duo maſculi, unde non ſolum femellæ tertium iam florentis, verum & reliquarum femellarum flores omnes fructus rudimentum reliquerunt, quod deinde in capſulas abiit ſemina ad perfectionem usque perducentes. His obſervatis a. 1755. curavi, ut hortulanus ſuperfluas femellas exſtirparet, & duos tantum mares cum totidem femellis ſervaret; quum vero me abſente hoc fecit, ex incuria duos mares ſimul eradicavit. Veſperi demum rediens & factum examinans, errorem ſtatim detexi & propterea iuſſi, ut hos maſculos ex abiectis delectos iuxta femellas denuo plantaret. A. 1755. hi transplantati maſculi nullum produxerunt ſcapum florentem, hinc vero & duæ femellæ relictæ flores nunc æque, ac prius, una cum fructus rudimentis deiecerunt. Anno denique ſuperiori 1756. maſculi iterum florebant & hinc femellarum flores gravidas reddebant, quibus, ut antea, fructus perfecte maturus ſucceſſit. Ex his ergo obſervatis certo colligi poſſe puto, ad femellæ impræ-gnationem in plantis æque, ac in animalibus, requiri maris acceſſum (*y*), & femellam ſemel fœcundam redditam non ſervare hanc facultatem, ſed quotannis maris cooperatione opus habere. Ceterum, quum naturæ myſtæ nunc etiam hoc exploratum tradunt, quod ſtirpes congeneres ſe invicem miſcere &

(*y*) Hoc argumentum ſigillatim prolixe pertractavit, & plurium ſententias ſtudioſiſſime collegit ſæpius laudatus MILLERVS in ſuo Dictionario hortulanorum, editionis Anglicæ titulo *Generation*, & germanicæ titulo *Zeugung*.

& varietates producere valeant (z), id adhuc addo, in meo horto, ubi Napææ femellæ plantatæ ſunt, eodem anno, quo ſteriles relictæ fuerunt, ſimul floruiſſe aliquot malvaceorum generum ſpecies, e. gr. Malvæ proprie ſic dictæ, Althææ, Alceæ &c. quarum tamen nulla vis fuit in Napæam, quæ propterea, ex principiis allegatis, genus ſingulare conſtituit.

Quoniam hæc Napæa nondum, quantum ſcio, deſcripta, neque ſecundum omnes fructificationis partes delineata proſtat, haud ſupervacaneum duxi, eius accuratam delineationem & brevem deſcriptionem hiſce ſimul in publicum producere. Tabula X. fig i. repræſentat maris pedunculum florentem, ſecundum ſcalam pedis Norimbergenſis dimidii additam, imminutam: *a. a. a. a.* ſunt folia caulina ſuprema; *b. b. b.* unum ex inferioribus cum petiolo ſuo *c.* reſecto; *d. d. d.* petioli florigeri, faſciculis florum in ſummitate onuſti; *e.* eiusmodi faſciculus in magnitudine naturali cum floribus apertis & adhuc clauſis; *f. f.* flos in magnitudine naturali a facie ſuperiori & laterali cum quinque corollæ ſegmentis; *g.* calyx ad oram quinquepartitus in magnitudine aucta; *h.* ſtaminum columna cum calycis & corollæ ſegmento *i. i.* in magnitudine aucta; *k.* eadem columna magis aucta, cuius ſummitati adhærent ſtamina in capitulum oblongum collecta; *l.* eadem columna verticaliter diſſecta, ubi comparent ſtaminum diſpoſitio, horumque filamenta & antheræ; *m. n. o. p.* ſtamen, i. e. filamentum & anthera magis aucta, ubi *m.* antheram a facie laterali, *n.* a facie antica in duo loculamenta diviſam, *o.* eandem, cuius unum loculamentum iam diffiluit & pollinem exploſit, *p.* a facie poſtica, ubi filamenti inſertio apparet; *q.* corol-

(z) De quo evolvatur D. D. MITCHEL diſſertatio de principiis botanicorum & zoologorum &c. quæ noſtræ Academiæ Actor. vol. VIII app. p. 187 inſerta reperitur, præcipue p. 200. §. XI. & conferantur auctores ibidem citati.

corollæ segmentum resectum a staminum columna, cum qua continuum est, & hinc florem monopetalum constituit, a facie externa in magnitudine valde aucta. Tab. eiusdem fig. 2. sistit pedunculum feminæ florigerum secundum eandem mensuram imminutam: *a. a. a. a. b. b. b.*, *c. d. d. d. e. f. f. f.* eadem indicant, ac in fig. 1; *g.* involucrum herbaceo-membranosum, quo, uti in mare, vestiuntur foliorum caulinorum petioli, ab his prorumpentibus fissum; *h.* calyx, qui longior est quam in floribus masculinis, in magnitudine naturali, *i.* aucta; *k.* columna cylindracea corollæ, verticaliter dissecta, ubi *l. l.* indicant globulos antheras mentientes, *m.* aliquot stylos, columnæ huius cavitate comprehensos, & extra eius oram prominentes; *n. n.* corollæ & calycis segmenta; *o.* fructus rudimentum; *p.* columna cylindracea separata, a facie externa, *q.* ab interna; *r.* dimidius numerus stylorum, intra columnam collectorum, unacum fructus rudimento *s.* verticaliter secto, omnia in magnitudine aucta; *t.* unius styli extremitas cum stigmate suo in magnitudine valde aucta; *u.* fructus rudimentum denudatum in magnitudine aucta; *w.* idem cum 7. stylis eius verticem coronantibus studio disiunctis; *x.* fasciculus fructuum seu vasculorum maturorum cum calycibus persistentibus reflexis in magnit. naturali; *y.* eiusmodi fructus orbiculatus & ex 7. loculis compositus a facie superiori cum apicibus, singulos loculos terminantibus in magn. aucta; *z.* idem transverse dissectus cum 7. loculis distinctis, singulis unum semen continentibus; * semen exemtum in magnitudine naturali.

Ex his character huius generis facile formari potest: est namque I. masculini floris *calyx* seu *perianthium g. i.* monophyllum, urceolatum, patens, quinquefidum, limbo reflexo, persistens. *Corolla f. i.* monopetala ad cylindrum usque quinquefida, patens; *segmenta q.* oblonga, inferius ex angusta basi mox latescentia & in orbiculum interius concavum cum mar-

gine

gine ferme integro expansa; *staminum columna* cylindracea *h. k. l.* solida, erecta, calyce longior, cuius summitatem capituli globosi in modum circum circa obsident stamina multa, quorum *filamenta* brevia, subulata, *antheræ* exiguæ, oblongæ, compressæ, didymæ *n. o.*, versatiles *p.*, *styli* nulli, *germen* seu fructus rudimentum nullum. II. Feminini floris *calyx h. i. n. n.* ut in mare, magis tamen oblongus; *corolla f.* ut in mare, paullo maior tamen; *staminum columna* cylindracea, inferius pro condendis seminum embryonibus seu ovario ampla, superius angusta, calyce longior *p*, intus cava *q*; *antheræ* spuriæ columnæ oram ambientes, globosæ sine filamentis *l. l.*; genuina stamina nulla; *ovarium* seu germen conicum *u*, cum 7. stylis *w*; stylorum *stigmata* simplicia *t*; fructus orbiculatus, compressus, umbilicatus ex 7. & 8. loculis compositus *x. y. z.*, *capsulæ* seu loculi membranacei superius cristati *x, y*; *semina* solitaria reniformia.

Hic character in multis quidem differt ab illo, quem LINNÆVS *Gen. Pl. n. 748.* exposuit: notandum autem est, illum desumtum esse ab alia prorsus specie, quæ non dioecia sed androgyna, dudum iam cognita, & ab HERMANNO *Ind. Pl. H. Lugd. Bat. p. 22. 23. Althæa Virginiana Ricini folio*, a LINNÆO *H. Cliff. p. 346.* primum *Sida foliis palmatis, laciniis lanceolato-attenuatis*, deinde vero *Spec. pl. p. 686.* ad Napæas genus relata, *Napæa pedunculis nudis lævibus, foliis glabris, floribus hermaphroditis* appellata. De hac planta ex relatione diligentissimi & experti hortulani Academici Altorfini addere possum, quod in horto medico per multos annos iam culta nunquam fructum protulit, neque alterius speciei femellam imprægnavit, quæ ante 3. iam annos ex meo horto illuc transplantata est & bis iam floruit.

Quod ad Napæas hactenus descriptas habitum reliquum attinet, *radices* sunt longæ, maximæ digitum crassæ, carnosæ, & ut in malvis maioribus mucilaginosæ, foris flavæ, intus can-

didæ. Radices hæ coeunt in unum caput, ex quo primo vere prodeunt *folia radicalia*, singula proprio pediculo striato & subhirsuto suffulta, qui pediculi ad trium quatuorve pedum altitudinem pedetentim erecti exsurgunt, & in summitate sustinent folium amplum, digitatum, horizontaliter ferme expansum, superius læte virens, inferius pallidum, ubique scabrum, ad pediculum ferme usque, ubi umbilicum quasi format, octies noviesque divisum, quarum divisionum maxima in folio maximo 10. pollices ped. Norimb. æquabat, singulæ autem ad latera in lacinias nunc maiores, nunc minores, latiores angustioresque magis minusque acutas subdivisæ, & in medio nervo simplici albicante ab umbilico ad extremum usque cuiusuis diuisionis apicem excurrente & nervulis, pariter albicantibus, ad singulas lacinias lateraliter excurrentibus, instructæ sunt. Post hæc folia radicalia prodeunt *caules* florigeri membranaceo velamine tecti, quorum in adultiori femella ultima æstate ultra 30, in iuniori 4. tantum numeravi, quorumque altissimus 9, humillimus 7. pedes æquabat; maximus horum caulium digitum minorem crassus erat, omnes striati & subhirsuti. Hi caules per intervalla, inferius maiora, præditi sunt *foliis*, pedunculis pariter instructis pedetentim brevioribus, quæ ceterum radicalibus similia, sed per gradus multo minora sunt, & ante exclusionem iterum sub novo involucro membranaceo latent, quod postea dehiscit, attamen remanet. Ex alis horum foliorum seu potius eorum pedunculorum surgunt *pedunculi* floriferi, a quibus caulis redditur ramosus. Hos ramos denique claudit florum copiosorum umbella. Inter marem & feminam vix manifestam detegere potui differentiam ex habitu externo cognoscendam. Aliquando quidem visum mihi fuit, foliorum & radicalium & caulinorum segmenta in mare esse angustiora, eorumque lacinias & angustiores & acutiores; sed hanc differentiam postea non inveni constantem; caules vero maris ultra 6. ped. non ascendebant. A. 1756.

alter

alter maſculus florere cœpit d. 6. Iulii & d. 17. utriusque flores marceſcere cœperunt, quo tempore ex femellarum floribus vix unus aut alter apertus erat. Paradoxum quidem videtur hoc phænomenon & fœcundationis theoriæ contrarium; obſervatur vero hic ordo in pluribus aliis generibus atque etiam in ſtirpibus amentaceis, ubi amenta ſeu flores maſculini diu ante, quam ſtyli florum femineorum ex gemmis ſuis prodeunt, pollinem ſuum explodunt. Neque etiam in coniferis arboribus contrarium occurrit, ſi excipias Cedrum, ſecundum EHRETI obſervationem: hic enim teneros conos iam invenit ſub finem Aprilis, & amenta ſeu iulos Iulio menſe demum provenire tradit, vid. anteced. pag. 412. In Ricino flores feminini iam ſunt perfecti, dum maſculini ſe aperiunt. In Muſa ſpathæ inferiores, quæ flores androgynos continent, abſcedunt & flores contentos denudant, ante quam ſuperiores floribus maſculinis gravidæ aperiuntur. Hic ordo varius in pluribus generibus obſervatu & notatu dignus eſt.

Obſervatio CIII.

DN. D. CHRISTOPH. IAC. TREW

Siſtens plura exempla palati deficientis.

Obſervatione LXII. p. 259. ſuperiori Cl. D. D. CRANTZIVS accurate deſcribit palati totius defectum, deprehenſum in infante recens nato, qui poſt ſex ſeptimanas miſerando fato periit, quia nutrimentum ſufficiens ob hanc pravam palati conformationem capere haud valuit. Quum in theatro huius loci anatomico aſſervatur ſceleton corpuſculi infantis aliquot a partu dierum, quod ante plures iam annos a Perilluſtri Magiſtratu noſtro examinandum mihi tradebatur & eadem labe una cum labio leporino bis fiſſo laborabat; operæ pretium duxi, maioris illuſtrationis gratia eius imagi-

nem laudatæ descriptioni superaddere. Quo fato vitam suam brevem finiverit hic infans, aliquot milliarium distantia huc delatus, ceterumque optime conformatus, comperire haud potui. Ipsam palati deficientis imaginem sistit Tab. XI. fig. i. & partes in ea conspicuæ sunt sequentes: *a. a.* Nasi eiusque septi pars cartilaginosa; *b. b.* ossis frontis pars supra orbitas; *c. c.* orbitæ; *d. d.* pars ossis maxillaris, *e. e.* iugalis; *f. f.* fossa temporalis; *g. g.* processus pterygoideus, quatenus iam osseus fuit, *h. h.* maxillæ inferioris reclinatæ processus; *i. i.* pars marginis alveolorum tota ossea, anterioribus dentibus incisivis locandis destinata, quæ inter duas labii fissuras largas *k. k.* intercapedinem valde prominentem formabat; *l.* alius alveoli paullulum excavati vestigium; *m. m.* alveolorum margo reliquus etiam totus osseus; *n. n. n. n.* pars processus palatini ossis maxillaris ad narium cavitatem perparum se extendens; *o. o.* ossa spongiosa inferiora; *p. p.* processus spongiosi ossis ethmoidei, qui ossa spongiosa superiora dicuntur; *q. q.* septum narium internum s. vomer, quæ partes *o. p. q.* ob palati defectum in oris cavitate sese conspiciendas præbebant.

His iungo historiam labii leporini & palati defectus hæreditarii valde notabilem. Opifex huius civitatis nunc 40. annorum ex uxore sua 34. annor. septem genuit liberos: tres priores, duo nempe pueri & una puella, integræ erant conformationis; infans ordine quartus vero, iterum puella, non solum labio leporino, verum etiam omnis palati defectu deformata erat & trigesima secunda ætatis hebdomade vitam finivit, ex reliquis tribus liberis, feminini generis, vita adhuc gaudentibus, ordine quintus iterum sine hoc vitio nascebatur, quo duo postremi, prior nunc quindecim mensium, posterior 10. hebdomadum, denuo corripiebantur: ergo ex septem his liberis tres, omnes puellæ, nævo hoc notatæ nascebantur. Mater earum ab hoc nævo libera est, pater etiam: huius

ius tamen palatum, integrum quidem, ſed valde inæquale & quaſi ex labe quadam prægreſſa (cuius vero inſcius eſt) conſolidatum & tuberoſum apparet, quare etiam de nare loquitur. Eius vero materteræ adhuc vivæ labium bis diviſum eſt, quo vitio etiam naſcebantur quinque eius filii, ſine illo autem duæ filiæ: huius ergo omnes filii tantum, pronepotes vero ex ſorore, integræ conformationis, tres filiæ eodem nævo & hæ ſimul palati defectu naſcebantur. Huius denique materteræ pater & genitoris primum memorati avus maternus fiſſura labii ſimplici iam deformatus erat.

Hi caſus nuper admodum annotati in memoriam revocarunt adhuc alium. Naſcebatur namque ante 20. iam annos puella, cuius labia quidem integra erant, ſed palatum penitus deficiebat. Hoc vitio non obſtante adhuc vivit, ceterum ſana. Obſcure quidem loquitur, & difficulter cibum potumque deglutit, nil tamen eorum per nares reddit. Hanc haud ita pridem adii orisque conformationem præſentem ſtudioſe examinavi & deprehendi palati hiatum largi pollicis ſpatio ad nares usque ab uno extremo ad alterum patentem cum uvula duplici margini utrique adhærente. Quod maxime miratus ſum, inveni nunc oſſis maxillaris proceſſum palatinum undique ultra lineam extenſum adeoque marginem quendam formantem, qui antea penitus deficiebat: huius enim nævi conformationem in prima eius iuventute ſæpius exploravi. Hac mutatione obſervata meditor nunc, annon inſtrumentum quoddam excogitare queam ad hunc defectum ſupplendum, quia memoratus margo, ut ut exiguus, aliquem locum ſuppeditat, ubi tale inſtrumentum figi queat.

Obſer-

Obſervatio CIV.

DN. D. CHRISTOPH. IAC. TREW.

Continens quædam ad Pelecani ſeu Onocrotali avis hiſtoriam pertinentia.

Obſervatione LXIX. pagina 284. ſuperiori ill. D. de FISCHER hiſtoriam atque deſcriptionem Pelecani ſeu Onocrotali ex propria obſervatione fuſius tradidit. Quum vero figura, quam ex WILLVGHBEII Ornithologia addidit, in multis differt ab illis, quas alii cum publico communicarunt, & mea naturalium rerum collectio continet eiusdem avis caput cum roſtro huiusque ſacco peculiari conſervatum; haud prorſus ſupervacaneum duxi, ſi laudatæ deſcriptioni quædam adderem. Avem ipſam egomet equidem ipſe haud vidi, ſed evolvi auctores, qui eius deſcriptionem imaginemque ſecundum propriam obſervationem cum publico communicarunt, quotquot eorum mea collectio continet. Sunt illi PIERRE BELON (PETR. BELLONIVS) du Mans (*a*), VLYSS. ALDROVANDVS (*b*), CONR. GESNERVS (*c*), AD. LONI-

(*a*) Hiſtoire de la Nature des Oyſeaux a Paris 1555. *fol. p. 153, cum fig. ligno exciſa p. 154. cum deſcriptione valde manca.*

(*b*) Ornithologiæ T. III. Bonon. 1603. *fol. mai. libr. XIX. p. 42. cum fig. pictorum ficta p. 47. maris p. 48. feminæ p. 49, pariter ligno exciſis.*

(*c*) Hiſtoriæ animal. liber III. qui eſt de avium natura, Francof. 1604. *fol. mai. p. 630. cum fig. integræ avis ſecundum propriam obſervationem, alia ex tabula ſeptentrionali OL. MAGNI, aliaque capitis cum roſtro eiusque ſacco a pictore quodam communicata, omnibus iterum ligno exciſis.*

LONICERVS (*d*), IO. IONSTONVS (*e*), FRANC. WILLVGHBEIVS (*f*), PERRAVLT (*g*), P. LOVIS FEVILLE (*h*), ALOYS. FERD. Comes MARSIGLI (*i*), & GE. EDWARD (*k*). Hi autem haud levem in huius avis de-

(*d*) Naturalis hiſtoriæ opus novum. Francof. ſ. a. *fol. p. 393. a. Eiusd.* Kræuterbuchs Pars IV. de avibus Vlmæ 1737. *fol. p. 669. cum fig. ex GESN. ſed imminuta, ligno iterum exciſa: hic autor nil novi addidit, ſed omnia, & quidem pauciſſima tantum, ex eodem GESN. repetiit.*

(*e*) Hiſtoriæ nat. de avibus libri VI. Francof. 1650. *fol. libr. IV. c. 1. p. 126. cum fig. maris & feminæ tab. 46. aeri inciſis ex ALDR. ſed multum imminutis, ex quo etiam deſcriptio brevis compilata eſt.*

(*f*) Ornithologiæ libri III. Lond. 1676. *fol. p. 246. cum fig. tab. LXIII. aeri inciſa eadem magnitudine, qua a D. de FISCHER t. V. fig. 1. repræſentata eſt.*

(*g*) Hiſtoire de l' Acad. Roy. des ſc. depuis 1666. iusqu' a 1699. Tom. III. troiſieme partie à Paris 1723. 4. *mai. p. 186. cum fig. alis expanſis aeri elegantiſſime inſculpta tab. 26. eiusque viſcerum tab. 27. In præfatione notatur huius obſervationis Auctoris nomen indicatum. Idem opus prodiit etiam hoc titulo:* Memoires pour ſervir à l' hiſtoire naturelle des animaux & des plantes par Meſſieurs de l' Academie Roy. des ſc. à Amſterdam 1736. 4. *mai. ſed in hac editione tota pars tertia citata deficit.*

(*h*) Journal des obſervations phyſiques mathematiques & botaniques &c. à Paris 1725. 4. *mai. p. 257. ſine figura.*

(*i*) Danubius Pannonico-Myſicus. Hagæ Com. & Amſtel. 1726. *fol. max. T. V. p. 74. cum figura æn. tab. 35. & T. VI. p. 10. tab. 7. & 8. ubi caput cum ingluvie, trachea, œſophagus, ventriculus & inteſtina, itemque cruris os in magnitudine naturali ſiſtuntur.*

(*k*) Natural hiſtory of Birds. Part. II. London 1747. 4. *mai. cum*

descriptione & delineatione tradiderunt differentiam, quam tamen sigillatim recensere, nimis prolixum foret. Cl. IAC. THEOD. KLEIN nonnulla ex primariis momentis iam collegit (*l*), quibus pauca adhuc adiecisse sufficiat. Longævitatem confirmant plerique: ad 80. annos annotatam recensent *Gesn.* & *Aldr. ex Culmanni relatione.* Pondus & magnitudo indicatur varia. *Bel.* eam inter aves aquaticas post cygnum æstimat corpore maximam; *Turn.* apud *Aldr.* cygno maiorem; alii anſere maiorem minoremve declarant: *Edw.* priorem seu illam ex capite bonæ spei cygno maximo duplo maiorem, posteriorem seu americanam hoc dimidio minorem fuisse asserit. Pondus 24. ℔. (unc. 12. ſ. pond. offic.) invenit *Gesn.*; 18. & 25. ℔. *Aldr.* Figura cygno similis dicitur; propius autem accedit ad anserem ob collum brevius, quod vero etiam extendere & abbreviare potest, unde magis minusve inflexum in figuris citatis comparet, ab utroque autem potissimum differt rostro eiusque sacco seu ingluvie peculiari. Rostrum iusto brevius & angustius pingit *Gesn.* & *Willughby*; iusto brevius & ad extremitatem latius *Aldr.*, longissimum *Edw.* in specie priori. Eiusdem color varius describitur, nempe cæruleus, subflavus, rubens, fuscus; mandibulæ superioris margines non, uti in cygno, esse dentatos, sed secantes, (quod

figg. colore naturali illustratis pag. & tab. 92. & 93. duplicis speciei. Idem opus in gallicam linguam translatum adest quoque hoc titulo: Histoire naturelle de divers Oiseaux. II. Partie à Londres 1748. 4. mai. *Eiusdem operis figuræ naturalibus coloribus eadem magnitudine repræsentatæ, earumque descriptiones Germanice redditæ reperiuntur in illo opere, quod hic Norimbergæ excudit IO. MICH. SELIGMANN hoc titulo:* CATESBY und EDWARDS Sammlung seltener Vœgel P. IV. tab. 97. & 81.

(*l*) Historiæ avium prodromus &c. Lubecæ 1750. 4. *mai. p.* 142. *§.* 74.

(quod etiam *Gesn.* iam annotavit) contra *Bell.* monet *Perr.* Saccum seu ingluviem mirabilis amplitudinis describunt omnes; valde exiguam & retractam eius mensuram sistit figura *Bel.* & *Willughby;* anterius multo ampliorem, quam posterius figura *Marsi.*, anterius vero angustiorem, posterius multo ampliorem & in satis amplum ipsius colli spatium hiantem reliquæ. Eius structuram singulari studio examinatam describit *Perr.* Caput undique plumosum pingunt *Bell.* & *Aldr.*, reliqui circa orbitas ad rostrum usque, & largius infra orbitas, repræsentant nudum, *Willughb.* ad spatium omnium minimum. Huius partis cutis præterea in *Edw.* priori specie eleganter rosea, in posteriori, (quam tamen secundum exemplar iam siccatum tantum pinxit) fusco nigricans. Verticem plumis, cristæ instar erectis, ornatum repræsentat figura *Ol. Magni* apud *Gesn.*, in occipite vero tantum similes & sursum reflexas pinxit *Gesn.;* in occipite & magna colli parte superiori erectas tantum & quidem confertim *Aldr.* in mare, magis sparsas & paullulum sursum flexas in femina *idem;* per totum verticem collumque iubæ in modum prominentes *Willughb.;* per collum totum simili modo dispositas pictor apud *Gesn.*, in peculiarem quasi fasciculum collectas & satis longas *Edw.* in figura priori, breviores & rariores in posteriori; ad colli initium paucas, raras & parum prominentes *Marsi.;* paucas, tenues, erectas & setarum quasi figura prominentes *Bel.*, nullas prorsus *Perr.*, id quod hic in descriptione quoque contra communem sententiam notavit. Corporis plumas albas esse, omnes tradiderunt, easdem vero in fundo rubescere addidit *Turn.* ap. *Aldr;* in alis remiges præcipue reperiri nigricantes annotat *idem*, fuscas *Gesn.*, in collo cinereas *idem*, flavas *Willughb.* dorsalium vero scapos nigricare retulit *idem.* Pedum cutis color nunc plumbeus, nunc cæruleus & subflavus, nunc rubeus observatus est. Digitorum quatuor, membranis uti in

cunctis palmipedibus, inter se coniunctos numerant omnes, præter *Gesn.*, qui quatuor anteriores palmatos & posteriorem quintum, solitarium delineat, *Ol. Magn.*, *Bel.*, (uti *Aldr.* etiam, sed tantum in femina) quatuor quidem repræsentant, ita tamen ut posterior cum tribus anterioribus membrana non coniunctus, sed solitarius sistatur, cui tamen conformationem idem *Aldr.* in feminæ descriptione contradicit. Hunc digitum posteriorem solitarium negat *Willughb.*, errorem omnium optime detexit *Perr.*, dum monet, quartum posterius retractum tantum esse, & ex figuris *Marsf.* & *Edw.* cognoscimus, hunc quartum digitum posterius situm ad internum tantum eius latus cum tertio anteriori coniunctum, ad exterius vero liberum esse, unde illis, qui eum ab externo latere tantum considerant, solitarius apparet. Quod ad huius avis magnitudinem, plumarum, rostri pedumque colorem attinet, vero simillimum videtur, eum tum ex ætate varia, tum ex aliis causis variare posse, & propterea species constantes seu non mutabiles haud denotare; binos tamen Onocrotalos, quos *Edw.* sollicite descripsit & depinxit, distinctas species vel saltem varietates constantes constituere, vix negari potest, præcipue quum posterioris seu americani in colore similem in alia regione etiam observavit HANS SLOANE (*m*). Qui interiora noscere avet, adeat *Aldrovandum* & *Gesnerum*, addatque *Marsigli* & *Perrault*, qui duo posteriores præcipuarum partium delineationes simul exhibuerunt, & quidem *Marsigli* omnium in magnitudine naturali. Linguam prorsus deficere, asseruerunt *Aldr.* & *Gesn.*; eam adesse, sed valde exiguam, monuit *Feuille*, qualem etiam invenit & simul delineavit *Perrault*. Miranda est ventriculi exigua proportio ad ingluviem, cuius capacitas, referente

(*m*) Voyage to the Islands Madera, Barbados, Nieves, St. Christophers and Iamaica. Lond. 1725. *fol. vol. II. p. 322.*

rente *Marſigli*, 10. vel 12. piſcium libras ſervare poteſt: ventriculum ex craſſioribus membranis ſtructum, oblongum, ſcil. 12. digitos tantum longum, 2. latum obſervavit *Aldr.* duplicem *Perr.*, minorem nempe prope inteſtinorum principium. Copiam glandularum, quibus ventriculus refertus eſt, deſcribunt *Marſig.* & *Perr.*, quas prior in magnitudine tum naturali, tum aucta delineat, interius minores, exterius maiores & ſucco quodam acidiſſimo repletas invenit, unde ciborum celerem diſſolutionem deducit. Cutis & membranæ celluloſæ examen ſingulare in ſe ſuſcepit MERY (*n*).

Hunc Onocrotalum & Pelecanum eſſe avem unam eandemque, ſententia eſt communis, eius ſynonymum porro eſſe Plateam vel Plataleam auctor eſt *Bel.*, Pelecanum vero ſeu Plateam ab Onocrotalo diſtinxit *Geſn. l. c. p. 666.* unde procul dubio FRISCHIVS (*o*) eo deductus eſt, ut hanc Plateolam (quam roſtri icon l. c. tab. V. fig. 2. (*p*) ſatis declarat) & Pelecanum pro ſynonymis haberet, quam ſententiam etiam tenet KLEINIVS (*q*) cui Onocrotalus audit Plancus Gulo (*r*). Relationes, quas veteres de hac ave reliquerunt, ut & nomina & ſynonyma variarum gentium, itemque regiones, ubi reperta eſt, ſtudioſe collegerunt *Bellon. Aldrovandus*

(*n*) Hiſt. de l'Ac. roy. des ſc. T. II. depuis 1686. jusqu' 1699. à Paris 1723. 4. mai. p. 145. Memoires T. X. à Paris 1730. p. 433.

(*o*) Acta Acad. Cæſ. N. C. vol. v. p. 251.

(*p*) de hac plateola Pelicani nomine etiam agunt Collect. Vratislavienſia (Sammlung Natur und Medicin. Geſchichte gte Verſuch. a. 1719. Lipſ. & Budiſſ. 1721. 4. *p. 245. art. XVI.*

(*q*) l. c. p. 126. §. CXIV.

(*r*) l. c. p. 142.

dus, *Gesnerus*, *Willughby* & *Perrault*. Ceterum cum Onocrotalo valde convenit illa avis, qua Indi ad piscandum utuntur, quamque delineavit STRADANVS (*s*): certe mandibulæ inferiori adpingitur saccus, paullo tamen minor, sed copiæ piscium, quam una ex his avibus evomit, largiori capacitati satis respondet: tota huius avis figura etiam anseri maiori per omnia similis est, & digitos quatuor palmatos pariter ostendit. Eam distinguendam esse a Corvo aquatico, qui *Cormorani* dicitur, (quem *VVillughby* l. c. p. 248. describit & tab. 63. f. 1. delineat, quemque Indi pariter ad piscandum adhibent) docet idem STRADANVS tab. 20, qui huius avis ope piscandi modus eadem ferme ratione describitur & delineatur a P. I. B. du HALDE (*t*).

His hactenus ex aliis excerptis addo nunc I. sciagraphiam Onocrotali (*vid. Tab. V. fig. 4.*) talem, qualem olim iam Amicus curiosissimus mecum communicavit, quamque ipse ad naturale exemplar delineavit, cuius insignem copiam vidit super Archipelagum Græciæ volitantem, dum insulam Chium peteret. Secundum hanc figuram avis hæc situm tenet erectum, quem reliqui, uti etiam *VVillughby*, pronum pingunt: sine dubio hæc avis eum mutare potest. Digitus quartus posterior hic etiam solitarius indicatur, sed iterum a latere exter-

(*s*) Venationes ferarum, avium, piscium. Pugnæ bestiariorum & mutuæ bestiarum depictæ a IO. STRADANO, editæ a PHIL. GALLÆO, carmine illustratæ a C. KILIANO DVFFLÆO *fol. min. s. loco & anno tab. 23.*

(*t*) Description de l' Empire de la Chine & de la Tartarie chinoise, a Paris 1735. *fol. mai.* & Hagæ Com. 1736. 4. *mai. conf. Commerc. litt. Norimb. a. 1737. p. 209. & a. 1738. p. 167. & 174. tab. IV. f. 11. 13.*

externo, ubi membrana reliquos, & hunc etiam a latere interno, colligans deficit. II. Caput huius avis cum facco exſiccatum in magnitudine ad menſuram exacte dimidiam (*vid. tab. XI.*) Figura 2. ſiſtit caput cum mandibula ſuperiori a facie ſuprema, ubi *a.* cranium cute ſua adhuc tectum, *b. b.* duæ orbitæ vacuæ; *c. c.* mandibulæ ſuperioris pars anguſtiſſima; *d. d.* latiſſima; *e. e.* pars media valde elevata & convexa, ad extremum in apicem aduncum *f.* abiens. Fig. 3. repræſentat caput, roſtrum & cum hoc connexum ſaccum, poſt exſiccationem iterum aqua maceratum & absque ulla vi denuo dilatatum, ubi *g.* parvus hiatus inter elevatam & lateralem planam ſuperioris mandibulæ partem utroque in latere ad orbitæ cavum tendens; *h.* foramen inter oſſeam orbitæ & roſtri partem in ſola cute hians & pariter orbitæ cavum petens: videtur autem hoc caſu factum eſſe, quia in altero latere haud apparet; *i.* apicis uncus; *k.* margo inferior acutus; *l. l.* mandibula inferior; *m.* eius pars dextra, *n.* ſiniſtra; hæ partes utræque interne ſulco quodam excavatæ ſunt pro recipiendo mandibulæ ſuperioris margine acuto; *o.* ingluvies ſeu ſaccus cum inferiori mandibula firmiter concretus, ex membrana valde tenaci conſtructus; *p.* pars huius ſacci poſtrema craſſior, quæ cutis colli pars eſſe videtur; *q.* os quoddam bifurcatum inter ſaccum & cutis partem nominatam repertum, & ipſis membranis inhærens: an hoc ſit os hyoides, cuius; etiam *Perrault* tum in deſcriptione, tum in figura mentionem fecit, certo affirmare nequeo. Fig. 4. repræſentat hoc os ſeparatum a facie laterali in eadem magnitudine dimidia, & fig. 5. a facie recta inferiori in magnitudine naturali, ſed cornuum maxima parte truncum: eſt autem *r.* baſis; *s. s.* appendix inter baſin & cornu; *t. t.* cornu utrumque; *v.* apophyſis peculiaris. Hæ partes omnes nunc ubique ferme inter ſe coalitæ ſunt; eas tamen olim ſeparatas fuiſſe, teſtantur veſtigia.

NOTA.

Nota.

Tab. II. fig. 2. repræsentat Lunariam ramosam. Vt ramorum lateralium a scapo primario naturalis separatio magis pateat, post descriptionem typis iam excusam huic tabulæ addendam curavi fig. 14. quæ utriusque rami lateralis, remoto scapo primario, ex sinu folii ortum repræsentat.



APPEN-

APPENDIX
AD
TOMVM PRIMVM
NOVORVM
ACTORVM
MEDICO-PHYSICORVM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ - LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM IN GERMANIA.

APPENDIX
AD
TOMVM PRIMVM
NOVORVM
ACTORVM
MEDICO-PHYSICORVM
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOL-
DINO CAROLINAE NATVRAE CVRIO-
SORVM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.

I. Commentatio de Thermometris menſuræ conſtantis, quondam ſeorſum publicata, nunc ſecundis curis reviſa & reformata Auctore *Carolo Auguſto* de BERGEN, Med. Doct. & Profeſſore Publ. Ord. in Vniverſitate Francofurtana, Acad. Beroliennſis Scientiarum ſodali, Hæreditario in Roſengarthen. pag. 1. ſeqq.

II. Commentatio de Scarificatione Gingivarum, *Wolffgangi Thomæ* RAV, Med. D. Sereniſſ. Elect. Bavar. in Comitatu Wieſenſteig & Perilluſtr. Reipubl. Vlmenſ. in oppido & territorio Geislingenſi Phyſ. Provincialis. pag. 49. ſeqq.

III. Brevis Commentatio de Inſtrumentorum in arte obſtetricia hiſtoria, utilitate, & recta ac præpoſtera applicatione, *Henrici Ioannis Nepomuceni* CRANTZ, Medicin. & Philoſ. Doct. Vindeb. pag. 73. ſeqq

IV. Diſſertatio, in qua ſententia de differenda hydropicorum morte per efficaciſſimam Scillæ virtutem tribus obſervationibus evincitur, con-

conſcripta per D. *Gottvvaldum* SCHVSTER, Regium Phyſicum in Provincia Chemnitienſi. pag. 139. ſeqq.

V. Meditationes de Viribus hypnoticis a minerali regno haud alienis, *Ioannis Chriſtiani* IACOBI, Philoſ. & Med. Doctoris, Militum Præſidiariorum Vinarienſium Medici ordinarii. pag. 163. ſeqq.

VI. Mercurii ſophici delarvati ex Philalethæ introitu aperto ad occluſum Regis Palatium in conſpectum Chymicorum prodeuntis, ſive Commentarii decem prima obſcuriſſima illius Auctoris capita de Mercurii Sophici præparatione perſpicue per ignem dilucidantis liber IV. & ultimus Auctore *Ioanne Henrico* COHAVSEN, Hildeſio-Saxone, Medicinæ Doctore. pag. 189. ſeqq.

VII. Memoria VATERIANA. pag. 207. ſeqq.

VIII. Memoria SCHWARZIANA. pag. 229. ſeqq.

IX. Memoria KOELERIANA. pag. 247. ſeqq.

X. Memoria LESSERIANA. pag. 261. ſeqq.

XI. Memoria HAMBERGERIANA. pag. 281. ſeqq.

COM-

COMMENTATIO
DE
THERMOMETRIS
MENSVRAE CONSTANTIS
QVONDAM
SEORSVM PVBLICATA
NVNC
SECVNDIS CVRIS
REVISA ET REFORMATA

AVCTORE
CAROLO AVGVSTO de BERGEN
MED. DOCT. ET PROFESSORE PVBL. ORDINARIO
IN VNIVERSITATE FRANCOFURTANA, ACAD.
CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE
BEROLINENSIS SCIENTIARVM SODALI,
Hæreditario in Rosengarthen.

L. B. S.

Quam a decem, & quod excurrit, annis de Thermometris menſuræ conſtantis Commentationem *publicavi, tantum abeſt, ut omnibus numeris abſolutam & perfectam judicaverim, ut eandem potius iterata lectione mancam, concinno ordine, & ultima lima deſtitutam deprehenderim.* Anglicæ *quippe* Societatis Regiæ Acta *tum temporis nondum videram, opinabarque FAHRENHEITIUM, genuinæ conſtructionis Thermometrorum inventorem, nihil prorſus ſuo de invento litteris mandaſſe, & Viros in Chemia & Phyſica ſummos, BOERHAAVIUM & MUSCHENBROECKIUM, quidquid ſparſim in ſcriptis ſuis de arte thermometra conficiendi habent, ex conſuetudine huius prælaudati artificis, diu Amſtelodami quondam viventis, didiciſſe: nihilque me ſuperflui ſuſcepturum, ſi ex horum virorum ſcriptis, quod Thermometrologiam concernit, colligerem, & in aliqualem ordinem redactum cum publico communicarem. Neque querendi cauſſam habeo, adeo tum temporis inviſum & ingratum fuiſſe hoc meum Opuſculum conterraneis meis, cum, quæ in* Supplementis nov. Act. erud. & Commercio litterario Norimbergenſi *leguntur hujus ſcripti recenſiones, honorificæ ſint, & conatibus meis quali-*

buscunque calcar potius addere, quam detrahere videantur. Aſt cum ex eo tempore tota hæc doctrina de Thermometris ſua paſſim incrementa ceperit, Illuſtrisque de *REAUMUR methodus, quam tunc ob apparatus neceſſarii amplitudinem, dicamne difficultatem, proponere non audebam, ſtudio Celeberrimi NOLLET ad elegantem concinnitatem ſit redacta, neque tamen, quod novi, ipſum hunc Virum promiſſum de Thermometris opus evulgaſſe, Dominum autem MARTINE docte quidem, ut Angli ſolent, ſed admodum diffuſe hac ſuper re commentatum eſſe, de mea qualicunque ulteriori decennali experientia conſultans, gratum fore exiſtimavi, ſi priſtinum meum Opuſculum, omiſſis ſuperfluis, additis magis neceſſariis, refunderem, & nova forma indutum publico eruditorum examini ſubmitterem. Huic meo conſilio ſtimulos addidit Illuſtris Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Præſes, Dn. Conſiliarius intimus* de *BUCHNER, qui, ut Appendici novi hujus tomi* Actorum phyſico-medicorum *inſereretur hoc meum Opuſculum, & in conſortio ſcriptorum à Viris omnigena eruditione claris collectorum, novum quaſi ſplendorem mutuaretur, gratioſe conceſſit.*

Rem itaque aggrediens, quæ de methodo conficiendi hæc inſtrumenta eorumque uſu ſcitu neceſſaria ſunt paucis theſibus involvo, quas etiam ubi neceſſitas exigit, adjectis notulis & commentariis illuſtro.

COM-

COMMENTATIO
DE
THERMOMETRIS.

§. I.

Thermometrum (*a*) est instrumentum, quo frigoris & caloris in corporibus vicissitudines, ope fluidi ad calorem & frigus mutabilis, quovis tempore & loco per certos & definitos gradus metimur.

 §. II.

(*a*) *Illustris de* Wolff in *Lexico mathematico* distinguit inter *thermometrum* & *thermoscopium*, posterius vocans instrumentum, differentias quidem, non vero rationes caloris præsentis ad præteritum determinans, atque recte pronunciat, omnia thermometra Florentina, licet ab experto artifice fabrefacta, mera esse thermoscopia. Nomen autem thermometri illi demum competere instrumento, in quo rationes caloris hodierni ad hesternum, vel præteritum ope termini fixi à quo, & ad quem, & quidem non arbitrarii, sed in natura fundati, determinari possint.

§. II.

Ut rerum inventoribus evenire ſolet, quod primæ eorundem productiones (*b*) rudes, imperfectæ & multis aberratio-

(*b*) Non ἐτόπως foret hic diſquirere in inventorem huius inſtrumenti, ARCHIMEDE ſane digni, in cuius perſona deſignanda inter auctores non convenit, nec facile eſt dirimere hanc controverſiam, cum plurimi horum virorum, quibus adſcribitur egregium hoc inventum, coëvi fuerint. Præter *Fr. de* LANIS in *Magiſterio naturæ & artis T. II. p. 380.* & *Cel.* BRUCKERUM *Hiſt. Crit. Philoſ. T. IV. p. alt.* plerique ex Germanis *Rob.* FLUD à FLUCTIBUS, enthuſiaſtem iſtum medicum, inſtrumenti agnoſcunt auctorem, cum in *Hiſtoria utriusque Coſmi* æque ac in *Integro morborum myſterio* eandem machinam depictam exhibeat, quam DREBBELIUS deſcripſit, cum hac differentia, quod eius effectus non adſcribat calori & frigori, ſed neſcio, quibus arcanis, macrocoſmi in microcoſmum influxibus. Italorum plerique gloriam huius inventionis tribuunt SANCTORIO a SANCTORIO Juſtinopolitano, in cuius rei fidem *Marc.* MALPIGHIUM allegant qui *Oper.* poſth. *Lond. 1697.* fol. p. 30. teſtatur: SANCTORIUM *inter cætera glorioſa ipſius inventa nobis reliquiſſe inſtrumentum thermometrum vocatum.* Eiusdem opinionis eſt *D. de la* HIRE filius in *Diſſertatione de barometris & thermometris. Mem. de l' Academie Royale des ſciences 1706. p. 561.* adiecta ſimul figura inſtrumenti Sanctoriani, quam tamen certo novimus poſteriorem eſſe machina Drebbeliana. Unicus *Vincentius* VIVIANI GALILAEUM in *Vita* eius thermometri auctorem profitetur, cum BOERHAAVIUS in *Chemia*, MUSCHENBROECK in verſione *Tentaminum Academiæ del Cimento*, & NOLLET *Leçons de Phyſique T. IV.* à partibus DREBBELII omnino ſtent. Ego ſane, ſi tuto fides adhiberi poſſet viro depravata imaginatione lectoribus ſuis imponenti, nec pro *Robert.* FLUDDIO, nec pro aliis ſuis coëtaneis decernerem, ſed antiquioris ævi hoc inventum declararem; indidem enim refert, ſeſe *illud inſtrumentum in quingentorum annorum manuſcripto graphice ſpecificatum, adeoque geometrice delineatum, inveniſſe.* Formam huius primi thermometri ſequentium annorum Philoſophi correxerunt, manente tamen principio

rationibus ſubiectæ ſint, idem pariter thermometris contigiſſe in vulgus notum eſt; ſucceſſive enim ita emendata ſunt hæc inſtrumenta, ut Drebbelianos nævos correxerit Academia Florentina, huius vero prætervisa præſens addiderit ſeculum, adeoque perfecta reddiderit, ut, quid amplius deſiderari poſſit, vix habeant aut inveniant ſeveri cenſores.

§. III.

Quatuor ſunt potiſſimum momenta, quæ artificem, thermometra conſtruentem, reſpicere oportet: *Vitrum thermometricum*, *liquor thermometri*, *replendi modus*, & *methodus ſcalam adornandi* (*c*).

§. IV.

Vitrum thermometricum (§. III.) conſtat ex *tubo vitreo*, cui ad extremitatem afferruminatur *globus*, ex eodem vitro paratus. Alii ejus loco interdum ſubſtituunt *cylindrum* ex eodem vitro paratum, ſphæra tamen ob præponderantes rationes (*d*) præferenda eſt cylindro, vel cuivis alii figuræ.

§. V.

cipio actionis in fluidum eodem, donec Academia Florentina id perfectius reddiderit, atque a conſociatis hactenus preſſionis aëris effectibus liberaverit. Sed quæ tum temporis adhuc deſiderabatur Florentinorum thermometrorum comparatio per fixos gradus, hodie ſtudio FAHRENHEITII erua eſt.

(*c*) Quarti hujus momenti ceu annexum conſidero ſuſtentaculum thermometri, quod vel aſſerculum, vel lamina metallica eſt, eiusdemque theca, de quibus infra dicendi locus erit.

(*d*) Rationes, quæ pro & contra ſunt, hic reticere nefas eſt. Qui cylindrum vel lentem (quæ applicatione duorum æqualium ſegmentorum ſphæræ formatur) præferunt, iure perhibent, hæc corpora ad idem cum ſphæra magnitudinis datæ volumen reducta maiorem ſuperficiem obtinere, atque ideo propter maiorem punctorum con-

§. V.

Hæc ſphæra (§. IV.) quæ ex portione tubi ad flammam liqueſcentis flatu oris per alteram extremitatem impulſo formatur,

contactus numerum liquorem ad viciſſitudines ambientis caloris & frigoris ſenſibiliorem reddere. Idem docuit magnus BOERHAAVIUS *in Chemia T. I.* & DESAGULIERS *Cours de Phyſique T. II. p. 328.* qui poſterior peculiari experimento probat, duo thermometra unius eiusdemque ſcalæ, quorum alterum ſphæra, alterum cylindro inſtructum eſt, ſi fervidæ ſimul immittuntur aquæ, illud, quod ſphæram habet, momento immerſionis non ſurſum ſed deorſum, pellere liquorem, ex eo, quod globus calore ſpatioſior factus, ante aſcenſum, primo deſcendere faciat liquorem, hoc autem inconveniens vix obſervari poſſe in inſtrumento cylindro inſtructo.

Adeo prægnantes videntur hæ rationes, ut mirari quis poſſet, cur ego ſphæræ primas dederim. En ergo meas, quas habui, rationes pro ſphæra decernentes.

1.) Thermometra, quorum conſtructionem hic potiſſimum exhibeo, tam parvam ſphæram obtinent, ut eius diameter vix excedat dimidium pollicem, ergo ſenſibilis vitri rarefactio, quæ à ſubitaneo calore pendet, non facile metuenda eſt. 2.) Frequentiſſime hæ ſphærulæ flatu efformantur ex portione tubi ad flammam liquati, atque hinc parietes harum tenuiores ſunt, ac alterius figuræ receptacula eiusdem cum tubo craſſitiei; ergo nec talis ſphæra multum rarefieri poteſt. 3.) Sphærica figura prævalet, utpote externis iniuriis magis reſiſtens, nec tam fragilis ut lens vel cylindrus. 4.) Et licet vel maxime quis urgeat, hæc argumenta tanti non eſſe, quæ prioribus opponantur, hoc tamen indubitatum & certum eſt, has ſphærulas minori pretio & labore parabiles eſſe; quis enim facile, niſi talis thermometrorum opifex & nundinator, tam Æolias buccas, & Plutonicas folles in pectore gerit, ut flatu non interrupto, vitra diverſæ craſſitiei & molis ad flammam glutinare poſſit, &, ſi poſſit, certus eſſe, anne ex leviſſima cauſſa continui ſolutio ſequatur? Huius meæ ſuſpicionis teſtem adduco *Cel. C. F.* LUDOLFF, qui in *Miſcel. Berolin. T. VI. p. 225.* conqueritur, quoties thermometra cylindro prædita aquæ ferventi immergeret,

ſe

matur, metum incutit, ne halitus ſuam humiditatem ad parietes tubi & globi deponat, quod quippe mercurium tenacem reddit; quare ſatius eſt, ſemper vitrum thermometricum, globo formato, ad calidum fornacem, ſurſum ſpectante ſphæra, ſuſpendere & perfecte ſiccare.

§. VI.

Antequam globus thermometri flatu efformatur, diſpicere oportet artificem, an tubi cavitas ubique æqualis ſit; quamprimum enim pauliſper inæqualis aut conoidea fuerit, nunquam ſperandum, ſcalam in æquales gradus diviſum iri. Quare non poſtremum requiſitum eſt, ut artifex pauxillum hydrargyri intra tubum trahat, longitudinem huius parvæ columnæ mercurialis circino capiat, poſtea vero, leni inclinatione tubi, mercurium per fiſtulam lente decurrere ſinat, quo in tentamine, ſi mercurii cylindrus ubique reſpondet circini aperturæ, certior fit, capacitatem tubi ubique eſſe æqualem, adeoque perfecte cylindricam (*e*).

§. VII.

ſe hæc ipſa in commiſſura tubi cum cylindro diffracta extraxiſſe, vel quia artifices vitra diverſæ compoſitionis iunxerant, vel quia lampadis flamma pro perfecta adunatione haud ſufficientem liquefactionem produxerat. *Petr.* TABARRANI *Act. Inſt. Bonon. T. II. P. III. p. 233.* loco globi & cylindri hæmiſphærium duplicatum ſubſtituit, ad formam quorundam vaſorum chemicorum, quo quidem mercurio latiſſimam conciliavit ſuperficiem; ſed cum talia vaſa difficillimæ ſint præparationis, & in ea proportione, qua ſuperficiem augent, quantitatem mercurii in vaſculo imminuunt, prævalent ſemper vaſcula ſphæricæ figuræ.

(*e*) Si dicendum, quod res eſt, piis fere deſideriis adnumerandum eſſe fateor, tales perfecte cylindricos tubos ex officinis vitrariis expectare velle: quotquot ego inquiſivi hac ratione tubos, nullum inveni perfecte cylindricum, & præſtat hic uti conſilio Dn. MUSCHENBROECK *Tent. Acad. del Cimento p. 10.* ut nempe mediæ partes horum tuborum, quorum cavitas ad cylindrum proxime accedit, exſcindantur.

§. VII.

Vitri *indoles* exhibet ſingulare & paradoxon phænomenon in thermometris: quod enim molle & ad flammam magis ductile eſt, laborem levat & accelerat; quod vero rigidius & durius, conſervationi, & longiori inſtrumenti uſui favet (*f*).

§. VIII.

(*f*) Differentem proportionem ingredientium ad materiam vitri adhibitorum, diverſa vitra, alia ductilia, alia rigida, largiri, omnibus in confeſſo eſt. Ductilium vitrorum genera, ut imprimis Venetum & Anglicum eſt, ab artificibus in conficiendis thermometris magis expetuntur, cum ad flammam promptius liqueſcant, facilius etiam in quamvis formam flatu extendantur, & leviori opera tubi diverſæ craſſitiei invicem afferruminentur; cum e contrario, vitra Bohemica & noſtræ Marchiæ ad flammam ducenda intenſiori ignis gradu opus habeant, & proin prioribus poſtponantur. Sed pauci norunt, ipſam vitri rigiditatem certo reſpectu præferendam eſſe ductilitati in componendis thermometris: nam ſi commodiorem artificis laborem exceperis, vitrum rigidum non tantum expanditur calore nec condenſatur frigore; dein propter anguſtiores poros & meatus non tam facile cum calore humiditatem admittit & hydrargyrum viſciditate inquinat, id quod ego non ſolum per tot annos obſervavi, ſed & a celebri artifice Bianchi confirmatum accepi, mercurium nempe in vitris thermometricis mollioribus temporis mora viſcidum reddi, ita ut in motu ſuo progreſſivo guttulas ad latera tubi deponat, quod vix obſervari datur in vitris rigidioris indolis. Si enim verum eſt, ductilius vitrum ampliores rigidiori habere poros, hæc mercurii viſciditas ex natura fluidorum cognita explicatur, qua conſtat, ipſa in vaporem reſoluta, corporum ſolidorum ſubſtantiam intimius penetrare ac ipſum aërem. Non eſt ergo, quod amplius adeo doleamus, nos ad thermometra comparanda ductilium vitrorum copiam non habere, in primis cum fiſtulæ, quæ ex vitro albo in officina vitraria Tornavienſi formantur, vitrum habeant mediæ conſiſtentiæ, quod longe mollius eſt Bohemico; hoc autem ordine ſeſe invicem excipiunt:

Vitrum Venetum molliſſimum.
Anglicum molle.
Gallicum.
Marchicum Tornavienſe.
Bohemicum rigidiſſimum.

§. VIII.

In conſtructione vitrorum thermometricorum porro attendenda ſunt *craſſities tubi* & *ſphæræ*, *cavitas* & *magnitudo* utriusque, tubi *longitudo*, & ex his omnibus reſultans *relativa proportio capacitatis* globi ad tubum & vice verſa.

§. IX.

Craſſitiem quod attinet, tubi vitrei optimi ſunt, quorum ſoliditas inter ſuperficiem externam & internam unam lineam pedis Rhenani non excedit; idem propemodum valet de Sphæra, dummodo ſemper in poteſtate artificis poſitum eſſet, ad libitum eiusdem craſſitiei tubum afferruminare (*g*). Sed dum flatu expanduntur ſphærulæ, cavere debet artifex, ne eas nimis reddat tenues & fragiles.

§. X.

Cavitas tubi thermometrici (§. IV.) pro magnitudine vaſculi, indole liquoris thermometrici plus minus expanſivi, deſtinatione thermometri ad uſus meteorologicos, aut chemicos & phyſicos, diverſa ſit neceſſe eſt. Interim pro thermometris mercurialibus, non maioribus quam ex figuris adjectis patet, ſufficit talis cavitas, quæ craſſiorem chordam metallicam pro clavichordiis uſitatam capit, ſeu, quod idem eſt, quæ tertiæ circiter parti lineæ pedis Rhenani æqualis eſt (*h*).

(*g*) Vitrum, quod craſſitie ſua latam lineam multum excedit, plus etiam calore expanditur, atque effectum expanſi liquoris turbat.

(*h*) Conſentientem hac in re habeo *Cel.* MUSCHENBROECKIUM, *Tentam. Exper. nat. &c. L. B. 1731. p. 10.* qui iubet, ut *cavitas tubi capiat fidem clavicymbali craſſiſſimam, infimum tonum C. baſſi ſonantem, ne multo anguſtior ſit; poterit autem absque vitio duplo triplove amplior eſſe.* Anguſtior vero cavitas, propter vires cohæſionis & attritus liquoris ad tubi parietes, nullius emolumenti eſt, ſive conſtructionem, ſive uſum inſtrumenti reſpicias, inprimis ſi thermometrum fluido quodam ſpirituoſo debet eſſe repletum.

§. XI.

Inter neceſſaria porro requiſita ponunt indagationem & cognitionem, quoties tubi vitrei (§. IV.) cavitas intra ſphæræ, vel cylindri concavitatem contineatur, nec ſine ratione, cum, qui hoc attenderit momentum, rarefactionem & condenſationem totius liquoris thermometrici per gradus ſcalæ, tamquam per partes ſui voluminis datas & cognitas, exprimere valet. Sed quisque hic ſua ſequitur præcepta pro diverſo conſtructionis modo (*i*). Proportio a me obſervata talis eſt, ut, pro thermometris liquore ſpirituoſo repletis, tubi cavitas ad minimum decies vel duodecies contineatur in cavitate vaſculi, pro mercurialibus autem 30. 40. immo ſexageſies. Iſtiusmodi enim thermometra mercurialia, ubi capacitas vaſculi ad tubum eſt ut 10: 1. nullius plane uſus meteo-

(*i*) *Cel.* Boerhaave *Chem. T. I. Tab. V. Fig. 3.* capacitatem cylindri ad fiſtulam in ſuo thermometro mercuriali maiori, quod 96. gradus ſcalæ Fahrenheitianæ exhibet, ponit ut 11520 : 96. = 120 : 1. Ipſe Fahrenheitius, proportionis huius momentum ponderans, capacitatem tubi & globi reciprocam voluit eſſe, ut 11124 : 670. = 16 $(\frac{404}{670} : 1$. *Cel. de* L'Isle in litteris ad *Dn.* Kirch, *Miſc. Berolin. Contin. II. Tem. III. p. 343.* capacitatem ſui cylindri ad fiſtulam thermometricam facit ut 40 vel 45 : 1. Ill. *de* Reaumur *Mem. de l' Acad. Royale des Sciences 1730.* ex ſolidiori fundamento in proportionem capacitatis ſphæræ & tubi inquiſivit, ut ſcilicet totius liquoris rarefactiones & condenſationes ex ſcalæ gradibus cognoſceret, atque hinc quosvis ſcalæ gradus, ut partes milleſimas totius voluminis ad punctum congelationis depreſſi, conſideret, ac proportionem globi ad tubum facit ut 10 : 1. Quæ tamen methodus, utut in ſe optima, ad thermometra Mercurialia applicabilis non eſt. Sed quæcunque tandem magnitudines ſphæræ & tubi fuerint, ſpatia per quæ tranſiit liquor thermometricus, erunt inter ſe, ut capacitates ſphæræ & tubi ſtereometricæ, atque proin patet, thermometra parari poſſe, quæ, licet magnitudine inter ſe differant, tamen proportionali ſpatio, per quod liquor tranſiit, conveniant & concordantia ſint.

teorologici sunt, licet ea pro chemicis laboribus admittam: scala enim tam exigua est, ut 10. gradus divisionis vix visibiles sint. Immo vero cui non animus est sub motu liquoris thermometrici successivam rarefactionem & condensationem numeris exprimere, ille non adeo palpabilem committet errorem, si hanc proportionem negligit, dummodo saltem curaverit, ut tubus thermometricus tantæ sit longitudinis & capacitatis, quo liquor sub gelu intensissimo globum vel cylindrum nunquam totus ingrediatur, & sub calore aquæ bullientis tubi extremitatem non attingat. Ipsa porro praxis me docuit, impossibile esse artifici, plura una vice parare vitra thermometrica, quorum capacitates in sphæris & fistulis accurate sibi respondent, quare præstat hanc reciprocam tuborum & globorum capacitatem in latiori quodam sensu comprehendere, & sub repletione cuiusvis thermometri reciprocam globi & fistulæ summam bilance indagare (*k*).

(*k*) Ut dicta exemplis comprobentur, dicam quomodo hanc proportionem in quatuor Thermometris, noviter hoc anno paratis, invenerim.

Num. I. Vitrum sine mercurio ponderabat 2. drachm. 45. gr. cum Mercurio 7. drachm. 13. gr. Ergo pondus mercurii = 4. drachm. 28. gr. quantitas expulsi mercurii erat = 8. gr. ergo 268. gr. X 8. = $33\frac{1}{2}$: 1.

Num. 2. Vitrum sine mercurio = 4 dr. 33. gr. cum mercurio = 16. dr. 27. gr. Ergo pondus mercurii 11. dr. 54. gr. = 714. gr. expulsus mercurius ponderabat 14. gr. quæ X per 714 - dant quotientem 51.

Num. 3. Vitrum sine mercurio 2. dr. 45. gr. cum Mercurio = 9. dr. 23. gr. pondus solius mercurii = 6. dr. 38. gr. mercurius expulsus = 13. gr. ergo 13 X 398 = $30\frac{8}{13}$.

Num. 4. Vitrum sine mercurio 1. dr. 14. gr. cum Mercurio = 6. dr. 18. gr. pondus solius mercurii = 4. dr. 38. gr. mercurius expulsus = 3. gr. ergo 278. X 3 = $92\frac{1}{3}$.

§. XII.

Longitudo tubi thermometrici ad capacitatem & volumen ſphæræ ex ante dictis facile determinatur.

§. XIII.

Fluida, quibus thermometra replentur, alterum noſtræ tractationis obiectum conſtituunt; hæc autem in genere talia ſint, quæ ab actione caloris & frigoris ſenſibiliter in maius volumen expanduntur, aut in minus condenſantur. Optimum eiusmodi fluidum iudicatur illud, quod *α*) æquabiliter & citiſſime a calore rarefit, & a frigore condenſatur; *β*) quod has ſuas rarefactionis vires conſervat, nec ullam per ætatem tenacitatem contrahit, aut moleculas ad fundum præcipitat; *γ*) quod magnum caloris gradum ſuſcipere valet.

§. XIV.

Omnia fluida, tam naturalia, quam arte parata, ab igne rarefieri, & a frigore condenſari, res quidem notiſſima eſt, interim unum præ altero ſenſibilius eſſe dudum quoque experientia docuit. In *aquæ coloratæ* locum ſucceſſit *ſpiritus vini coloratus*, cuius nimia ſenſibilitas aqua iterum temperata eſt. Nullum vero novimus fluidum, quod *mercurio currenti*, non obſtante inſigni eius gravitate ſpecifica, citiſſime incaleſcenti & refrigeranti (*l*) ac cæteris requiſitis (§. XIII.) inſtructo, palmam ad hos uſus thermometricos facile præripere poteſt.

§. XV.

Antequam vero vitra thermometrica replentur, explorandum eſt, an purum & intemeratum ſit hydrargyrum,

(*l*) *D.* MARTINE *Eſſais des Thermometres p. 98.* Tabulam exhibet, qua comprobat, datis mercurii & aquæ maſſis æqualibus aquam lentius calefieri & refrigerari, quam hydrargyrum.

rum (*m*), quo comperto promiſcuum erit, Hiſpanicum, aut Hungaricum, aut quodcunque aliud exoticum adhibere hydrargyrum; nullam enim prorſus differentiam inter mercurium Chinenſem & Carinthiacum, gravitatis ſpecificæ intuitu mihi detexit examen hydroſtaticum (*n*).

§. XVI.

(*m*) Præſtantia mercurii variis modis exploratur:

a) Deſtillatione per retortam; bonus nempe eſt, ſi nihil recrementi relinquit.

b) Exhalatione: ſi unum vel alterum granum cochleari ferreo exceptum prunis candentibus imponitur & prorſus omnino avolat; ſi enim plumbo vel ſtanno mangoniſatus eſt, plus minus recrementi remanet. Idem fit ſi ſimilis quantitas in cochleari argenteo prunis imponitur; quod ſi enim tunc nil niſi macula flaveſcens remanet, ſignum integritatis eſt, ſecus vero, ſi fuſca vel nigra fuerit.

c) Ipſo eius fumo: genuinum enim, quod prunis imponitur hydrargyrum, placide fumando recedit; adulterinum vero cum ſtrepitu & crebris ſaltibus fugam molitur.

d) Nativo eius ſplendore ſpeculi polituram ſuperante, ſummaque eius mobilitate & fluiditate, qua fit, ut leviſſimum quemvis motum per undas concentricas prodat.

e) Examine hydroſtatico: quo plerique invenere gravitatem hydrargyri ad aquæ gravitatem ſe habere, ut 14 : 1. Ego quondam in *Diſſertatione de Gravitate metallorum ſpecifica, Francof. ad Viadr. 1743. edita*, hanc proportionem inveni ut $13\frac{7}{8}\frac{1}{2} : 1$.

f) Traiectione per corium, quam tamen methodum optimam non iudico, cum ſæpe quicquam metallici peregrini tranſeat. Omni vero dubio caret, mercurium virgineum, propter ſummam penetrabilitatem & intimiorem metallorum reclufionem, pro thermometricis fore optimum, ſi vera ſunt quæ refert Clariſſ. Keisler, *Allerneueſte Reiſen T. II. p. 860.* talem nempe mercurium nudum ex Ydrianis rimis ſtillantem, cum auro in amalgama redactum, & ſuper ignem poſitum, ſimul in auras abripere aurum, quod quippe a nullo alio mercurio expectandum eſt.

(*n*) Embdena cum nuper acceperim hydrargyrum Chinenſe, gravitatem eius hydroſtatice exploravi & en! ſequentem calculum duxi.

1. Vaſ-

§. XVI.

Purificatus talis mercurius indatur vasi lato, fictili, incrustato, ponaturque super cineres calidos, vel quod melius est, in balneo arenæ, ut calefiat quantum potest, cavendo ne ebulliat, aut fumum spargat (*o*), quo frigefacto mercurio commodissime vitra thermometrica replentur.

§. XVII.

1. Vasculi vitrei pro recipiendo mercurio pondus erat	=	9. Dr. 36 $\frac{1}{2}$ gr.
2. Eiusdem pondus in aqua	=	5. Dr. 33. gr.
3. Ergo pondus amissum	=	4. Dr. 3 $\frac{1}{2}$ gr.
4. Pondus vasculi mercurio repleti	=	40. Dr. 40. gr.
5. Pondus utriusque in aqua	=	34. Dr. 20. gr.
6. Ergo pondus amissum utriusque	=	6. Dr. 20. gr.
7. Et pondus amissum solius mercurii	=	2. Dr. 16 $\frac{1}{2}$ gr.
8. Et pondus solius mercurii in aëre	=	31. Dr. 3 $\frac{1}{2}$ gr.

Didici ex hoc experimento, 31. drachm. 3$\frac{1}{2}$ gr. Mercurii Chinensis in aqua amittere de gravitate sua 2. dr. 16$\frac{1}{2}$ gr, quod accurate 13 $\frac{5}{176}$ mam partem totius ponderis mercurii constituit. Idem mox repetii experimentum cum mercurii nostratis quantitate æquali in eodem vasculo & eadem aqua, & pars amissa erat pariter 13 $\frac{5}{176}$ ma, ut prorsus nullam differentiam invenire potuerim.

(*o*) Calefieri debet hydrargyrum, licet etiam purum sit, ut omnis aër atmosphæricus expellatur; iteratae quippe observationis est, eiusmodi mercurium non amplius intra thermometrum, quod aquæ vel oleo ferventi immittitur, aëreas bullas ad internam superficiem sphæræ propellere, quæ, ubi crescente calore tubum ingrediuntur, columnam mercurialem dividunt & instrumento labem conciliant. Ex cognita vero fluidorum indole, qua aërem, magno antea calore expulsum, sensim & successive iterum absorbent, patet, hydrargyrum, ni plura simul repleantur thermometra, quovis repletionis tempore calefaciendum esse. Qui machinam pneumaticam loco caloris hic adhibent, non errant, credo tamen calore potentius aërem expelli.

§. XVII.

Præcipuum artis thermometra conficiendi momentum in genuina eorundem *repletione* ſitum eſt, quæ cum vario modo perficitur, expedit convenientiſſimos fideliter hic enarrare (*p*).

§. XVIII.

Primæ methodi regulæ ſunt, ut

I. Vitrum thermometricum, ex artis regulis paratum (§. IV - XII.), exactiſſime ad bilancem ponderetur, notato ejus pondere.

II. Si tubus vitri thermometrici tantæ eſt capacitatis, ut filum ferreum ignitione emollitum, quale ſub numero 5. vel 6. venale proſtat, libere admittat, eius extremitas amplificanda eſt, quod fit vel ad lampadem infundibuli ſpeciem ex eius extremitate formando, vel ipſi huic extremitati infundibulum chartaceum applicando, quod filo lineo, vel cera ſigillatoria firmatur.

III. Tum prædictum filum immittitur in tubum ad globi fundum usque (*q*).

IV. Tandem infunditur mercurius in infundibulum, agitata interim ſurſum & deorſum chorda, donec integrum vitrum thermometricum repletum ſit.

§. XIX.

(*p*) Hic confiteri non erubeſco, repletionis methodum, in prima *de Thermometris* editione §. 44. deſcriptam, omnimode perfectam non eſſe, ſed ſuis utique nævis laborare.

(*q*) Quidam artifices reformidant chordam ferream, tamquam corpus nimis rigidum, quod, leviſſima etiam & ſaltem ſuperficiali rimula vitro per agitationem impreſſa, ſubſequentem eius ſpontaneam diffractionem poſt ſe trahit, quia tubi thermometrici in fornace refrigeratorio non ſenſim refrigerantur & ideo fragiles manent, eamque ob cauſam pilum equinum ſubſtituunt.

§. XIX.

Si tubus exilior eiusmodi chordam haud admittit, aut saltem non libere, sequenti modo procedendum est.

A. Infundibulum chartaceum modo iam dicto (§. XVIII. n. II.) tubi applicatur extremo.

B. Tum ipsi infunduntur aliquot globuli hydrargyri, & sphæra prunis ardentibus admovetur, ut intense calefiat, non vero candescat.

C. Si interea sub hoc tentamine (B) mercurius in infundibulo aliquoties subsilit, indicium est aërem ex sphæra expelli.

D. Dein removeatur sphæra ab igne, adfundendo sensim novam portionem mercurii ad illam in infundibulo contentam, & videbis sub refrigeratione sphæræ mercurium guttatim in illam depluere, qua ratione dimidium circiter sphæræ replebitur.

E. Effusis ex infundibulo hydrargyri reliquiis, sphæra refrigerata iterum admovetur prunis, cavendo saltem ne bulliat mercurius in ea, tumque nova mercurii portio infunditur infundibulo & vitrum ab igne removetur.

F. Sub refrigeratione iterum mercurius guttatim depluit, sed in parciori quantitate, quam prima vice, quare iterata quinquies vel sexies hac methodo totum vitrum thermometricum replebitur (*r*).

§. XX.

(*r*) Non approbare possum empiricorum methodum, qua globum thermometri dimidio repletum accensæ candelæ admovent ad ebullitionem mercurii usque, immersa postmodum tubi extremitate in frigidum hydrargyrum; nam relabens mercurii fumus sordes generat, quæ puritatem eius turbant. *Cel. Dn.* Nollet *Leçons de Physique T. IV. p. 76. 77.* Communem fluidorum indolem respiciens, qua in vapores resoluta fortiorem expansionis nisum exserunt, quam

§. XX.

Supereſt adhuc alia encheireſis tubum citiſſime replendi, ſi nempe, obſervatis prædictis (§. XIX. A -- E), globus integer & tubi parva portio repleta ſunt; tum enim infundibulum removetur, globus admovetur flammæ candelæ, & quando prima guttula hydrargyri effluit, tubus ſubito invertitur, frigido mercurio immittitur, ibidemque ad plenariam refrigerationem usque relinquitur (*s*).

§. XXI.

Alterutra hac methodo (§. XVIII. & XIX.) repleta vitra thermometrica poſt refrigerationem factam

I. ponderantur exactiſſime ad bilancem, ſignato pondere Mercurii & vitri;

II. ſubducto pondere vitri notatur ſeorſim pondus ſolius mercurii;

quam aër calore rarefactus, exiſtimat, proficuum eſſe, ſi unica duntaxat guttula mercurii thermometro inſtillatur, & ſuper ignem in fumos convertitur, atque ubi ad ſummum expanſa eſt, tubi extremitas in frigidum hydrargyrum immittitur. Sed præterquam, quod impoſſibile ſit, uno tali actu globum replere, valet & hic eadem de relabente & inviſcante fumo ratio. Eandem ceteroquin methodum ſequutus eſt *D.* SAUVAGES *in Memoria Sopra la Fiſica e iſtoria naturale.* Vid. Hamb. *Magaz. Vol. I. T. II. pag. 125.* Clariſſ. LEUTMANNO *Inſtrum. meteorognoſ. inſervient. p. 9.* placet repletio thermometrorum attractione fluidi thermometrici frigidi per tubum capillarem, in quem globi fundus extenditur, quemque tubum facta repletione hermetice claudit. Sed quum poſt ſigillationem hermeticam remaneat utplurimum bulla aërea, quæ actionem inſtrumenti turbat, hæc methodus mihi videtur minus congrua.

(*s*) Nullus hic producendæ viſciditatis metus, ubi totus iam globus citra ebullitionem repletus eſt.

III. tum immiſſo in tubum pilo equino ad dimidium eius vel paullo ultra, thermometrum invertitur, ſucceſſiva ac lenta pili agitatione dimidium tubi ſuo mercurio iterum privatur locusque dein, ubi mercurius hæret, lima vel ſilice notatur;

IV. poſtea thermometrum denuo bilanci imponitur, ut pondus exploretur, hoc notato, pondus ſolius vitri (§. XVIII. n. I.) detrahitur. Remanet ergo pondus ſolius mercurii ad dimidium tubum elevati, quo a pondere mercurii totum vitrum replentis (iuxta n. II. hui. §.) detracto, cognoſcitur quantitas hydrargyri per pilum expulſi, & ſimul quoties hæc in maſſa mercurii, in vitro thermometrico, relicti contineatur;

V. tandem globus flammæ admovetur, ut mercurius ad extremum tubi capillaris adſcendat, quo viſo extremitas ſubito hermetice clauditur.

§. XXII.

Indicium bene peractæ repletionis & ſigillationis eſt, ſi ad conſuetam temperiem redacto & inclinato thermometro mercurius cum ſonitu ruit ad extremitatem tubi, nato interim vacuo in ipſo globo, quod inverſo mox thermometro ſponte diſparet (*t*).

§. XXIII.

Aliquando, obſervatis licet omnibus cautelis (§. XVIII. XIX. XXI.), vel intra ſphæram aut tubum aëris bullula apparet,

(*t*) Inanis metus eſt, omni aëre expulſo (§. XXI. n. V.) extremitatem tubi a motu mercurii confringi, quod quidem concedo fieri poſſe in barometris & magnis thermometris, non vero in noſtris inſtrumentis vix pedem excedentibus, & tubo capillari præditis. Aëris autem expulſio ideo neceſſaria eſt, quoniam alias mercurius per æquales gradus expandi nequit, gradusque ſenſim minores fiunt, quo magis ſuperni aëris portio comprimitur.

paret, quo in casu reseranda est tubi extremitas, & firmanda cum filo forti longitudinis ulnæ & amplius, totumque instrumentum celerrime in gyrum agendum, quo motu aër expellitur (*u*). Disparente bulla tubi extremitas de novo ex artis regulis claudenda est.

§. XXIV.

In tubis angustioribus, & qui tenuem vix setam capiunt, mercurius sub inversione instrumenti non movetur, licet aër per prædictam sigillationem hermeticam (§. XXI. n. V.) perfecte expulsus fuerit, ob vires adhæsionis reciprocæ argenti vivi & vitri, in angustis spatiis sensibiliores: expedit itaque angustum eiusmodi tubum plane non obturare, sed apertum relinquere (*x*).

§. XXV.

Scalæ formatio tanquam quartum momentum constructionis thermometricæ (§. III.) consistit in cognitione duorum terminorum fixorum, in ipsa natura observabili-

(*u*) Hæc thermometri gyratio est motus centrifugus ipsius vitri thermometrici & contentorum. Contenta sunt visibilis bulla & mercurius. Nisu centrifugo utraque quovis momento premuntur versus fundum sphæræ, sed hydrargyri, ceu fluidi multo gravioris, impetus & via percursa prævalet. Continuata itaque gyratione sensim omnes moleculæ hydrargyri superant nisum leviſſimæ bullæ aëreæ, quæ contra vires centrifugas impressas cedit prævalenti ponderi mercurii, cogitur retroire, & quasi centripetum motum affectare.

(*x*) Eiusmodi thermometra angusta sunt quidem mobiliora, sed tanto longiorem requirunt tubum & visum observatoris fatigant. Immo ob angustiam loci, & tenaciorem adhæsionem, humiditas ex flatu residua diutius remanet, & capillarem columnam mercurialem dividit & disunit.

um, qui sunt *punctum congelationis* (*y*) & *ebullitionis* aquæ

(*y*) In prima hujus Commentationis editione p. 12. asserui, FAHRENHEITIUM horum punctorum fixorum insigne inventum acutissimo ROEMERO in acceptis tulisse, quod, quo minus inpræsentiarum asseverem vetant litteræ, quondam a *Clariss.* HANOVIO ad me datæ, quibus didici ROEMERI Institutionem derivatam esse ex usitatis iam tum divisionibus thermometrorum *Academiæ Scientiarum Parisinæ*, auctore *de la* HIRE, si recte memini, introductis. Quam Celeberr. Viri sententiam fundatam intellexi ex comparatione duorum Thermometrorum a *Dn.* KIRCHIO *Miscell. Berol. Tom. V. p. 129.* instituta, quorum alterum a FAHRENHEITIO ann. circiter 1717. confectum in 24. gradus divisum erat, & his terminis fixis carebat. Quare lubens confiteor, me prorsus ignorare, quo casu FAHRENHEITIO, homini illitterato, egregium hocce reservatum fuerit inventum, cum thermometrum de la Hirianum his punctis fixis non sit signatum. Forsan meliori iure id ipsum adscripserim incomparabili viro BOERHAAVIO, qui tot aliis in Chemia & Physica inventis inclaruit, & cuius consiliis ac consuetudine diu gavisus est FAHRENHEIT. Ad Historiam puncti congelationis ceteroquin pertinet, quod de eo, ceu invento usus latissimi, vix sibi gratulati sint eruditi, quin ipsos sedula observatio mox docuerit, huius constantiam & immutabilitatem omni exceptione maiorem non esse. Primus qui dubia movit, est D. HALLEY *Philos. Transact. abr. p. 36.* negans punctum aliquot fixum in scala thermometri pro termino congelationis assignari posse, sed hanc congelationem pro diversitate temporum & climatum aliquot graduum latitudinem occupare. Alias ab aliis observatas aberrationes puncti congelationis recenset *D.* MARTINE *l. c. p. 15. 16.* Nihilominus fatetur hoc ipsum convenienter inquisitum sat fixum & constantem largiri gradum. Dicam ego nunc, quid sentiam de termino congelationis. Cum ab aliquot annis multum temporis insumserim hisce tentaminibus, multiplici experientia convictus didici, hoc punctum esse terminum naturæ fixum, qui, si pauciss imas & raras anomalias, in vernale tempus incidentes, exceperis, de quibus infra dicendi locus esto, convenientissime, qua talis

aquæ (z), quod utrumque in thermometris iuxta præcedentes cautelas (§. XVIII, XIX, XXI.) conſtructis ſequentem in modum reperitur.

§. XXVI.

talis in ſcala thermometri adhibetur. Genuina huius puncti exploratio, ſi inſtituitur tempeſtate regelaſcente, unice fit per nivem mollem & ductilem, qui regelaſcit, cui globus thermometri immergitur. Nix enim liqueſcens eandem propemodum aëris temperiem & preſſionem ſupponit, ubicunque locorum liqueſcit, & aqua ex hac nive liquata nunquam viſa eſt diverſas habere gravitates ſpecificas. Sub rigido gelu volam manus meæ repleo nive ſicca & pulverulenta, quæ longe maiorem frigoris gradum continet, ipſique immergo thermometrum; quando nunc nix liqueſcere incipit, & columna mercurialis fixam ſtationem acquirit, ut nec ſurſum nec deorſum moveatur, hanc altitudinem ſilice ſigno, & hac ratione eandem altitudinem invenio ſive ſub rigido gelu, ſive regelaſcente tempeſtate hoc ipſum quæram. Quodſi vero hoc punctum per aquam in glaciem abeuntem inveſtigatur, differentia gravitatis ſpecificæ aquarum, & temporariæ preſſionis atmoſphæræ notabilem ſæpe differentiam adfert. Unde mihi promiſcuum non eſt cum D. MARTINE *l. c. p. 20.* aquam in glaciem abeuntem vel quamvis nivem pro hoc tentamine adhibere, & incerta & lubrica methodus Dn. FAHRENHEIT & *Ill. Dn.* de REAUMUR, hoc punctum ope artificialis congelationis & admiſtorum ſalium inveniendi, multo minus mihi arridet.

(z) De ebullitionis puncto conſtat, inventionis gloriam tribuendam eſſe *Cel.* Dn. AMONTONS, qui *Hiſt. de l'Academie Royale 1702. p. 25.* primus docuit, aquam eo usque calefactam, ut fortiter ebulliat, immo vi ignis evaporet, maiorem caloris gradum ſuſcipere neutiquam poſſe. Qui vero ipſum ſequuti ſunt, idque experimentum vario loco & tempore repetiere, didicerunt hunc caloris gradum pro gravitate ſpecifica aquarum, & diverſa atmoſphæræ preſſione conſtantem & immutabilem non eſſe. Unde FAHRENHEIT in *Act. Anglic.* latitudinem aliquot graduum ſuæ ſcalæ pro puncto ebullitionis aſſignat. Regula autem, quam Phyſici ex his obſervationibus ſtruunt, hæc eſt: quo magis premit & quo gravior eſt atmo-

§. XXVI.

A. Capiatur gleba nivis mollis & in paſtam ductilis, huic immittatur thermometrum clauſum (§. XXI.), vel apertum (§. XXIV.), & ſi tunc deſcendens mercurius ſubſiſtit & ad certam altitudinem immobilis hæret, hæc ſilice vel tenui lima notanda eſt (*a*).

B. Mox ſpatium tubi vacuum a primo ſilicis ſigno (§. XXI. n. V.) aperto circino menſuratur & in ſecundum ſili-

atmoſphæra, quo maiorem gravitatem ſpecificam obtinet aqua, eo plus caloris capit aqua, antequam ebulliat, & ſic e contra vice mutata. Unde in altiſſimis montium iugis ob remiſſiorem atmoſphæræ preſſionem fluida ſub minori, in profundiſſimis autem terræ cavernis ob fortiorem aëris preſſionem, maiori ignis gradu ebullient. Confirmabo hæc omnia eleganti obſervatione *Dn.* le MONNIER, quam ex eius libro, *Obſervations d'hiſtoire naturelle, Paris 1739. 4.* ipſiſſimis auctoris verbis transſcribam: *J'ai plongé ſur le Caniqou, le plus haut des Pyrenées, mon thermometre, fait à la maniere de Mſr. de* l'ISLE, *dans l'eau bouillante & j'ai trouvè, qu'il êtoit de 15. degrès plus bas, que du tems, que ie l'avois plongé dans la meme eau à Perpignan. Apres i'ai plongé le thermometre dans de la neige, & ayant exposé le tout au ſoleil, pourque la neige ſe fonde, le mercure deſcendut, & ſ'arreta preciſement au meme point, ou il etoit deſcendu, dans la glace pilée à Perpignan, d'ou ſe conclüe, que le terme de la glace fondante n'eſt plus ſuiets aux variations de l'atmoſphere, comme celui de l'eau bouillante.* Conſuli etiam ſuper hoc argumento poſſunt *Dn.* NOLLET *Leçons de phyſique T. IV. p. 44.* & DESAGULIERS *Cours de Phyſique T. II. 412.*

(*a*) In prima Commentationis meæ editione modum inveniendi punctum congelationis præter omnem neceſſitatem feci difficilem & intricatum, ſcrupuloſe nimis præcepta BOERHAAVII ſecutus. Poſtea enim didici, mobiliſſima thermometra, aëri liberiori, dum pruina generatur, expoſita, utique punctum congelationis indicare & nullam fere differentiam eſſe ſenſibilem inter congelationem & pruinam,

ſilicis ſignum (lit. A. hui. §.) transfertur, ita ut ſuperior extremitas huius ſpatii in tubo nunc novo ſilicis ſigno notetur.

C. His tribus ſignis in tubo thermometri factis (§. XXI. n. III. & litt. A. B. hui. §.) thermometrum ipſum cum ſuo ſuſtentaculo firmatur, & ducitur linea utrinque ad tubum parallela ſecundum aſſerculi longitudinem, in qua hæc bina puncta (litt. A. & B. hui. §.) pariter notantur, quorum A. adſcriptis litteris *P. C.* denotat *punctum congelationis.*

D. Antequam nunc in *punctum ebullitionis* inquiritur, ſuſpenſi & quieſcentis cuiusdam barometri, quod in vicinia eſt, altitudo per pollices, lineas & ſcrupulos notatur accurate ſuperius in aſſerculo thermometri (*b*).

E. Tum

(*b*) Supra oſtenſum eſt (not. *y* ad §. XXV.) punctum ebullitionis non eſſe punctum adeo fixum, quin a diverſo atmoſphæræ pondere mutari poſſit. Hinc neceſſitas exigit, ut in adornatione ſcalæ & exploratione puncti ebullitionis cuiusvis novi thermometri temporaria barometri altitudo ſuperius in aſſerculo notetur, ut tanto accuratior comparatio cum aliis thermometris, iuxta eadem principia formatis, inſtitui poſſit. In prima huius tractatus editione, & quidem figura ſecunda tabulæ æneæ, pro latitudine aquæ ebullientis decem ſcalæ gradus aſſignavi. Huius aſſerti veritatem ulterius inquiſiturus, nonnulla tentamina cum thermometro *Dn.* Nollet, Pariſiis accepto, inſtitui. Hoc thermometrum habet punctum ebullitionis in 85to gradu. Die 15. Dec. 1753. barometro monſtrante $28.\ 7.\ 0.$ immerſi thermometrum in aquam fortiter ebullientem, & mercurius ſubſiſtebat ad gradum $83\frac{1}{4}$. d. 27. febr. 1754. ſub altitudine barometri $29.\ 0.\ 5.$ idem tentamen repetii cum eodem inſtrumento & in eadem aqua, mercurius ſubſiſtebat accurate ad gradum 85^tum^ ſcalæ. Ergo differentia $5\frac{1}{2}$ linearum in barometro $1\frac{1}{4}$ gradum huius thermometri æquat, & per conſe-

E. Tum adſit olla aqua fervente plena, cui fortiter bullienti ſub neceſſariis cautelis (*c*) immergitur globus thermometri. Locus, ubi adſcendens mercurius ſubſiſtit, lima notatur in tubo, utrinque in aſſerculo adſcriptis litteris *P. E.* quæ *punctum ebullitionis* deſignant.

F. Hoc ſpatium inter bina puncta congelationis & ebullitionis (litt. C. & E. hui. §.) intra binas lineas parallelas, dextro aſſerculi lateri inſcriptas, ope circini & ſcalæ geometricæ in octo & poſtea in 80. ſiniſtrum vero latus in 18. & poſtea in 180. æquales gradus dividitur, quæ centenariæ diviſiones utrinque & ſupra punctum ebullitionis, & infra punctum congelationis ad globum usque continuantur. Quoniam vero experientia me crebro docuit circinorum metallicorum crura, ad tam parvum ſpatium aperta, quale eſt unicus gradus ſcalæ Fahrenheiquens ſpatium $20'''$ in barometro æquale eſt gradibus $6\frac{1}{8}$ thermometri Nolletiani. Cum autem gradus thermometri huius ad gradus Fahrenheitianos ſe habent ut 1 : $2\frac{3}{10}$. ſpatium $20'''$ in barometro æquale erit latitudini $14\frac{3}{8}$ graduum thermometri Fahrenheitiani. Ex quo calculo maior redundat latitudo pro puncti ebullitionis ſtatione, quam quidem in prima editione declaravi. Huius quoque loci eſt commemorare obſervationem Chemicorum, qui, licet aquæ bullientis calorem, in aëre libero thermometris indicatum, tanquam certum admittant, hos tamen limites negant, ſi in vaſe clauſo coquitur, ubi, relapſis continuo vaporibus, tam calida fit, ut plumbum & ſtannum fundere poſſit, quale quid videre eſt in machina Papiniana & vaſis cupreis clauſis, quorum futuræ afferruminatæ ſunt, quæ, niſi ferrumen malleo ſit paratum, ſolvuntur, aqua undique profiliente.

(*c*) Niſi globus thermometri vapore ferventis aquæ probe calefiat, metuendum eſt, ne inſtrumentum ſubito diſſiliat. Eadem cautione opus eſt, ſi prunis candentibus (§. XIX. lit. E.) vel flammæ candelæ (§. XXI. n. V.) admovetur.

heitianæ vel Reaumurianæ, raro esse tam stabilia & firma, quin conversione & progressu crurum ad dividendam lineam in partes centesimas, hoc spatium minus fiat, & inæqualis divisio emergat; in duobus plagulis papyri firmæ & crassioris delineavi triangulum æquilaterum, quorum latera ad minimum unum pedem Rhenanum æquant; unius trianguli basin dividi per puncta impressa in 80, alterius in 90. partes æquales, atque ex his punctis rectas duxi lineas ad verticem utriusque trianguli: utramque chartam postea adglutinavi plano ligneo eiusdem figuræ. His planis semel formatis, facile est divisionem scalæ utriusque, pro quovis thermometro, invenire. Namque semper distantia, quam linea cuiusvis thermometri inter p. c. & p. ebul. largitur, circino mensuratur, eaque si scalam Reaumurianam cupis, à vertice trianguli, quod 80. in basi divisiones habet, cruribus utrinque imprimitur, ducta postea parallela cum basi, convergentes ad verticem lineæ intersecantur, atque inde intersectiones octogesimas partes accurate sistunt, vel nonagesimas; si in alterum triangulum ducimus lineam inter bina puncta thermometri repertam. Si tum circinum habemus, qui in ginglymo suo valde constrictus est, ut crura vi quadam adhibita aperiri & claudi debeant, supersedere possumus divisione in partes decimales, secundum hanc methodum intersectiones scalæ Fahrenheitianæ duos integros semper gradus denotant. Qui circinum proportionum habent, his omnibus adminiculis haud indigent.

§. XXVII.

Hac methodo parata thermometra duplicem exhibent scalam, sed harmonicam, quarum illa dexteri lateris gradus

Reaumurianos, ſiniſtri vero Fahrenheitianos (*d*) repræſentat,

(*d*) In thermometro mercuriali Dn. NOLLET, quod poſſideo, punctum ebullitionis incidit in 85^tum^ gradum, ſed Ill. de REAUMUR hoc ipſum ponit in 80mo, cuius præcepta etiam propter faciliorem calculum ſequutus ſum. Nempe gradus thermometri Reaumuriani ad gradus Fahrenheitianos ſe habent ut 1 : $2\frac{1}{4}$ & thermometri Nolletiani ut 1 : $2\frac{3}{16}$. Cumque in ſcriptis auctorum multas paſſim obſervationes invenerim, quibus proportio graduum utriusque huius thermometri inquiritur, in gratiam eorum, qui alterutrum duntaxat poſſident inſtrumentum, duplicem tabulam hic compoſui, ex qua horum graduum relatio accurate perſpicitur.

TABVLA.

Th.	*Fahr.*	*Reaumur.*	*Reaumur.*	*Fahren.*	*Th.*	*Fahr.*	*Reaumur.*	*Reaumur.*	*Fahren.*
1	:	$\frac{4}{9}$	1	: $2\frac{1}{4}$	22	:	$9\frac{7}{9}$	22	: $49\frac{1}{2}$
2	:	$\frac{8}{9}$	2	: $4\frac{1}{2}$	23	:	$10\frac{2}{9}$	23	: $51\frac{3}{4}$
3	:	$1\frac{1}{3}$	3	: $6\frac{3}{4}$	24	:	$10\frac{6}{9}$	24	: 54
4	:	$1\frac{7}{9}$	4	: 9	25	:	$11\frac{1}{9}$	25	: $56\frac{1}{4}$
5	:	$2\frac{2}{9}$	5	: $11\frac{1}{4}$	26	:	$11\frac{5}{9}$	26	: $58\frac{1}{2}$
6	:	$2\frac{2}{3}$	6	: $13\frac{1}{2}$	27	:	12	27	: $60\frac{3}{4}$
7	:	$3\frac{1}{9}$	7	: $15\frac{3}{4}$	28	:	$12\frac{4}{9}$	28	: 63
8	:	$3\frac{5}{9}$	8	: 18	29	:	$12\frac{8}{9}$	29	: $65\frac{1}{4}$
9	:	4	9	: $20\frac{1}{4}$	30	:	$13\frac{3}{9}=\frac{1}{3}$	30	: $67\frac{1}{2}$
10	:	$4\frac{4}{9}$	10	: $22\frac{1}{2}$	31	:	$13\frac{7}{9}$	31	: $69\frac{3}{4}$
11	:	$4\frac{8}{9}$	11	: $24\frac{3}{4}$	32	:	$14\frac{2}{9}$	32	: 72
12	:	$5\frac{3}{9}=\frac{1}{3}$	12	: 27	33	:	$14\frac{2}{3}$	33	: $74\frac{1}{4}$
13	:	$5\frac{7}{9}$	13	: $29\frac{1}{4}$	34	:	$15\frac{1}{9}$	34	: $76\frac{1}{2}$
14	:	$6\frac{2}{9}$	14	: $31\frac{1}{2}$	35	:	$15\frac{5}{9}$	35	: $78\frac{3}{4}$
15	:	$6\frac{2}{3}$	15	: $33\frac{3}{4}$	36	:	16	36	: 81
16	:	$7\frac{1}{9}$	16	: 36	37	:	$16\frac{4}{9}$	37	: $83\frac{1}{4}$
17	:	$7\frac{5}{9}$	17	: $38\frac{1}{4}$	38	:	$16\frac{8}{9}$	38	: $85\frac{1}{2}$
18	:	8	18	: $40\frac{1}{2}$	39	:	$17\frac{3}{9}=\frac{1}{3}$	39	: $87\frac{3}{4}$
19	:	$8\frac{4}{9}$	19	: $42\frac{3}{4}$	40	:	$17\frac{7}{9}$	40	: 90
20	:	$8\frac{8}{9}$	20	: 45	41	:	$18\frac{2}{9}$	41	: $92\frac{1}{4}$
21	:	$9\frac{3}{9}=\frac{1}{3}$	21	: $47\frac{1}{4}$	42	:	$18\frac{2}{3}$	42	: $94\frac{1}{2}$

Th.

tat, quæque hoc commodi habet, ut quisque suas observationes cum illis suorum amicorum peregre factis, solide conferre possit, sive hi solitarie Fahrenheitiana, sive Reaumuriana possideant instrumenta.

§. XXVIII.

Constructionis scalæ (§.XXV.-XXVII.) annexum est *præparatio & firmatio sustentaculi cum thermometro.*

A. Scriniarius ex tiliaceo vel quovis alio ligno candido plura format assercula, dolabra probe levigata, longitudine unius pedis, latitudinis unius & dimidii, crassitudinis saltem dimidii pollicis, insculpto inferius hemisphæ-

Th. Fahr.	*Reaumur.*	*Reaumur.*	*Fahren.*	*Th. Fahr.*	*Reaumur.*	*Reaumur.*	*Fahren.*
43 :	19 1/3	43 :	96 3/4	57 :	25 1/3	57 :	128 3/4
44 :	19 5/9	44 :	99	58 :	25 7/9	58 :	130 1/2
45 :	20	45 :	101 1/4	59 :	26 2/9	59 :	132 3/4
46 :	20 4/9	46 :	103 1/2	60 :	26 2/3	60 :	135
47 :	20 8/9	47 :	105 3/4	61 :	27 1/9	61 :	137 1/4
48 :	21 1/3	48 :	108	62 :	27 5/9	62 :	139 1/2
49 :	21 7/9	49 :	110 1/4	63 :	28	63 :	141 3/4
50 :	22 2/9	50 :	112 1/2	64 :	28 4/9	64 :	144
51 :	22 2/3	51 :	114 3/4	65 :	28 8/9	65 :	146 1/4
52 :	23 1/9	52 :	117	66 :	29 1/9	66 :	148 1/2
53 :	23 5/9	53 :	119 1/4	67 :	29 7/9	67 :	150 3/4
54 :	24	54 :	121 1/2	68 :	30 2/9	68 :	153
55 :	24	55 :	123 3/4	69 :	30 6/9	69 :	155 1/4
56 :	24 1/9	56 :	126	70 :	31 1/3	70 :	157 1/2

Novi cæteroquin FAHRENHEITIUM suum Zero in 32do gradu sub puncto congelationis habere, adeoque ipsum 212. gradus numerare in puncto ebullitionis. Sed cum ab omnibus hodie receptum sit, terminum a quo in *P. C.* ponere, nemo mihi vertet vitio, quod huius divisionis intuitu iam in prima editione correxerim FAHRENHEITIUM.

rio, & ſecundum longitudinem canali pro receptione vitri thermometrici.

B. Sic formatum aſſerculum ad quartam circiter longitudinis ſuæ inferius ſubtili ſerra transverſim diſſecatur, partesque ſeparatæ iterum ginglimo metallico accurate iunguntur, ſed firmiter cohærente, ut portio aſſerculi inferior, ſi inclinatur, quovis in ſitu immobilis maneat; iunctis ſimul in loco articuli binis capreolis & totidem annulis.

C. Tum tenui ſubula aſſerculum ſupra ginglimum tribus in locis æqualiter diſtantibus pertunditur, pro tranſitu fili metallici.

D. Poſtea totum aſſerculum vernice eſt incruſtandum, quod ſequenti modo fit: Pictorum vernix oleaginea miſcetur cum pulvere ceruſſæ, vel, quod melius eſt, cum calce illa ſaturnina, quam *Schieffer-Bley* vocant, in conſiſtentiam ductilis unguenti, quo ſuperficies aſſerculi pro ſcala deſtinata aliquoties obducitur. Pro reliquis aſſerculi lateribus, ſi niger deſideratur color, fuligo, ſi ruber, cinnabaris factitia, in ſubtilem pollinem redacta, cum eodem vernice ſubiguntur, quibus poſtea iteratis vicibus latera incruſtantur.

E. Siccata vernice, & levigata pauliſper alba aſſerculi ſuperficie, cum atramento Chinenſi ſoluto fiant lineæ utrinque ut dictum eſt (§. XXVI. lit. F.) additis Zipheris denos vel quinos gradus ſignantibus.

F. Hoc peracto vernix quædam pellucida ex gummi Copal, ſandaracha & ſuccino parata, aliquoties toti aſſerculo obducitur, ut nitor & elegantia concilietur inſtrumento.

G. Tandem chorda chalybea pro inſtrumentis muſicis uſitata, numeri circiter quarti vel quinti in igne aperto can-

candeſcat, ut flexilis vel mollis fiat, cuius tribus æqualibus fruſtis aſſereculum cum thermometro firmatur.

H. Ut eiusmodi thermometra peregre transmitti poſſint, ad magnitudinem ſuſtentaculi (lit. A. hui. §.) theca lignea per ſcriniarium eſt paranda, cuius operculum tenaculis claudi poteſt, & in qua, ope ſufficientis goſſypii ſcopiæ, tuto reconduntur.

§. XXIX.

Clariorem de multis circa conſtructionem noſcendis ideam ipſæ ſuppeditabunt figuræ; ſed ut ceteroquin quisque impenſis & tempori parcat, & quoque magis convictus ſit de concordantia plurium inſtrumentorum, præſtat plura talia thermometra uno eodemque tempore parare.

§. XXX.

Iisdem cautelis adhibitis (§. XVIII. - XXVIII.) magna thermometra cum ſpirituoſo & colorato liquore parari ceteris paribus poſſunt, modo color reddatur durabilis (*e*); hæc ſpa-

(*e*) Quæ in prima editione de conſtructione horum thermometrorum fuſius exſtant, hic repetere ſuperſedeo, & hoc tantum addo, quasvis materias, pro ſpiritu vini colorando uſitatas, fixum adeo & conſtantem non largiri colorem, quin temporis tractu colorantes particulæ ad fundum ſecedant. In Galliis uſitatus eſt lichen cruſtæ modo ſaxis adnaſcens tinctorius Tournef. *Inſt. p. 549.* cuius raſuram ruſtici vendunt, ſub nomine *perelle*, quam infectores cum calce & urina macerant, indeque colorantem materiam parant, qua ſpiritus thermometrorum coloratur, ſed fugax admodum eſt, ut docuit Dn. Nollet, *Mem. de l'acad. Royal des Sciences 1742. p. 290.* cum in liquore qui ex aqua ſ. ſpir. vini conſtat, ob defectum aëris brevi evaneſcat, admiſſo autem aëre iterum reſtituatur, & admixtione ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis paulo durabilior reddatur. Tinctura cærulea ex radice pimpinellæ nigræ noſtratis, vel aurea

ſpatioſa thermometra non quidem portatilia, ſed commodioris uſus ſunt, dum maiores graduum diviſiones exhibent. Docuit quoque Dn. FAHRENHEIT tam parva conſtrui poſſe thermometra, ut fiſtula & ſcala tres vel quatuor pollices haud excedant, quibus *Cel.* BOERHAAVIUS (*f*) *Pyranthropometrorum* nomen impoſuit, & de quorum uſu infra quædam notatu digna dicentur.

§. XXXI.

FAHRENHEITIO quoque in acceptis refertur conſtructio thermometrorum triplo longiori ſcala inſtructorum, quæ ob ſingularem uſum, quem in Chemia præſtant, *thermometra chemica* vocari poſſunt, ad diſtinctionem antecedentium, quæ uſibus meteorologicis & phyſicis inſerviunt. Ad regulas deſcriptæ methodi (§. XVIII. - XXVIII.) parari poſſunt, modo proportio ſervetur inter capacitatem vaſculi & tubi thermometrici (§. IV.), quæ hic circiter eſſe debet ut 4. vel 5 : 1. cum tubus triplo maiorem quantitatem liquoris contineat, & hunc exceſſum ſua amplitudine aut longitudine compenſet; præferenda tamen ſemper eſt amplitudo, quæ parva requirit inſtrumenta & quæ commode adhibentur in operationibus chemicis. Graduum exilitas emendatur, ſi loco centeſimarum partium decennales in ſcala notentur.

§. XXXII.

aurea ex rorella, pariter eiusmodi præcipitationi colorantium partium ſunt ſubiectæ, & quid rubicundiſſima tinctura, ex baccis ſambuci maturis in ſpiritu vini frigido infuſis, per colaturam depurata, promittat, ulteriori experientiæ relinquendum eſt.

(*f*) Mangones iſti artifices, qui thermometra venum dant, parva quoque eiusmodi inſtrumenta habent, ſpiritu vel mercurio repleta, ſed quæ perperam cylindris vitreis hermetice ſigillatis includunt, dum ambiens vitrum impedit, quo minus verus caloris gradus deſignari poſſit; præſtat itaque puſillum tale thermometrum ad aſſerculum vel laminam metallicam firmare, quo in caſu, ſi parvum eſt, ingredi poteſt ſupellectilis portatilis ciſtulam quam Galli *étui* vocant.

§. XXXII.

Alterius quidem conſtructionis ſuperſunt thermometra ſed quibus deſcribendis (*g*) haud immorabor, partim quod inven-

(*g*) Inter hæc primaria ſunt

1) *de l'Islianum*, cuius conſtructionem Cel. Auctor in Litteris ad Aſtronomum Berolinenſem Dn. KIRCH *Continuat. II. Miſcellan. Berolinenſ. p. 343.* poſtea vero fuſius in ſuo opere, *Memoires pour ſervir à l'hiſtoire, & au progrès de l'aſtronomie &c. à Petersbourg. 1738.* explicuit. Ad punctum congelationis non attendit, ſed ſuum *Zero* incipit à puncto ebullitionis, & magnitudo graduum correſpondet $\frac{1}{10000}$ vel $\frac{1}{100000}$ moleculis totius maſſæ in thermometro contentæ, adeoque gradus ſunt proportionales totali rarefactioni, vel condenſationi liquoris, inſimulque fatetur *l. c. p. 275.* ſui inſtrumenti principalem uſum in eo conſiſtere, ut corrigat ſubitaneos effectus rarefactionis & condenſationis liquoris thermometrici, a variata preſſione atmoſphæræ pendentes.

2) *Ludolffianum*, quod Cel. Auctor in *Miſcell. Berolin. T. VI.* fuſe deſcripſit, cuiusque conſtructionis ratio in obſervatione Dn. AMONTONS fundatur, mercurium nempe a ſummo frigore ad ſummum calorem ad $\frac{1}{11}$ ſuæ molis expandi.

3) *Celſianum*, à Celeberrimo quondam viro *Andr.* CELSIO in *Actis Soc. Scientiar. Suec. T. IV. Verſ. Germ. p. 197.* deſcriptum, cum de l'Isliano conveniens, quatenus ſuum Zero habet in puncto ebullitionis, ab eo vero recedens numero graduum & determinatione puncti congelationis.

4) *Haleſianum*, quod ingenioſiſſimus Anglus pro calore vegetationis obſervando conſtruxit, quodque ſuum Zero in puncto congelationis habet. Summus calor indicatur gradu, quem mercurius monſtrat, ſi quando liquata ſuper fervidam cera coagulari incipit. Scalam dividit intra bina puncta in centum gradus. *Statique des Vegeteaux, Edit. de Paris 1735. p. 50.* ubi etiam ſequentia habet. *Mſr.* FOULER à Londres *fait des thermometres pour la connoiſſance des Iardiniers, ou ſont écrits les noms des plantes étrangeres vis à vis les degrez de chaleur qui leur conviennent.*

5) Ex libri: *Memoire ſopra la Fiſica e iſtoria naturale diverſi Valentuomini. Luc. 1743.* excerptis, quæ leguntur in *Hamburgiſchen*

inventores ſua quæque deſcripſerint, partim etiam, quod nonnulla mihi ſuperſint fuſius enarranda, quæ latiſſimum horum inſtrumentorum uſum concernunt.

§. XXXIII.

Obſervatores, qui citra notabiles errores ſuas obſervationes cum his inſtrumentis inſtituere ſatagunt, ſequentes negligere non debent cautelas:

a) Thermometrum convenientiſſime exponitur ſeptentrioni, utpote tunc ſolis radiis directis non turbatum.

b) Ubi libero exponitur aëri, cavendum, ne in muro vel pariete ſuſpendatur, qui intus calidum hypocauſtum vel caminum recondit, ne complicatus caloris interioris & exterioris naſcatur effectus.

c) Neque directos, neque copioſos reflexos ſolis radios excipiat (*b*).

d) Spi-

Magazin Vol. I. Part. II. p. 125. video, *Dn.* SAUVAGES deſcriptionem exhibuiſſe parvorum thermometrorum mercurialium, quæ in omnibus cum Reaumurianis conveniunt, excepta ſcala, quæ, neſcio qua de cauſſa, in 87. gradus intra bina primaria puncta dividitur.

(*b*) Differentia notati caloris in duobus thermometris eiusdem ſtructuræ, altero ſolis radiis expoſito, altero in umbra ſuſpenſo, ingens eſt, ita ut æſtate thermometrum ſolis expoſitum radiis duplum, autumno & vere triplum, hyeme autem maiorem adhuc adſcenſum liquoris oſtendat, quam ſimile inſtrumentum, quod in umbroſis locis adſervatur. Audiamus in huius rei fidem obſervata *D.* BON, membri Societatis Montiſpeſſulanæ: *Il a prouvé, que l' effet de la chaleur directe du Soleil ſur le thermometre pendant l' eté comparée avec celle, que la chaleur indirecte de cet aſtre communique au thermometre expoſé à l' ombre, & tourné au Nord, la chaleur directe fait monter la liqueur du thermometre à une hauteur double, de celle, que marque un pareil thermometre à l' ombre, en comptant du point de congelation - - - dans le printems & dans l' automne la chaleur directe du ſoleil eſt exprimée par un nom-*

d) Spirantibus ventis tuto exponitur, niſi directi ſolis radii obſtent.

e) In ſenſibili inſtrumento, ſi de nocte ad candelæ lucem obſervamus, cavendum eſt ne calor eius ſtationem turbet.

f) Tempus obſervationis commodum largiuntur horæ matutinæ & pomeridianæ, ubi ſummus utplurimum eſt frigoris & caloris exceſſus (*i*).

g) In obſervationibus conſignandis nominanda eſt ſpecies thermometri, modus expoſitionis ad aërem liberum, hora obſervationis, longitudo & latitudo loci, barometri altitudo (*k*), venti plaga & impetus, phaſes lunæ, &c.

§. XXXIV.

Uſus thermometrorum horum comparabilium geographicus in exploranda climatum natura quoad indigenum frigus & calorem latiſſimus eſt, & tanti momenti, ut vel ex hoc

 ſolo

nombre de degrès triple - - - dans l'hyver la chaleur directe du Soleil eſt encore plus conſiderable. Iournal des Savans 1747. M. Iouillet, p. 343. Hanc vero regulam, utcunque in Zonis temperatis veram, mirum quantum minui in calidioribus regionibus, docent litteræ Dn. D. Kriel, Batavia ad me ſcriptæ. Hic enim invenit thermometrum Prinzianum, quod ad normam Fahrenheitii conſtructum eſt, ſolis radiis expoſitum ad 98. gradus adſcendere, cum in umbra 86. gradus circiter monſtret, unde differentia præter propter $\frac{1}{8}$ vel $\frac{1}{7}$ eſt totius ſpatii percurſi. *vid. Hamburgiſches Magazin. Vol. V. p. 264.*

(*i*) In vulgus ſatis notum eſt, ſummum diei frigus horis matutinis à IV. ad VI. vel V. ad VII, caloris autem exceſſum a pomeridiana prima ad tertiam communiter obſervari. Sol quippe oriens frigus nocturnum per plagas oppoſitas expandit, idque ſenſibilius reddit horis matutinis.

(*k*) Barometri altitudo neceſſaria eſt, ut tanto accuratior graduum comparatio inſtitui poſſit in regionibus admodum diſſitis & inprimis Aequatori vicinis.

solo capite instrumenti huius inventio inter prærogativas huius seculi sit referenda. Itinera transmarina in Indias utrasque & septentrionem a longo tempore suscepta, nos quidem ab antiquorum liberarunt præiudicio, quasi sub circulo Polari ob intensissimum frigus terra incolis orbata esset (*l*), parique fato Zona torrida premeretur (*m*). Communis porro propemodum fuit opinio, calorem frigusque in superficie telluris esse in ratione distantiæ marium & terrarum ab æquatore, & pro diversa latitudine utrumque & decrescere & increscere, quam tamen erroneam esse detexit thermometrum. Iam enim novimus, regiones sub eadem latitudine sitas mirum quantum differre caloris & frigoris intuitu (*n*), Europam-

(*l*) ἀνοίκητοι διὰ Ψύχος. DIOG. LAERTIUS VII. 156. it. *Pigris ubi nulla campis arbor æstiva recreatur aura.* HORAT. *Carm.* I. 22.

(*m*) *Quarum quæ media est non est habitabilis æstu.* OVID. *Metamorph. I. p. 49.* nec non: *Sub curru nimium propinqui solis in terra domibus negata.* HORAT. *Carm. I. 22.*

(*n*) Sub sævæ hyemis 1740. rigore Thermometrum Fahrenheitianum nec hic, nec Berolini, quod sub lat. 52. 53. 0. iacet, ad gradum 40um infra punctum congelationis descendit, & tamen notavit *Dn. P.* KRAFFT, anno 1745, qui hyems in universum multo clementior erat, die 21. Ian. Thermometrum Fahrenheitianum decidisse ad 40um gradum infra P. C. Tubingæ, quæ civitas latitudinem habet 48. 34. 30. adeoque integris quatuor gradibus Berolino magis meridionalis est. vid. *Hist. de l'Acad. Royale de Berlin. 1746. p. 254.* Indidem porro refero, D. LEROHE Astracani 1745. die 5. Ian. frigus ingens, scil. $195\frac{1}{2}$ graduum thermometri de l'Isliani observasse, quod cum $53\frac{1}{2}$ gradu thermom. Fahrenheitiani infra P. C. correspondet. Astracanum vero plus sex integris gradibus æquatori vicinius est. Idem auctor insignem excessum caloris ibidem d. 17. Iul. 1746. notavit 89ni gradus thermometri de l'Isliani, qui cum $103\frac{1}{2}$ gradu scalæ Fahrenheitianæ & $31\frac{5}{9}$ Reaumurianæ congruit. Commemoratione pariter digna sunt, quæ refert *Cel. D.* GMELIN in

pamque noſtram inter feliciſſimas terræ regiones numerandam eſſe, cum quæ verſus Occaſum vel Orientem ſitæ ſunt, inclementius longe cœlum experiantur. Ex aliis aliorum locorum obſervatis patet, calorem atmoſphæræ in regionibus æquatori vicinis multis adeo gradibus calorem æſtivum Europæ haud ſuperare, ſed propter longiorem moram, & minorem viciſſitudinem quotidianam intolerabilem fieri Europæis, inprimis novis advenis: alias tamen non minus, ab æquatore remotiores inveniri terras, ubi urens & ſuffocans calor languidam vitam reddit (*o*).

in *Præfatione Floræ Sibiricæ, Tom. I. p. 72.* ſeſe anno 1735. in Ieniſeenſium civitate die 5. Ianuarii, hora ſexta matutina, acerrimum obſervaſſe frigus, quo mercurius in thermometro de l'Isliano ad 281^mum^ gradum depreſſus fuerit, ſeu quod ad idem accedit, ad gradum 120 $\frac{76}{100}$^um^ infra P. C. thermometri Fahrenheitiani, ad quod immane frigus tanto magis ſtupet quisque, qui novit, prædictam urbem in eadem propemodum, ac Holmia & Petropolis, latitudine ſitam eſſe, nec hactenus ſpirituum acido-corroſivorum miſcelam cum glacie aut nive ſimile frigus producere potuiſſe. Eadem nunc hyemis inclementia, quæ vaſtiſſimas Sibiriæ regiones, quas Aquilo & Arctapeliotes tenent, devaſtat, eadem quoque in occidentalibus oppoſitis regionibus, ſpirantibus Circio & Borolybico, deprehenditur; nam ex obſervatis meteorologicis Dn. GAUTIER, quæ exſtant in *Actis Acad. Pariſ. 1744. p. 188.* conſtat, longe intenſius frigus quotannis in urbe Quebec, Canadæ metropoli, ſentiri, quam in Germania noſtra, eius oris ſeptentrionalibus non exceptis, licet prædicta urbs ſub latitud. ſeptentr. 47. graduum ſita ſit.

(*o*) Litteris quondam ad Celeb. Profeſſorem Matheſeos Dn. KAESTNER a me datis, quas Diario, *Hamburgiſch Magazin* dicto, *Vol. V. p. 263.* inſeruit, communicavi quasdam obſervationes thermometricas æſtivo tempore Bataviæ Indorum inſtitutas, ex quibus patet, thermometrum Fahrenheitianum gradum 88^vum^ à Zero ſuo, ſeu 56^tum^ ſupra P. C. indicaſſe, quem tamen hic in Germania noſtra ſæpe maiorem experimur. Intolerabilis ergo caloris ſenſus, de quo

§. XXXV.

Quodſi vero in cauſas huius diverſitatis (vid. not. *n.* & *o.*), quæ latitudinem locorum ceu primariam omnino excludit, plures alias, easque ſocias invenimus, merito hic commemorandas. Quarum primariæ ſunt, *locorum ſitus*, quo magis minusve ſunt maritima vel mediterranea (*p*), *montium* has

quo his in regionibus conqueruntur Europæi, a conſtantia & mora unius eiusdemque fere temperiei aëris calidi pendet, cum differentia inter matutinas & pomeridianas horas vix ſex graduum ſit, quæ hic ſæpe triginta eſt. Cum his ſatis conveniunt relationes *Ill. Dn. de* REAUMUR, *Memoir. de l'Acad. Royale des Sciences, 1734. 35. 36. 37.* quibus compertum eſt, Therm. Reaumurianum 1733. calida admodum die in inſula Bourbonia non ſupra $26\frac{1}{2}$ gradus $= 59\frac{3}{4}$ ſcalæ Fahrenheitianæ, aſcendiſſe, quam temperiem hic locorum ſæpe noſtram facimus. Ann. 1734. Martio menſe calor ibidem fuit 28. gr. $= 63$. Fahrenh. etiam hic quandoque obſervandus. Nihilominus indidem & aliunde referre poſſum, quasdam eſſe regiones ab æquatore remotiores, ubi tantus ſuſtinetur æſtus ab incolis, cui ferendo pares non eſſent noſtri Europæi. Bis ſcil. 1737. d. 7. Iun. h. pom. 3. & 1738. d. 19. Maj. h. pom. 3. Pondicherii, Emporio Gallorum littoris Coromandelienſis ſub lat. ſept. 12. grad. obſervatum eſt hydrargyrum in thermometro Reaumuriano adſcendiſſe ad grad. $32\frac{1}{2} = 73\frac{1}{4}$ ſcal. Fahrenh. qui æſtus calorem incubatus ſuperat. Indidem quod omnem fidem fere ſuperat, refero, d. 12. April. 1738. h. pom. 3. ad littus Africæ occidentalis in Inſula Senegal, ſub lat. ſept. 16. grad. Therm. Reaumurianum ſtetiſſe ad $38\frac{1}{4}$ gr. ſupra P. C. ſive ſecundum Fahrenheitii inſtrumentum ad $86\frac{9}{16}$ flante favonio, ſub quo ingenti æſtu & auræ inflammatæ ſpiraculo vix concipi poteſt, quomodo vita animalis perpetuari queat.

(*p*) Huic cauſæ tribuendum, quod in locis maritimis, Inſulæ Iavæ orientalibus, & aliarum huius archipelagi calor non valde excedat calorem æſtivum in Germania & Gallia; quod calor littorum Africæ occidentalis tam ingens ſit, & adhuc maior in arenoſis Africæ deſertis; quod littora occidentalia Norvegiæ nunquam tam acre fri-

has vel illas regiones *peragrantium tractus & elevatio* (*q*), *marium & lacuum* ſitus & magnitudo (*r*), *ſoli terraquei indoles* ſpecifica (*s*), *ventorum* extra tropicos ſpirantium *inſtabilitas.*

§. XXXVI.

frigus experiantur, quam transmontana & mediterranea eiusdem provinciæ loca, ſub eadem elevatione poli ſita, quid quod mirabilius, Germaniæ & Poloniæ mediterraneæ quædam provinciæ intenſius frigus habeant ac littora eius ſeptentrionalia. vid. *E.* PANTOPPIDANI *Natürliche Hiſtorie von Norwegen, T. I. p. 24.*

(*q*) Excelſis montibus obſitas regiones intenſius fovere frigus, quam locorum latitudo deſiderat, docent Alpes Helveticæ & Pyrenaicæ, in quibus non ſolum maius ſentitur frigus, quam in Gallia aut Germania, ſed & quæ ob ſimilem aëris temperiem easdem cum Alpibus Lapponicis ſub Circulo polari ſitis, plantas producunt. Eadem de cauſa Alpes Peruanæ, ſub ipſo æquatore conditæ, in ſummis cacuminibus perpetua nive & glacie teguntur, ut videre eſt ex relatione itineris Peruani a Sociis Academiæ Reg. Pariſ. ſuſcepti, Vid. *Mem. de l'Acad. Royale des Sciences. 1744.*

(*r*) Hoc marium & terrarum ſitu explicatur ventorum extra tropicos ſpirantium natura & indoles, & cur boreas non tantum frigus ſecum ferat, quam Aquilo; cur Subſolanus frigidus & ſiccus, Auſter calidus & humidus, Favonius humidus & temperatus, Barolybicus & Circius Aquilonis naturam propemodum manifeſtet.

(*s*) Sic rigor aëris Sibirici omnium qualitatum maxime memorabilis eſt, quam auctores fundi terreſtris indoli, ſalibus ſalſis & nitroſis ubique imprægnati, tribuunt. Ita enim *Cel.* GMELIN *l. c. p. 68. In ipſo Argunenſi munimento, quod parum ſupra 50. gradus latitudinis ſitum eſt, incolæ referunt, multis in locis eius regionis terram ſupra ſeſquiulnam gelu non ſolvi, hocque internum terræ frigus efficere, ut putei admodum difficulter effodi poſſint,* & *pag. 69. Unde temere negandum non eſt, præter magnam terræ in his regionibus elevationem, aliam quandam cauſam, in terra forte latentem, ſubeſſe, quæ frigus ſolito maius producit. -- p. 70.*

In

§. XXXVI.

Hæc omnia qui attente conſiderat, non mirabitur, unius eiusdemque hiemis frigus vel quoque unius eiusdemque æſtatis calorem in regionibus, non ultra aliquot gradus latitudinis & longitudinis ab invicem diſtantibus, mirum in modum differre poſſe, & hiemes dari in certis provinciis meridionalibus inclementiores, quam in adiacentibus borealibus, viciſſim quoque boreales quandoque intenſiori calore premi, ac proxime adiacentes auſtrales provincias (*t*).

§. XXXVII.

In tractu Orniiæ amnis ego & omnes, qui mecum erant, paſſim per orgyas plus centum magnum frigus perſenſimus, quòd nonnunquam per aliquot leucas cum tepido aëre commutabatur, ultra euntibus rurſus occurrebat, & viciſſitudinibus perpetuis obnoxium erat.

(*t*) His probe ponderatis, nulla erroris de calculo aut imperfectis inſtrumentis naſci poterit ſuſpicio, legentibus, *Illuſtrem Dn. de* REAUMUR ex comparatione ſui cum thermometro la Hiriano inveniſſe, ſuum thermometrum ſi hyeme 1709. iam iam conſtructum fuiſſet, maximi frigoris indicare debuiſſe gradum $14\frac{1}{2}$ ſub P. C. $= 32\frac{5}{8}$ Th. Fahrenheitiani, cum tamen BOERHAAVIUS Lugduni Batavorum thermometrum Fahrenheitianum depreſſum viderit ad gradum 27. ſub P. C. $=$ 12. gr. infr. P. C. Th. Reaum. Nam primo, non conſtat hos viros uno eodemque tempore obſervaſſe, & ſi conſtaret, incertum eſt, an idem gelu & venti acerbitas in utrisque locis regnaverit. Sub hyeme 1740. maximum frigus Pariſiis notavit *Dn. de* REAUMUR $10\frac{1}{2}$ grad. ſui therm. infra P. C. $= 23\frac{5}{8}$ Th. Fahrenheit. hoc tamen hic loci fuit 34. & Gedani 42. graduum infra P. C. Et hoc præſenti anno in relationibus publicis Vltraiectinis ſequentia relata legi: *Num. XIV. Gazette d'Vtrecht. Il gele ici (Paris 1754. d. 8. Fevr.) depuis deux iours avec une ſi grande force - - que le froid à été plus violent d'un dégré qu'en 1740. & Num. XV. Selon le raport de Mr.* de REAUMUR *le thermometre à été à $11\frac{1}{2}$ P. C. $=$ ($24\frac{15}{16}$ grad. Th. Fahrenheit.) *ce qui fait un degrès &*

un

§. XXXVII.

Insignis porro thermometri usus latet in exploratione *caloris animalium* tam naturalis, quam præternaturalis, qui pro ipsorum diverso genere, & natura medii, in quo vivunt, mirifice differt, ut sint, qui, cum quibusdam Zoologis, frigidis sic dictis animalibus nullum fere calorem tribuant, quod quidem nostræ sensationis respectu, non vero re ipsa, verum est, cum omnia animalia mediis suis, in quibus degunt, calidiora sint. In primæ Commentationis figura secunda summum calorem naturalem hominis & animalium quadrupedum designavi gradu 94to Scalæ Fahr. a Zero incipiendo, observationes magni BOERHAAVII secutus, quem tamen maiorem & sæpe supra centesimum gradum recentiorum observata determinant. Insecta & pisces bronchiati longe remissiorem obtinent calorem inter 30- & 50^mum^ circiter subsistentem, apes si exceperis, quarum modicus acervus intra suum

un quart de plus que 1740. In nostra urbe & vicinis campis hyems anni præteriti satis gelida fuit, multo tamen mitior illa 1740^mi^ anni. Maximum frigus adfuit 4to Februarii, & hora septima matutina Therm. Fahrenheit. monstrabat 30. gr. $\frac{1}{2}$ p. cong. $=$ $13\frac{1}{2}$ Therm. Reaumur. & octavo eiusdem mensis, nempe eadem die, ubi Parisiis adeo infesta erat aura Gallis, Thermometrum Fahrenheitianum indicavit modo quintum gradum infra P. C. Easdem propemodum insignes differentias notamus aestate. *Dn.* NOLLET suo thermometro, quod possideo, adscripsit calorem æstatis 1753. Parisiis observatum $30\frac{1}{2}$, $=$ $68\frac{1}{2}$ Th. Fahrenh. atque sic Parisiis præteriti anni calor uno gradu adhuc superavit calorem anni 1756. qui tamen tunc temporis hic loci mediocris fuit. Memini porro 1753. d. 17. April. Thermometrum Fahrenheitii hic monstrasse 49. gr. supra P. C. quod pariter mense Aprili insuetum, adeo ut si hic millenas cumularem observationes, id certum & constans deprehenderetur, in regionibus quoad latitudinem fere parallelis, sed extra tropicos sitis, ob tempestatum vicissitudines & ventorum instabilitatem, tempore eodem diversum frigus diversumque calorem locum habere posse.

ſuum alvearium fovet calorem incubatus calori fere æmulum (*u*). Cetaceum genus, pulmonibus inſtructum, eundem cum quadrupedibus habet calorem; volucrium autem familia adhuc maiorem, niſi excipias ſtatum ſoporis hyberni, cui nonnullæ ſunt ſubiectæ aves. Eiusdem propemodum naturæ eſt calor incubatus in volucrium claſſe, quem *Illuſtr. de* Reaumur æqualem facit 32do gradui ſupra punctum congelationis (*x*).

§. XXXVIII.

In febribus & aliis morbis ab exceſſu motus ſanguinis circulatorii natis, inteſtinus partium calor aliquot gradibus quidem increſcit, ſed non in tantum, ut termini Medicorum, *incendium febrile*, *inflammatio*, *ignis febrilis* &c. indigitare videntur, qui omnes locutiones figuratæ ſunt, Poëtis magis, quam Phyſicis & Medicis, veritatis confitendæ ſtudio addictis, condonandæ. Summus enim increſcentis caloris in morbis effectus differentiam circiter, pro natura individuorum,

(*u*) Teſtatur hoc Illuſtr. *de* Reaumur, *Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des inſectes, Tom. V. Mem. XIII. p. 671.* his verbis: *Après avoir fait deſcendre le thermometre dans la ruche - - - ie vis, que les abeilles avoient fait prendre à ſa liqueur une chaleur exprimée par 31. degrès, c'eſt a dire une chaleur - - qui eſt a peu pres celle que prennent les oeufs ſous la poule.*

(*x*) Cave exiſtimes hæc omnia ſtricto ſenſu ubique vera eſſe, quin per latam conſuetudinem homines & animalia maiorem vel minorem calorem in ſuis humoribus & medio ambiente citra vitæ periculum ferre poſſint. Exceptionem ab hac regula largiuntur populi littoris Africani (vid not. *o.* ad §. XXXIV.), qui, calidiſſimam auram attrahentes, hanc ſuis ſenſim humoribus a ſolidis partibus impertiunt; imo homines in frigidis regionibus nati & educati vi conſuetudinis ſimul etiam intenſi caloris perferendi ſunt capaces. *Gel.* enim Gmelinus *l. c. Præf. p. 81.* obſervavit, Muſcovitas in tepidariorum Ruſſicorum calore, qui æqualis eſt 84to gradui, Therm. Fahrenh. ſupra P. C. ſeu 37½ Therm. Reaumur. per integras horas impune morari, in quibus animalia multa, ſuffocarentur. Concludimus ergo merito ex his, caloris & frigoris hiſtoriam multa adhuc emendatione opus habere.

rum, 16. vel 18. graduum ſcalæ Fahrenheitianæ indicabit, ut exemplo *Dn.* MARTINE *l. c. p. 185.* patet, qui febre decumbens thermometrum Fahrenheitianum puſillum (§. XXX.) cuti admovit, viditque mercurium adſcendiſſe ad 76um gradum ſupra P. C. = 33$\frac{1}{3}$. Scalæ Reaumurianæ. Imo licet in quibusdam populis adhuc maior eſſe poſſit hic caloris exceſſus, nunquam tamen talem copiam ignearum admittit particularum, quæ partes adurere valeant.

§. XXXIX.

Quem calorem vegetabilia requirant, ut vegetent, floreant & fructus ferant, pariter docet thermometrum, ut proin hortulani, qui in excolendis plantis exoticis, quæ in hybernaculis & caldariis aſſervantur, operam navant, hoc inſtrumento vix carere poſſint, ad moderandum calorem artificialem & præcocem vegetationem accelerandam. Id inde profecere Anglorum topiarii, ut norint Bromeliam, Melocactum, Cereum & Euphorbiam longe maiorem deſiderare calorem, ut flores & fructus ferant, quam Myrtham vel Aurantium &c.

§. XL.

Latiſſimus porro thermometri uſus in variis phyſicis & chemicis tentaminibus ſe manifeſtat. Ipſo diſcimus, omnis generis fluida frigoris diverſa intenſitate cogi & concreſcere in formam corporis ſolidi (*y*), & revera hæc omnia proprie

 eſſe

(*y*) Ex experimentis Virorum celeberrimor. BOERHAAVE, *de* REAUMUR & MARTINE, diſcimus, invento conglaciationis puncto pro aqua, reliqua fluida in glaciem verti maiori vel minori frigoris gradu, ut ex appoſita tabula innoteſcit.

	Therm. Fahr.
Lac	2 infr. p. c.
Urina	4 $\frac{1}{2}$ p. c.
Sanguis agninus	7 $\frac{1}{2}$ p. c.
Vinum Burgundicum	12 $\frac{1}{2}$ p. c.
Spir. Vini & aqua æqualibus partibus miſta	25 $\frac{1}{2}$ p. c.
Acetum	60 $\frac{1}{2}$ p. c.
Spiritus vini	66 $\frac{1}{2}$ p. c.
Spiritus nitri	72 $\frac{1}{2}$ p. c.

eſſe corpora ſolida certo caloris gradu ſoluta, veraque per ſe fluida in mundo ſpectabili, præter aërem & ætherem, non reperiri. Singularia ſunt cogitata magni NEWTONI, *Opticæ p. 302. Aqua, quæ eſt ſal admodum fluidus & ſaporis expers, calore convertitur in vaporem, qui eſt genus quoddam aëris, frigore autem in glaciem, quæ eſt lapis durus, pellucidus, fragilis & ad liquandum aptus; atque hic quidem lapis revertitur in aquam calore, vapor autem frigore.*

§. XLI.

Nova porro phænomena intenſiſſimi frigoris artificialis, ope mutuæ ſalium cum glacie contuſa vel nive miſcelæ excitati, laterent Phyſicos, niſi hoc ipſo inſtrumento innotuerint. *Celeberr.* BOERHAAVE *Chemiæ Tom. I. 164.* nonnulla horum recenſet experimentorum, ad quæ lectorem ablego. Stupendi vero ſunt effectus ſpirituum acido-corroſivorum, ſi cum nive vel glacie miſcentur, dum frigus 72. graduum infra punctum congelationis producunt. Id. *ibid. p. 162. 163.* Ego vero, ne quid intactum reliquiſſe videar, quod præſentis argumenti ambitum concernit, quorundam ſalium miſturam cum nive hoc anno repetii, quorum effectum in adiecta tabula (z), lectoris oculis ſubiicio. Quo ex tentamine liquet, boracem frigus non auxiſſe, ſal vero commune frigoris maximam intenſitatem produxiſſe. Quod ceteroquin hæc no-

(z) Anno 1754. d. 20. Ian. Barometro = 30. 3. 5. & thermometro in nive punctum congelationis indicante, miſcui in aëre libero tres partes nivis cum una parte ſalium. Pro experimentis adhibui Thermometrum *Dn.* NOLLET cuius graduum proportio ad Scalam FAHRENHEITII eſt ut $2\frac{1}{18}$: 1.

	Th. Nollet.	Th. Fahr.
Borax pulveriſat. - - - - -	℥jj. - 0.	0.
Sal Carolin. - - - - -	1 ÷ p. c.	$2\frac{3}{18}$
Sal Tœplicenſ. - - - - -	℥ij: 1 ÷ p. c.	$2\frac{1}{18}$ ÷ p. c.
Sal Egranum - - - - -	℥ij: 1 ÷ p. c.	$2\frac{1}{18}$ — p. c.
Sal Tartari - - - - -	℥ij $10\frac{1}{2}$ — p. c.	$22\frac{1}{2}$ — p. c.
Sal Ammoniacum - - -	℥ij $12\frac{1}{2}$ — p. c.	27 — p. c.
Sal Gemmæ - - - - -	℥ij 16 — p. c.	35 ÷ p. c.
Sal Com. Hallenſ. - - -	℥ij 17 ÷ p. c.	$37\frac{1}{18}$ ÷ p. c.

noſtra experimenta a BOERHAAVII & aliorum tentaminibus recedant, diverſæ nivis & ſalium commiſtorum proportioni non minus, ac frigidioris aëris temperiei adſcribo. Unde cum in omnibus huiusmodi experientiis frigoris incrementum a ſolutione ſalium intra nivem dependeat, non amplius miror effectum, mihi quondam a *Cel.* HANOVIO perſcriptum, quod gelu exiſtente 42. gradus infra p. c. immiſſum thermometrum Fahrenheitianum mixturæ ſalis marini & nivis cogebat mercurium ut adſcenderet ad 32 gradum infra p. c. evidenti documento, nivem ad 32. gradum frigidam fuiſſe, adeoque nullum ſalis marini deliquium & permiſtionem cum nive permiſiſſe.

§. XLII.

Egregium Dn. AMONTONS inventum, quod aqua ſemel ebulliens non maiorem poſtea coctione perſiſtente caloris gradum capiat, ampliſſimum experimentorum campum aperit, omnis generis fluida & ſolida, quæ igne liquefiunt, examinandi, & hinc Celeberrimis Viris NEWTONO, BOERHAAVIO, de REAUMUR, MARTINE, ſequentis tabulæ debemus tentamina, fluidorum & ſolidorum liqueſcentium ebullitiones exhibentis.

	Therm. Fahrenh.	Th. Reaum.
Spiritus vini ebullit ad grad. ſup. p. c.	143 =	$53\frac{5}{9}$
Aqua - - - -	180 =	80
Aqua maris - - -	186 =	$82\frac{2}{3}$
Lixivium Cinerum clavellat. - -	208 =	$92\frac{4}{9}$
Spiritus nitri - - -	210 =	$93\frac{1}{3}$
Oleum Vitrioli - - - - -	514 =	$228\frac{4}{9}$
Oleum terebinthinæ - - -	528 =	$234\frac{6}{9}$
Oleum lini - - - -	568 =	$252\frac{4}{9}$
Plumbum - - - -	568 =	$252\frac{4}{9}$
Argentum vivum - - -	568 =	$252\frac{4}{9}$
Stannum - - - -	576 =	256

Ex hac tabula ſequitur: 1.) Ebullitionem finire terminos rarefactionis in fluidis & ſolidis per fuſionem fluentibus. 2) Hos ebullitionis terminos eſſe conſtantes, habita ratione ſpecifici

ponderis atmoſphæræ (§. XXV. not. z.) 3) Citiorem vel tardiorem ebullitionem non dependere a denſitate vel raritate corporum. 4) Supereſſe alia metallica corpora maioris longe caloris capacia, qui thermometris menſurari nequit.

§. XLIII.

Quanti porro uſus ſit thermometrum in Chemia & Phyſica experimentali, paucis nunc exemplis comprobabo. De rectificandis thermometris per barometra, quorum viciſſim emendatio per thermometra fit, in antecedentibus (not. *b.* ad §. XXVI.) dictum eſt; & quis dubitat horum uſum in indaganda gravitate ſpecifica, hydroſtatice explorata, multiplicem eſſe poſſe? Leges, iuxta quas fluida cito vel tardius incaleſcunt & refrigeſcunt, horum inſtrumentorum ope ad mathematicam certitudinem evehi ſeſe patiuntur. Sint v. g. duo vaſcula eiusdem magnitudinis & materiæ, alterum aquæ, alterum hydrargyri eadem quantitate repleta, totidem adſint thermometra cum horologio portatili, minutas ſecundas indicante, quæ fluidis his immittuntur, tunc ſi bina vaſcula ſupra arenam calidam ſenſim incaleſcunt, patebit quodnam horum primum incaleſcit, quodnam etiam remoto igne prius refrigeretur. Inter recentiores auctores *Dn.* MARTINE hac ſuper re curioſa non minus quam utilia cum Fahrenheitiano thermometro inſtituta tentamina ſuo de Thermometris tractatui inſeruit, cuius ad maiorem perſpicuitatem duas in notis exhibeo tabulas (zz), gradus

A.			B.		
Minutæ Secundæ	Gradus caloris aquæ	Gradus caloris Mercurii	Minutæ Secundæ	Gradus caloris aquæ	Gradus caloris hydrargyri
0′	46	46	0′	89	89
3	51	56	3	$85\frac{1}{2}$	$81\frac{1}{2}$
6	57	66	6	82	76
9	62	73	9	79	72
12	66	78	12	76	68
15	70	82	15	$73\frac{1}{2}$	65
18	73	84	21	68	$59\frac{1}{2}$
21	76	86	24	66	58
24	$77\frac{1}{2}$	$86\frac{1}{2}$	27	$64\frac{1}{2}$	57
27	79	87	30	63	56
30	80	87			

dus & tempora incalescentiæ & refrigerationis mercurii & aquæ uno obtutu monstrantes. In chemicis laboribus thermometra pariter insignem utilitatem produnt, inde enim discimus, aquosa menstrua, quo citius ebulliunt, eo promptius, ceteris paribus, virtutem exerere in dissolvendis corporibus: spirituosa, quo minus ignis desiderant ad ebullitionem, tanto efficaciora esse menstrua in recludendis balsamicis, salino-oleosis, volatilibus vegetabilium concretis; contra oleosa, quo plus ignis capiunt ante secutam ebullitionem, potentissime agere virtute dissolventis ad solida fundenda, ut videre est in ebullitione olei lini, quod plumbum & stannum fundit; & ceteroquin thermometrum chemicum largiri lapidem lydium ad cognoscendum & dirigendum caloris gradum in omnibus operationibus chemicis, quarum calor ebullientis olei calorem non multum superat. Imo si fidem aliquando liberabit Vir quidam ingeniosissimus & ad culturam mechanices quasi natus, habebimus suo tempore thermometra metallica, vehementissimos ignis gradus ad vitrificationem usque mensurantia.

§. XLIV.

Atque hic existimo me fideliter indicasse omnia momenta, quibus constructio *thermometrorum concordantium* & *mensuræ constantis* innititur, secutus maxime hac in re præcepta ab Illustr. Viris, BOERHAAVIO, MUSCHENBROECKIO, *de* REAUMUR, NOLLETO, concessa, quibus tamen hinc inde ex mea qualicunque in his experientia addidi correctiones necessarias visas. Erit ergo his cautelis paratum thermometrum, quantum arcti industriæ humanæ limites permittunt, ad usus suos, quibus destinatur, perfectum & affabre factum, omnibusque modis iis præferendum instrumentis, quæ a circulatoribus Lombardicis parantur, quorum finis est curiosorum loculos emulgendi, non vero accurata & certa instrumenta parandi. Antequam vero benevolum Lectorem a lectione huius meæ opellæ dimittam, non possum præterire anomaliam huius instrumenti, ut ut in se optime parati, cuius caussam multis retro annis frustra inquisivi & quam ideo pro-

problematis loco omnibus meteorognoſiæ cultoribus propono. Vernis menſibus, ſcilicet Februario, Martio & Aprili, ſæpe obſervavi, mercurium aliquot gradibus ſupra punctum congelationis hærere in thermometris, cum interim aëris temperies adeo frigida ſit, ut aqua in campis & platearum dividiculis in glaciem converſa videatur. Nunquam tale quid contingit hyeme aut autumno, & fateor hoc phænomenon mihi problematis non tam facile ſolvendi locum tenere. Sed pedem hic lubens figo, uberrimam laboris huius mei qualitcunque mercedem reportaturus, ſi quando intellexero hunc ipſum Publico, ſpeciatim autem illuſtri & ſplendidæ Naturæ Curioſorum Academiæ, cuius Membrum me eſſe haud levis mihi ſupereſt gloriandi cauſſa, non penitus diſplicuiſſe.

Explicatio Figurarum.

Fig. I. ſiſtit Thermometrum Fahrenheitianum, prout ab Auctore ipſo elaboratum eſt, & poſt eius obitum a Mechanico Amſtelodamenſi, Dn. *Printz*, venditur. Primum Zero huius ſcalæ incidit in 32dum gradum infra punctum congelationis; finis ſcalæ eſt aliquot gradibus ſupra punctum ebullitionis. Suſtentaculum, cui ſcala inſcribitur, ex metallo eſt.

Fig. II. ſiſtit Thermometrum Fahrenheitio-Reaumurianum, a me fuſius in Commentatione hac deſcriptum. In ſuprema regione notata eſt altitudo Barometri, quæ incidit cum tempore, quo thermometrum hermetice clauſum eſt. Latus ſiniſtrum ſuſtentaculi exhibet ſcalam Fahrenheitianam, ſed correctam, quæ terminum fixum, a quo gradus ſurſum & deorſum ſupputantur, in puncto congelationis habet. Latus dextrum ſcalam Reaumurianam ſiſtit, pariter terminum a quo in puncto congelationis habens. Bini capreoli, non longe infra punctum congelationis occurrentes, inferiorem ſuſtentaculi partem mobilem firmant.

Fig. III. Idem eſt Thermometrum (Fig. II.) a latere ſpectandum, ubi ginglymus, inferiorem ſuſtentaculi partem mobilem reddens, conſpicitur.

COM-

COMMENTATIO
DE
SCARIFICATIONE GINGIVARUM,

ILLVSTRI

S. R. I. NATVRAE CVRIOSORVM ACADEMIAE

EXHIBITA

A

WOLFFGANGO THOMA RAU, Med. D.

SERENISS. ELECT. BAVAR. IN COMITATV WIESENSTEIG ET PERILLVSTR. REIPVBL. VLMENS. IN OPPIDO ET TERRITORIO GEISLINGENSI PHYS. PROVINCIALI.

PRÆFATIO.

Veriſſime olim HIPPOCRATES ſub initio *Lib. de arte* ſcripſit: *Mihi vero invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quam occultum eſſet præſtet, ſcientiæ votum ac opus eſſe videtur: ſimiliterque & ſemiperfecta ad finem perducere & abſolvere.* Ea enim eſt ſcientiæ medicæ in univerſo ſuo ambitu indoles, ut novis experimentis & inventis, quibus noſtra præſertim ætate locupletata fuit, quotidie reddi queat certior atque perfectior. Nunquam itaque, iuxta egregium S. R. I. Naturæ Curioſorum Academiæ Symbolum, decet eſſe otioſum Medicum cordatum quemuis, ſed omni ſtudio id agere, ut ſcientiæ ſalutaris incrementum promoveat. His rationibus & amore nobiliſſimæ medicinæ partis, Chirurgiæ, ductus, horis a praxi clinica ſubſecivis cogitavi de *Scarificatione gingivarum*, atque hanc de ea commentationem, pro ingenii mei modulo, paullo fuſius digeſſi. Circa eius uſum & adhibendi modum imitari conatus ſum Illuſtr. PLATNERUM, quide ocu-

lorum ſcarificatione & perſpicue & doctiſſime diſſeruit: ſed PLATNERUM me non eſſe probe mihi conſcius, nec adeo perſtrictæ frontis ſum, ut hanc opellam ita abſolutam eſſe exiſtimarem, ac ſi nihil ei deeſſet: recte enim CELSVS de Medicina Lib. V. cap. 26. *Hiſtrionis*, inquit, *eſt parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur.* Reſtant potius plura, & inſtar problematis tantum ſunt, quæ in hoc tentamine propoſui, quum, efficaciam ſcarificationis experiri, haud adeo frequens ſeſe offerat occaſio, atque rei novitas multos ab eius exercitio deterrere queat. Dab. Geislingæ Ulmenſ. d. 28. Iun. A. R. S. MDCCLV.

COM-

COMMENTATIO DE SCARIFICATIONE GINGIVARUM.

CAPVT. I.

De Scarificatione in genere.

§. I.

Scarificatio eſt operatio chirurgica, qua partes molliores ſolidæ corporis humani, frequenti & repetita magis, quam alta & magna inciſione, ſauciantur, ut humor intra contextum earum vaſculoſum ſubſiſtens, evacuetur (1).

(1) Grammaticam vocis ſignificationem PLATNERUS in eleganti ſua Diſſ. *de Scarificatione oculorum*, quæ eius Opuſculis T. I. inſerta eſt pag. 42. & Cel. quondam Tubingenſ. Medicus, MEZGERUS, in Diſſ. *de Scarificatione*. §. 2. ἀπὸ τῦ καριφᾶσθαι græcorum deducunt: eos tamen τὸ ſcarificare aliis inſuper vocabulis expreſſiſſe, fuſius exponit PLATNERUS, atque τὸ ξύειν HIPPOCRATIS, (qui *in libello de Viſu* ξύσιν ſeu raſuram palpebrarum primus commendavit,) per ſcarificare interpretatur.

§. II.

Antiquiſſimum eſſe Chirurgiæ genus, vel ex ſolo HIPPOCRATE liquet, qui varias cautiones circa eius adminiſtrationem poſteritati reliquit (2): atque CELSUS in acutis quibusdam, ſi & levari corpus debet, & ex vena ſanguinem mitti vires non patiuntur, cucurbitulis opus eſſe perhibet (3), & in cephalalgia easdem temporibus & occipiti admovere, ſanguinemque ex naribus detrahere iubet (4). Encheireſin

vero, iuxta quam narium ſcarificatio inſtitui debeat, diſtincte exponit ARETAEUS, eamque in cephalæa commendat (5).

(2) in Lib. de Medico Ed. Linden. T. I. p. 49.
(3) l. c. Lib. II. cap. XI.
(4) l. c. Lib. IV. cap. II.
(5) v. PLATNER l. c. T. I. pag. 46. ubi non ſolum ARETÆI verba *de morb. chronicor. curatione Lib. II. cap. II.* recenſita leguntur, ſed etiam inſtrumentum ad ſcarificationem narium aptum quod vices τῆς σοφύνης ARETÆI commode ſubire poteſt, depictum invenitur.

§. III.

Nec alii ex prima medicinæ ætate deficiunt præſtantiores Medici, qui ſcarificationem in diverſis corporis humani adfectionibus magnifecerunt. Sic videtur ASCLEPIADI Bithyno iuniori placuiſſe, ut in Synanche periculoſiori faucium ſcarificatio inſtituatur (6). GALENUS laudes ſcarificationis malleolorum decantat: quum vero pars, malleoli nomine ab eodem deſcripta (7), excarnis & exſanguis, deſideratæ huic & ad animi usque deliquium celebrandæ evacuationi plane impar ſit, nec ſine gravioris doloris aut convulſionum metu, ob tendinum nervorumque præſentiam, cultro commode ſupponi poſſit, haud iniuria his rationibus innixus MEZGERUS (8) exiſtimat, intelligendam eſſe partem ſuræ intra protuberantiam carnoſam mediam, malleolo conterminam, atque locum illum per excellentiam dici malleolum, quia ſcarificatio ab infra inchoatur. Præter GALENUM quoque ORIBASIUS ſcarificationem quæ maioribus plagis absque cucurbitulis, præſertim in ſuris ſit, in ſuppreſſione menſium, fluxionibus oculorum, adfectibus capitis & contra peſtem (9), AETIUS vero in anaſarca commendat (10). Nec reticendus eſt *Paulus* AEGINETA, qui primus excogitavit inſtrumentum ſcarificationi dicatum, quo tribus lanceolis tres inciſiones

ſiones una vice fierent (11), & præterea duritiem palpebrarum vel pumice, vel ficus foliis, vel inſtrumento, quod βλεφαρόξυσον, ſeu *palpebrarum raſorium* appellat, radere ſeu ſcarificare docet (12). Denique, qui antea iam nominandus fuiſſet, CAELIUS AURELIANUS, referente Illuſtri *Frid.* HOFFMANNO, ſcarificationem in toto capite prius raſo, aduerſus phrenitidem in uſu habuit (13).

(6) SCHULZII Compend. hiſt. med. §. 552. pag. 278.
(7) de Cur. rat. per V. S. cap. 18.
(8) l. c. §. XI. Conf. SENNERTUS in Inſtit. med. Lib. V. P. II. Sect. I. cap. XI. p. m. 936.
(9) FREIND Hiſtoire de la medecine T. I. p. 23.
(10) FREIND l. c. pag. 50.
(11) FREIND l. c. pag. 262.
(12) PLATNER in Opuſc. l. c. pag. 61. qui inſtrumentum hocce ære exſculptum conſpectui quoque exhibet.
(13) Med. rat. Syſt. T. IV. P. I. Sect. II. Cap. V. pag. 413.

§. IV.

Si pergimus ad Ægyptios, deprehendimus, apud eosdem acceptam hanc ſine dubio a græcis chirurgiam ad noſtra usque tempora crebriori uſu inclaruiſſe: id quod *Proſper* ALPINUS, in egregio de huius perantiquæ gentis medicina libro, certiſſime comprobat. Quanti enim in acutis, ad præſervandam inprimis & leuandam phrenitidem, æſtiment illam à CELSO & ARETAEO iam laudatam narium ſcarificationem (§. II.) ex eodem ALPINO refert eiusque imitationem commendat *Frid.* HOFFMANNUS (14). Qua ratione autem eam in furis adhibere, ipſis recepti moris ſit, FREINDIUS (15) & MEZGERUS (16) ex laudato ALPINO exponunt: *Inciſuri ſcilicet ſuram, partem prius bene fricam, pelui aqua calida plenæ immergunt, manibus & arundine modice percutiunt, dein arcte ſub poplite zonula coriacea ligatam omnique ſtupefactam*

factam arte, incisionibus ordinatis iam pluribus, iam paucioribus, prout id exigit medentis intentio, æqualibus & parallelis spatiis interstinctis, secant. Subiiciunt autem, præter suras & nares, etiam alias partes corporis nostri, ut aures, labia, mentum, gingivas, collum, occipitium (17).

(14) l. not. 13. cit.
(15) l. c. pag. 23-25. ex quo infimul liquet, hanc methodum cum illa ORIBASII (§. III.) convenire.
(16) l. c. §. IX.
(17) MEZGER l. c. §. 12. & *Fr.* HOFFMANN l. c. Tom. III. Sect. II. Cap. IX. pag. 621.

§. V.

Quæ apud Chinenses & Iaponenses recepta est *acupunctura*, iuxta generalem scarificationis notionem (§. I.) omnino eiusdem quædam species est, quatenus e diversis corporis partibus, tam acu simpliciter pungendo, quam eandem malleolo altius paullo intrudendo, sanguinem eliciunt (18). Alia ratione, sed simili crudelitate, Brasiliani spinis arborum, aut piscis lamiæ dentibus negotium committunt (19). Hottentotti vero, Promontorii bonæ spei incolæ, plerosque morbos curant scarificatione loci adfecti, mediantibus telorum cuspidibus, sanguinemque dein è vulnusculis, per labia viri robusti exsugendo (20). Sic quoque hirudinum suctio sanguinea â scarificatione haud multum differt.

(18) HEISTER chir. mai. germ. P. II. c. XVIII. pag. 428.
(19) MEZGER l. c. §. 10.
(20) LENTILIUS, Iatromn. Theor. pract. p. 641.

§. VI.

Recentiori ævo haud omissus fuit scarificationis vsus, de quo fusius dicendi amplissimus sese mihi offerret campus; pau-

paucis vero me expediam. Sic Neapolitani in febribus malignis, ſequuti forte CELSI conſilium (§. II.) dorſum invadunt, perque huius totam longitudinem multis æqualibus inciſionibus excurrunt. ZACUTUS LUSITANUS linguam plus debito tumefactam ſcarificationi ſubiecit (21). Interdum quoque in malo iſchiadico & pleuritide ſpuria (22), in ipſa parte adfecta, in podagra in dorſo pedis (23), atque generatim in omnibus doloribus & ſpasmis partium externarum rheumaticis, tam in ipſis dolentibus, quam vicinis (24), nec non adverſus vertiginem morbosque ſoporoſos in nucha & cervice (25), in occipite adverſus graviores capitis adfectus (26), atque inſuper in inflammationibus externis, præſertim eryſipelate (27), in ulceribus rebellibus chronicis, ubi metus gangrænæ adeſt (28) & in ipſa quoque gangræna (29) frequenter in uſum vocatur.

(21) MEZGER l. c. §. 12.
(22) HEISTER Chir. mai. germ. P. II. Cap. XVI. pag. 424. de infelici vero perfluitam a balneatore facta ſcarificatione, in ægra a pleuritide vera convaleſcente vid. LENTILIUS l. c. p. 640.
(23) Fr. HOFFMANN l. c. T. IV. P. II. Sect. II. cap. XI. p. 523.
(24) Idem l. c. cap. VIII. p. 444. & IUNCKER in Conſpect. Chir. Tab. LXVIII. p. 490.
(25) FR. HOFFMANN l. c. T. IV. P. IV. Cap. II. p. 63. & cap. III. p. 90.
(26) PLATNER Inſt. Chir. §. 1298.
(27) FREIND l. c. p. 119. qui cum præſentanea inflammationis diſcuſſione eam adhibitam fuiſſe teſtatur.
(28) FR. HOFFMANN l. c. T. III. S. II. Cap. IX. p. 621.
(29) Perilluſtr. L. B. de SWIETEN, Comment. in BOERHAAVII Aphoriſm. de cognoſc. & cur. morb. §. 444. & 46.

§. VII.

Specialem adhuc mentionem meretur *tonſillarum ſcarificatio*, quæ hodie in Anglia & Gallia contra inflammationem earum, & præſertim in angina, mediante lancetta occulta

hunc in finem fabrefacta, cum insigni levamine adhibetur (30). Veterem vero HIPPOCRATIS ὀφθαλμοξύσιν (§. 1. not. 1.), iuxta *Io. Thomæ de* WOOLHOUSEN methodum, felici usu comprobarunt, modumque eam celebrandi cum publico communicarunt illius quondam discipuli, illustre par ophthalmiatrorum, PLATNERUS (31) & MAUCHARTUS (32).

(30) HEISTER Chir. cit. P. II. Cap. 94. p. 640.

(31) in Opuscul. l. c. conf. quoque ibid. T. II. Prolus. VII. p. 50.

(32) In diss. de ὀφθαλμοξύσι *nov- antiqua seu Woolhusiano-Hippocratica, nobilissima operatione ocularia, e textu græco eruta & bis mille annos neglecta, nunc demum emergente & defensa.* Tubing. 1728.

§. VIII.

Prout vero tam a veteribus, quam recentioribus Medicis in diversis partibus diversa encheiresi adhibita fuit scarificatio, iuxta generalem eius notionem in diversas species distinguenda venit. Hinc est

I) *Proprie sic dicta*, quæ

α) *sine cucurbitulis*, mediantibus incisionibus plus minus profundis, ad methodum Ægyptiorum (§. IV.) scalpello fit, & hodie *chirurgica* audit, ad differentiam illius quæ

β) *cum cucurbitulis*, mediantibus fliutis (33), quarum inventioni forte *Paulus* AEGINETA ansam dedit, (§. III.) ac quotidie a balneatoribus in Germania (34) exercetur (35).

II) *Improprie & latiori significatione* omnes illi sanguinem e corpore nostro detrahendi modi sub eadem intelliguntur, quibus non tam incisione scalpello facta, quam rasura, frictione, ut in ὀφθαλμοξύσι (§. VII.), irritatione & vulneratione cum penna dentata, culmo stramineo, &c. elicitur: atque in hoc sensu PLINIUS arbores scarificare iubet (36).

(33) Sca-

(33) Scarificationem incruentam vocant, quando cucurbitulæ revellendi fine hinc inde adponuntur, absque ſanguinis per fliutam extractione. Sed ſecundum notionem (§. I.) datam, hæc encheireſis ſcarificatio dici nequit.

(34) In Batavia quoque non ſolum ad præſervandam ſanitatem, ſed, ſi Auctori anonymo *der galanten Correſpondenz* quæ Ao. 1715. in lucem prodiit, p. 154. fides habenda eſt, inſtar urbanarum munditiarum (vulgo *Galanterie*) plebi accepta eſt ſcarificatio, ita ut recepti moris ſit, ut procus cum amaſia, ſponſus cum ſponſa in ædibus balneatorum, loco deliciarum & honoris ergo, ea invicem utantur. Unde eiusmodi domicilia inſcriptione inſignita ſunt: Heic ſcarificatur & bona cereviſia diſpenditur; *Hier wird geſchröpft und guth Bier gezapft.*

(35) Curioſum eſt, quod de balneatore quodam Bavaro refert *Io.* Langius in *Epiſt. medicinal. XL. Lib. I. p.* 195. Is enim cucurbitulis tantum ſanguinis, quantum voluit, elicere, eiusque fluxum, quando libuerit, ſiſtere potuit: *Hunc vero, aiunt,* pergit Langius, *ſuum ſcarificationis ſcalprum pulvere quodam, quibusdam ſpeciebus ſalis mixto, expolire, qui ſanguinem concreſcere haud ſinit; nam & ideo in gangræna ſcarificatione inciſiones aqua ſalſa calente, ne ſanguis ingroſſetur, irrigamus: quam ſi ſpongia recenti marina, aqua ſalis aut maris humectata, abſterſeris & fomentaveris, etiam liquidior fluet.*

(36) Mezger l. c. §. 2.

CAPVT. II.

De

Scarificatione gingivarum in ſpecie.

§. IX.

Gingivæ ſunt integumenta maxillarum, & conſtant ex membrana oris communi & perioſteo maxillarum, quibus firmiſſime adhærent, atque reticulo ex vaſis tenerioribus copioſiſſimis ſanguiferis, quæ a ramis arteriarum carotidum externarum & venæ iugularis internæ, tam exterioribus, quam

interioribus, ad dentes quoque tendentibus, oriuntur (37), unde earum rubor & craſſities dependet, ob quam partibus carnoſis a quibusdam adnumerantur (38). Earum membrana, quæ ori communis eſt, quamprimum ad externas earum oras pervenit, intorquetur, & inter alterum gingivæ & dentis latus reflectitur, poſtea vero in alveolum deſcendit & immediate illis dentium partibus adhæret, quæ in alveolis ſituantur. Eſt itaque iisdem inſtar perioſtei, ab eo differens, quod maxillas & cavum alveolorum cingit. Nonnullorum dentium radicibus, in ſpecie in maxilla ſuperiore, aliquid duræ & carneæ gingivarum ſubſtantiæ communicatur, per quam dentes eo firmius in ſuis loculamentis adfixi & annexi ſunt (39). Nervulos copioſos gingivis eſſe irretitos, vel ſola earum ſenſibilitas comprobat: proficiſcuntur vero a maxillaribus, qui rami ſunt paris quinti ſeu guſtatorii, atque ad cuiusvis dentis radicem quoque pertingunt (40). Lymphatica denique vaſa, iunior D. de FRANCKENAU iisdem attribuit (41).

(37) HEISTER Comp. anat. §. 281. p. 147.

(38) VALENTINI Prax. Chir. pag. 630.

(39) HAVERS Oſteol nov. pag 100. & *Io. Maur.* HOFFMANN Id. machin. human. Sect. XXVI. p. 300.

(40) HEISTER Comp. cit. §. 299. p. 162. & WILLIS Pathol. Cerebr. Cap. IV. p. m. 36.

(41) In diſſ. de *Epulide & Parulide* ſub præſidio SCHELLHAMMERI habita, quæ integra inſerta eſt VALENTINI Prax. chir. pag. 611. ſq.

§. X.

Scarificatio gingivarum eſt operatio chirurgica, qua gingivæ varia arte ſauciantur, ut cruor vel humor quicunque, intra contextum earum vaſculoſum (§. IX.) ſubſiſtens, educatur (42).

(42) Poſſet hæc operatio græco nomine ἐνυλοξύσις appellari, ab ἔνυλον, gingiva, & τὸ ξύειν HIPPOCRATIS (§. I. not. 1.), quo ſcarificationem quæ radendo fit, impropriam (§. VIII. n. II.), intellexit.

§. XI.

§. XI.

Non nova plane nec inaudita eſt hæc Chirurgiæ ſpecies: dudum enim PLINIUS odontalgia laborantes dentes iuſſit ſcarificare, mox alio dente hominis vi interemti, mox oſſe, acui ſimili, quod in latere leporis reperitur, canino dente ſiniſtro maximo, aut oſſe Draconis ex ſpina: item enhydridis, ſive colubri, in aqua viventis, oſſibus lacertæ e fronte luna plena ita exemtis, ne terram attingant, nec non oſſiculis gallinarum, in pariete ſervatis, fiſtula ſalva proiectoque oſſiculo, paſtinacæ denique radio (43). Aegyptiis etiam, quorum in colenda ſcarificatione induſtriam iam laudavi (§. IV.) uſu recepta fuit (44). Inter recentiores vero *Frid.* HOFFMANNUS (45) & HEISTERUS (46) nec non VALENTINI (47) eandem commendant.

(43) PLATNER Opuſcul. cit. T. I. p. 147.
(44) IUNCKER l. c. Tab. LXVIII. p. 489. & MEZGER l. c. §. 12.
(45) l. c. Tom. IV. P. V. Cap. I. pag. 37.
(46) Chir. cit. P. II. cap. 84. p. 627.
(47) Prax. Chir. pag. 90.

§. XII.

Si vero methodum conſidero, iuxta quam ſcarificationem gingivarum fieri voluerunt, laudati auctores (§. XI.) unice ſectione ſcalpello facta abſolveretur & hoc reſpectu pertineret ad ſcarificationem proprie ſic dictam chirurgicam (§. VIII. n. 1. *a*) quæ vero, quamvis in quibusdam caſibus uſus ſit haud ſpernendi, ſemper tamen in hac parte ſumma cum circumſpectione ſuſcipi & ſcalpellum manu valde cauta ita dirigi debet, ut tantum externa gingivarum membrana primo incidatur: eousque vero eum adigere, ut inciſo quoque maxillæ perioſteo, ad ipſum eius os vel dentium alveolos pertingat, dubii eventus, mihi quidem, eſſe videtur, quia vel neruoſæ ramificationes, ibi intertextæ, graviter adficiuntur,

vel maxillæ os corrumpitur, vel ex arteria, quæ a poſteriori carotidis externæ ramo, ſub aure maxillam inferiorem ingreditur & per gingivæ os diſcurrit & dentibus alimentum ſubminiſtrat, incaute inciſa, hæmorrhagia oriri poteſt, quæ ſi inde ſubſequuta fuerit, leniora ſtyptica cum plumaceolis, vel hi quoque ſoli ſicci, adplicari debent, ut præcaveatur lethalis eius effectus, qui ex dente, iuveni a circumforaneo ruditer evulſo olim obtigit (48).

(48) Bohnius *de renunc. vulner. Cap. II. pag. 23.* A dente molari a Chirurgo extracto, orta fuit ex rupta arteriola hæmorrhagia, nec ſtyptico ex vitrioli pulvere & acerrimo oleo, nec ſincero alcohol calefacto, compeſcibilis, quæ tandem adplicatis per triduum ſiccis plumaceolis, locoque digito adſtantis famuli aſſiduo compreſſo, victa fuit, abſcedente tamen poſt paucas ſeptimanas ea alveoli parte ſine ullo alio malo, quæ tot acribus adplicatis, omni vitali humorum adfluxu privata fuit. Perilluſtr. L. B. de Swieten l. c. §. 218. p. 347.

§. XIII.

Solus Plinius diverſam ab enarrata (§. XII.) videtur præcepiſſe methodum; hanc enim non tam ſecando, quam fricando & radendo variis aſperis vel pungentibus officulis abſolvi, antea retuli (§. XI.), quamvis ſcrupuloſus eorum delectus nullis nitatur fundamentis: omnia enim, ſi efficaciam ſpectes, difficiliora ad fidem ſunt: illa enim non tam vi illorum activæ, quam figuræ ad raſuram aptæ, & adplicandi modo, quatenus ſcilicet ſanguis elicitur ex gingivis, adſcribenda eſt. Idem de efficacia ligni fulmine tacti valet, quo recentiores nonnulli (49) dentem dolentem & gingivam, quæ eum arcte cingit, usque ad cruentationem fricare iubent.

(49) Iuncker Conſp. Med. theoret. pract. Tab. XXV. p. 213.

§. XIV.

§. XIV.

Sed hac rudi atque inconcinna methodo unice haud circumſcripta eſt gingivarum ſcarificatio: aliæ potius encheireſes eam celebrandi adhuc reſtant, de quibus tamen, quantum mihi quidem conſtat, altum fuit huc usque ſilentium. Quum enim palpebræ tam nervoſa, quam vaſculoſa textura gingivis haud cedant (50), & nihilominus ξύσιν *Hippocratico-Woolhouſianam*, non ſolum ferant, ſed cum fructu etiam in variis ſuis morbis admittant; quid obſtat, quo minus iuxta eius normam in gingivis tentamen fiat? ſane ſi βλεφαρόξυσον WOOLHOUSII paullo accuratiori examini ſubiicimus, ſubtiliores illæ ſecalis glumæ, ex quibus compoſitum eſt (51), non videntur ita comparatæ eſſe, ut vim inimicam gingivis inferre queant, ut potius ad modeſtam & æqualem in illis cruentationem efficiendam aptiſſimæ ſint, inprimis, ſi ad gingivas, quæ dentes molares poſteriores cingunt, ſcarificandas, manubrio quodam eum in modum firmantur, quo ſetæ porcinæ in excutia dentifricia adfixæ ſunt, ut inſtrumentum in hoc loco facilius manu dirigi queat. Nec incongruum erit βλεφαρόξυσον, quod *Paulus* AEGINETA ad palpebras duriores radendas invenit (§. III.) etiam gingivis calloſis adplicare.

(50) PLATNER in Opuſc. T. I. pag. 55.

(51) Idem, l. c. pag. 62. ubi ingenioſum hoc inſtrumentum accuratiſſime deſcriptum & icone expreſſum habetur, uſusque eius & adplicandi modus diſtincte expoſitus legitur.

§. XV.

Sunt tamen circa eius adplicationem quædam cautiones non prætermittendæ: requirit enim ξύσις talem tolerantiam ſubiecti illius, quod ei ſubiicitur, ne univerſum ſyſtema nervoſum ab eadem graviter adficiatur. Hinc ubi peculiaris ſenſibilitas atque ad modus ſpaſtico convulſivos diſpoſitio adeſt, cautius cum ea mercandum: nec opus eſt omnem gingivam

ſimul

ſimul & ſemel ſcarificare, ſed ſufficit illam eius partem modeſte tractare, quæ in ſpecie cruentationem expoſcit. Generatim ſuſpenſa manu hinc inde verſandum eſt βλεφαρόξυστον, incipiendo in ipſis dentibus & verſus marginem gingivarum paullatim procedendo, ut quaſi e longinquo adſueſcat hæc pars titillanti raſuræ: cavendo ſimul, ne circa dentes caninos ſeu oculares nimis vehementer hoc fiat, quum verſus eos ſanguifera vaſa copioſiora tendant (52) & gingivæ ibi ſitæ facillime ſanguinem fundant. Ubi dein eo usque proceſſit ξύσις, ut ſanguis, qui primo grumoſus & ater prodit, floridus & dilutior adpareat, atque ſic ſufficiens facta fuerit cruentatio, abſtinendum; ſi vero unica vice, quod ſæpuis fit, omne punctum abſolvi nequit, denuo, ſed non in ipſa parte iam cruentata, potius in vicina iterum radendum eſt. Facta vero ſufficiente evacuatione, conducit os colluere oxymelle ſimplici, ſolutione ſalis communis cum aqua, vel pauxillo ſpiritus vini, vel tinctura laccæ Mynsichti cum melle roſaceo: id quod inprimis neceſſarium eſt, ſi forte ſanguinis ſtillicidium modum exceſſerit.

(52) Iuncker Conſp. Chir. Tab. 91. p. 611.

§. XVI.

Breviori adhuc via & minori adparatu e turgentibus a ſanguine congeſto gingivis, cruentatio fieri poteſt ſola eaque ſicca frictione cum excutia dentifricia vulgari ex ſetis porcinis confecta; ſi enim eodem modo, quo dentes alias illa fricantur, gingivæ, inprimis vbi circa dentes incipiunt, raduntur, facile absque magno dolore ſanguis hinc inde ex iisdem elicitur. Idem ſuccedit quandoque frictione paullo diuturniori cum ſolo digito linteo involuto. Uterque ergo modus haud immerito ſcarificationis ſpeciebus adnumeratur, ita tamen, ut iuxta eius diviſionem (§. VIII.) una cum artificioſa *Woolhouſiana* (§. XIV.) ad improprie ſic dictas ſcarificationes referenda ſit.

CAPVT

CAPVT. III.

De

uſu ſcarificationis gingivarum.

§. XVII.

Ad uſum ſcarificationis gingivarum pergenti opus erit, diſquirere, in quibus dentium & gingivarum morbis ea proficua ſit. Sufficit vero, principaliores enarrare & quomodo adverſus eas adhibenda ſit, brevibus excutere. Primo autem loco ſeſe ſiſtit *odontalgia*, quæ quum iuxta CELSI mentem (53) maximis tormentis adnumerari poſſit, mirum non eſt, ingentem remediorum farraginem ad eam ſuperandam fuiſſe omni aevo congeſtam: ſed quam irrito ſæpius ſucceſſu iisdem adverſus dirum hoc malum dimicatum fuerit, quotidiana loquitur experientia. Motus his forte SCHELHAMMERUS *de Odontalgia tactu ſedanda* cogitavit (54); HEISTERUS vero, præeunte inprimis PLINIO (§. XI.), gingivarum ſcarificationem ſuaſit, eiusque tentamen felici cum ſucceſſu factum fuiſſe, teſtatus eſt (55).

(53) *l. c. Lib. 17. Cap. 8. p. m. 406.* Non poſſum hoc loco ſilentio præterire, querelam, quam eleganti eoque lapidari ſtylo, de dentium cruciatu expreſſit Illuſtr. Dn. STEINHEIL, Reg. Polon. apud Circul. Rhenan. & Franconicum Miniſter: ita autem ſe habent eius verba, ex Illuſtr. Dn. de LOEN *Opuſcul. min. germ. Tom. I. Part. II. p. 276.* deſumta.

Væſani dentes!
Quid cruciatu duro herum adfligitis benignum?
non ille dolorum vobis acerborum,
ſed voluptatum amœnarum
auctor benevolus extitit;
nonne comminuendo cibos palato gratos,
quos ille largo adfectu ſuggerebat,
ſuccos hauſiſtis vobis ſalutares?

non ille vos abluebat absurdo Cereris
potu,
sed ut honori vestro consuleret,
dulci vino vestros irrigabat ordines.
Hanc curam vestrum, quum sollicite
gereret,
vos indignam vestro cœtu hanc
gratiam ipsi refertis,
ut præ doloribus vestra petulantia
excitatis
vix sanæ mentis compos quandoque existat.
Non vos movent gemitus
absque intervallo repetiti,
non suspiria longo ductu exhausta,
non questus etiam lapidum misericordiam
attrahentes,
sed congeminatis ictibus effrenem
adaugetis licentiam.
Non leo immitis, non tigris fera
hactenus vos nutriit,
sed herus, vestræ salutis mitis
curator;
cur ergo tam immenso furore eum
estis aggressi,
qui nemini, nec vobis, noxius
esse adsuevit?
Turgent vestro impulsu exacerbatæ
genæ,
ardet vestris insultibus incensa
quæ vos tamen tenero amore complectitur
innocens gingiva;
puncto assiduo divelluntur miserandæ
venæ,
nec animus vobis est, ab opere tam
furibundo cessare.
Excedite, evadite, erumpite
ingrati hospites,

veſtrumque dominum, tam indigna paſſum,
deſerite maligni,
aut, meliora edocti,
redite cum eo in gratiam.
Noviſtis quam pronus ſit ad ignoſcendum;
quidni ergo celeri motu ad eum acceditis
male patrata deprecaturi?
adeſte, adeſte muneri veſtro,
chari olim, nunc ſcelerati dentes,
neque imprecationibus heri iuſtis
locum amplius concedite.

(54) In Diſſ. hae de materia Kiliæ 1701. habita, ubi Capite III. in fine, locum digito comprimendum in aure lateris adfecti, deſignat ſupra meatum auditorium, quam proxime antitragum, in illa ipſa eminentia, quæ a tuberculo hocce in concham transverſo ductu vergit atque tandem ſub ſcapha obliteratur. Aliquando etiam valida lobuli auriculæ, vel nervi ſub dente molari primo, maxillam inferiorem utrinque ingredientis compreſſio, odontalgiam ſedavit Perilluſtr. L. B. de SWIETEN l. c. §. 229. pag. 369. alapis vero eandem curatam fuiſſe, legi poteſt in ſenioris de FRANCKENAU *Satyr. med. pag. 514.*

(55) In Chir. cit. P. II. Cap. 80. p. 623.

§. XVIII.

Nec rationibus a priori, ut vocant, deſumtis deſtituitur hoc conſilium: ob arctiorem enim, qui inter dentes & gingivas intercedit tam per nervos & vaſa ſanguifera ipſis communia conſenſum, quam ipſius earum ſubſtantiæ cum dentibus intra alveolos connexionem (§. IX.) non ſolum in odontalgia ſanguinea, præſertim quæ ſubiectis narium hæmorrhagia crebriori obnoxiis, hac ceſſante, familiaris eſt; ſed etiam ubi ex ſtaſi ſeri impurioris in ipſius dentis cavitate, in funiculo iſto veſiculari, ex membrana nervoſa, vaſe arterioſo, venoſo & lymphatico compoſito (56), vel a carie hanc partem rodente & vellicante, vel ab aëre frigido, vel aliqua materia he-

terogenea in cavum dentis carioſi illapſa, adficitur, vel ſugendo trahitur nudata fibrilla ex nervis per dentium ſubſtantiam diſperſis (57), tanta tamque copioſa excitatur ſanguinis verſus gingivas congeſtio, ut non ſolum pulſus arteriæ maxillæ inferioris (§. XII.) manu ad genas admota, uti in me ipſo ſæpius expertus ſum, vehementer percipiatur, ſed etiam adeo inflammentur & intumeſcant gingivæ, ut dentes molares illis fere obtegantur, quandoque autem, ſi ea pars, quæ dentes in alveolis cingit, iuſto nimis a ſanguine ibi quieſcente turgeat, ad ſenſum quaſi protrudantur & longiores fiant dentes (58) atque ſic a nervis diſtractis & vexatis acerbiſſimus oriatur isque plerumque punctorius dolor (59). Hunc itaque educto ſanguine vel humore lymphatico impuriori ibi quieſcente, & mutata (60) inſimul, vel diſſectione nervulorum ſublata ſenſatione loci dolentis (61) per ſcarificationem, aut multum levari, aut penitus tolli poſſe, a vero haud abſimile videtur. Atque ex hoc fundamento alii ſuadent, ut evulſus dens carioſus iterum in alveolum ſuum reponatur, quia & denuo eidem accreſcit (62), & evulſione non ſanguinis ſolum ſtillicidium oritur cum doloris levamine, ſed etiam nervuli ad dentem tendentes disrumpuntur, dentis ſenſatio tollitur & nullus poſtea dolor in eo ſedem ſibi ſumere poteſt.

(56) Frid. Hoffmann, l. c. T. IV. P. II. S. II. Cap. 9. p. 472.

(57) Perill. L. B. de Swieten l. c. §. 183. 222. & 232.

(58) Blancardus Collect. phyſ. med. P. III. Obſ. 66. pag. 96.

(59) Doloris punctorii ideam & rationem in partibus inflammatis, egregie, uti omnia exponit magnus ille magni Boerhaavii Commentator, ſæpius iam laudatus L. B. de Swieten l. c. §. 382. *cum*, inquit, *maximum vas inter minima, arteriæ nempe rubræ anguſtiſſimus finis, ne quidem decimam partem capilli craſſitie æquet, patet, diſtractionem fibrillarum nervearum, per talis vaſculi, ab immeabili ſcil. liquido obſtructi, tunicas diſperſarum, dolorem excitare debere talem, ac ſi in puncto minimo corporis hæreret; hicque dolor punctorius vocatur.*

(60)

(60) Conf. Cel. D. Weissii, Præceptoris quondam mei semper devenerandi, Diss. qua theorema, quod alia sensatio alium motum inferat, expossuit. Altorfii 1745.
(61) Perill. L. B. de Swieten l. c. §. 229. & n. 59. huius.
(62) Ephem. Natur. Curios. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. 220.

§. XIX.

Hunc autem in finem suasor essem, ut non tam chirurgica scarificatio adhiberetur, quam ξύσις *Hippocratico-Woolhousiana* (§. XIV. XV.), atque præstare arbitror, repetitis vicibus, si opus fuerit, eadem dimicare, quam simul & semel omnem eius administrationem absolvere. Tantum vero abest, ut doloris incrementum ab ea pertimescendum sit, ut potius, quum sæpe tanta sit odontalgiæ ferocia, ut ad desperationem usque adfectos fere perducat, præ ea non sentiatur, atque dolor doloris remedium fiat. Ab initio autem, ubi imminere tantum præsentitur, & gingivæ aliqualiter tument, sæpe sufficit exeutiæ dentifriciæ usus (§. XVII.), quo spontanea quasi cruentatione dirus dolor sæpius abactus fuit. Ipsa natura hanc viam monstrasse videtur, quum non solum in odontalgia ægri ad sugendum cogantur, & educto per suctionem ex gingivis pauco cruore, sæpe leventur, sed etiam qui ad sanguineam dispositi sunt odontalgiam, extra paroxysmum quoque gingivas cruentatas habeant, vel ex minima cum solo digito frictione cruentas reddant. Hæc ego, qui in iuniori ætate ob emanentem, quæ mihi nativa quadam dispositione consueta fuit, narium hæmorrhagiam, odontalgia sanguinea sæpius diriſſime laboravi, mea experientia comprobata inveni, & aliorum quoque exemplo edoctus, novi.

§. XX.

Alia autem via incedendum est, si adeo increvit in gingivis inflammatio, ut in *parulidem* vertatur. Hæc Medicis

communiter audit illa adfectio, quando in gingivis, iuxta dentes, tuberculum naſcitur dolens & tumens, cum adiacentium genarum phlegmonodeo tumore. Quum ergo niſi cito diſcutiatur parulis, facile in abſceſſum, immo, niſi hic iuſto tempore aperiatur, in fiſtulam maxillæ tranſeat; diſcutientia vero medicamenta raro in hunc finem ſufficiant, inciſio huius tumoris, ſeu ſcarificatio chirurgica (§. VIII. n. I. *α*), mature & ſtatim in principio facta, haud ſine ratione commendatur (63). Nec ſpernendi uſus eſt, ſi ex male curata parulide nata fuerit excreſcentia fungoſa absque inflammatione acuta in gingivis, quæ *epulis* communiter vocatur: hæc enim niſi cancroideam indolem cum dolore induerit, vel maxillæ os aut radix dentis carie ſimul infecta ſit, ſi repetitæ ſcarificationi chirurgicæ iungantur tutiora balſamica & adſtringentia, vel plane eradicari, vel ſaltem multum imminui, eiusque incrementum averti poteſt.

(63) de Franckenau Diſſ. not. 41. cit. p. 658.

§. XXI.

Pergo ad odontalgiam, quam patiuntur tenelli infantes, ſi illa corpuſculi ſui evolutio (64) contingit, qua dentes eorum, ſenſim oſſeam duritiem & ſtructuram nacti, per gingivas eruptionem moliuntur, cum earum tenſione, punctura & laceratione tanta, ut præ doloris magnitudine ſæpius convulſiones, aliaque funeſta Symptomata, quæ *difficilis dentitio* comites habet, excitentur, immo mors ſubſequatur. Adulti etiam hæc quandoque experiuntur, ſi ultimi molares dentes, iuſto ſerius perfecti, gingivas perrumpere nequeunt. Ubi ergo gingivæ tumidæ calloſæ & iuſto duriores obſervantur, & quæ alias ad eas extenuandas & emolliendas laudantur remedia, fruſtra adhibita fuerint, ſcarificatio chirurgica (§. VIII. n. I. *α*.) unicum auxilium conſtituit: ea enim ſimul & ſemel denti cum ſumma euphoria, liber exitus paratur (65). *Poteſt vero*

ſuper

ſuper priores ſeu inciſores dentes plaga fieri recta, ſuper alios vero & molares ea duabus transverſis lineis facienda eſt: tota vero gingiva ad dentem usque aperienda eſt, donec dens totus pateat; nam ſi ſectis cæteris quædam fibræ integræ relinquuntur, acerbitas doloris & nervorum diſtentio increſcit. Nec nimis feſtinandum eſt. Nam ſi gingiva ſuper dentem nondum perfectum ſecatur, is brevi vitium contrahit (66). Sanatio gingivæ inciſæ facilis eſt, & melle roſaceo cum pauxillo Eſſentiæ cuiusdam balſamicæ remixto, unice abſolvitur.

(64) Ita loqui placet cum Illuſtri de HAHN, in Expoſ. rat. variolar. Cap. I. §. 5. & 6.

(65) HEISTER, Chir. cit. P. II. Cap. 84. p. 627. VALENTINI l. c. p. 90. BOERHAAVE Aphorism. de cognoſc. & curand. morb. §. 1377. *Frid.* HOFFMANN l. c. Supplem. Cap. III. p. 34.

(66) Sunt verba PLATNERI in Inſt. Chirurg. §. 1078.

§. XXII.

Sequitur denique *Stomacace*. Hanc HIPPOCRATI iam cognitam fuiſſe, contendit LANGIUS (67). Habetur autem communiter pro Scorbuti ſymptomate, quo gingivæ in principio relaxantur, flacceſcunt, calent, dolent, pruriunt, male olent, ex levi attactu vel etiam ſponte ſanguinem corruptum cum ichore fundunt, atque interdum valde intumeſcunt (68), ſuccedunt poſtea maculæ albæ, in ambitu ſuo rubræ & inflammatæ, quæ ſi negligantur, proſerpunt & depaſcuntur omnia, cum copioſo ſalivæ tenuis & olidiſſimæ ex ore effluxu, usque dum aëris liberi acceſſu, loci calore & humiditate, & lympha acerrima ſæpe & putrida eas continuo alluente, ſcenam claudat vera gingivarum gangræna: hæc dein cum horrendo fœtore eas conſumit ad dentium usque radices, cum eorum vacillatione, lapſu, immo totius maxillæ inferioris caſu atque partium vicinarum calamitoſa infectione (69). Ad triſtia

ergo

ergo hæc mala avertenda, cum FRID. HOFFMANNO (70) conſultum eſſe duco, gingivas ſcarificare, & quidem non tam methodo vulgari chirurgica, quam *Hippocratico-Woolhouſiana* (§. XIV. XV.), vel huic ſimili alia (§. XVI.). Quemadmodum enim qui inter dentes & gingivas ex ſola illorum immunditie interdum reſtitat tabus albus putridus, ſedulo excutiæ dentifriciæ vſu aufertur: ita quoque laudata ξύσι humores corrupti & putridi, in gingivis quieſcentes, breviſſima via educuntur, ut adfectam partem amplius depaſcere nequeant, medicamentorum vero, quæ eidem adplicantur, vis fiat felicior: modo adplicetur tempeſtive & ubi tantum cum pruritu tument, flacceſcunt et cruentantur gingivæ & obſervatis probe omnibus cautionibus (§. XV.). Si enim ad gangrænæ usque indolem increuit Stomacace, & gingivæ ne penicillis quidem tuto perfricantur (71), ſatius eſt abſtinere a ſcarificatione, ne, quæ reſtant ſemiputridæ & teneriores partes, penitus deſtruantur.

(67) l. c. Lib. II. Epiſt. 14. p. 616.
(68) FORESTUS Obſ. med. lib. XIV. Obſ. 17. RIEDLINUS Curat. med. Obſ. 302. MOELLENBROCCIUS Tr. de Varis & arthrit. vag. ſcorbut. p. 4.
(69) Perill. L. B. de SWIETEN l. c. §. 388 & 423.
(70) l. c. T. IV. P. V. Cap. I. pag. 37.
(71) L. B. de SWIETEN l. c. §. 432.

§. XXIII.

Quæ de Stomacace dicta ſunt (§. XXII.) etiam de *aphthis* valent: ſi enim in membrana oris communi adeo proſerpunt, ut etiam in gingivis effloreſcant, ſcarificatio tam chirurgica, quam impropria, haud fine fructu adhiberi poterit.

FINIS.

VIRO

Viro

Illustri, Excellentissimo & Experientissimo

Domino

ANDREAE ELIAE BUCHNERO

S. R. I. Nobili, Consiliar. Archiat. et Comiti Palatino Caesar. Potentiss. Reg. Borus. Consil. intimo, Medicin. & Philosoph. natural. in Regia Fridericiana Prof. publ. ordinario

Academiae Caesareae Naturae Curiosorum

PRAESIDI DIGNISSIMO,

brevem hancce

COMMENTATIONEM

de

INSTRVMENTORVM IN ARTE OBSTETRICIA HISTORIA, VTILITATE, ET RECTA AC PRAEPOSTERA APPLICATIONE

penſi ordinarii loco exhibet

ſimulque

pro ſolenni in illuſtrem illam Societatem cooptatione publicas perſolvit grates

HENRIC. IOANNES NEPOMVCENVS CRANTZ

Medicin. et Philoſoph. Doct. Vindeb. et Academ. Cæſar. Nat. Curioſorum.

CLIDEMVS II.

Vir Illuſtris ac Excellentiſſime.

Etſi gratiſſimus exoptatiſſimusque mihi ſemper fuerit Tuus, pro mea in illuſtrem *Academiam* receptione, calculus, *Præſes digniſſime*, non tamen ab omni metu prorſus immunem gero animum, dum primo coram *Te*, coram ſpectabili hoc doctiſſimorum virorum Collegio prodeo, atque illum inſuper mitis & Sancta *Veſtra* indulgentia excuſſiſſet facile, ni pro *Academiæ* maieſtate, maieſtatisque dignitate mihi ſcribendum foret; quid enim coram alia Academia (*) dicere facilius eſt? ubi triviale & tenue pariter ac operoſiſſimum & graviſſimum penſum, idem fatum experiuntur, & hoc æque ac illud, factione Sociorum, aut extollitur, aut deprimitur, publicum orbi literato, vel privatum vermibus, tradendum; atque hæc comitiorum maxima, inevitabilia tamen incommoda ſemper fuere. At ne illud quidem hic me premit: tantus eſt enim in *Veſtram Academiam*, Legum conſtitutione, introductus maximarum rerum modus, ut virtutes ſe ſolas, aut quod maius adhuc eſt, temperamento quodam commixtas, præſidere videas; non enim periculum eſt, ne ab arrogantia humanitas, a factione concordia, ab invidia doctrina ſupprimatur: quod plane divinum eſt, & *huius Academiæ* præ aliis excellentiam denotat. Hic non *Præſes*, non *Director*, non *Sodalis*, alterius Collegæ penſum notat, nec caſtigat, nec laudat, ſed quaſi decumana virilium laborum *Academia*, orbi literato, Herculaneas partes offert. Hæc illibatas omnium meſſes in Acta refert, non *ipſa* ſe, ſed viros omnes doctos approbationis Iudices conſtituit, diverſo plane ab aliis exemplo, quæ ſuo ſibi ſufficientes ſuffragio, hos vel ſpernunt, vel vident. Hic unicuique ſuo ſe ipſum marte orbi probare licet, ſicque ad conſequen-

(*) Maxime illa *Chirurgorum Pariſienſi.*

dam æque ac conſervandam famam incitatur. Hic denique *Præſes*, æqualis licet cum aliis Præſidibus poteſtatis, ad ipſos etiam conſecraneos ſe aggregat, in eo ſaltem ab illis diſtinctus, quod *Academiam* regat, & doctrina alios longe ſuperet; ita tamen Præſidem *Præſes*, ſodalemque miſcet, ut ſtudium omnium laboremque, et tamquam aſſiduus exactor intendat, & tamquam particeps ſociusque relevet. Tanta ſane eſt huius *Academiæ* virtus, pietas, religio, ut qui tacet, plus omnino, quam qui multum dixerit, de ea dixiſſe videatur. Sed quo maiori hæc corruſcat celebritate ac præeminentia, eo magis arduum mihi fore facile prævideo, ut qualemcunque mei exſpectationem ſuſtineam tuearque. Feci tamen quæ potui & debui, hancque, *de Inſtrumentorum in arte obſtetricia hiſtoria, utilitate, recta & præpoſtera applicatione*, Commentationem elaborandam mihi ſumſi, idque eo lubentius & alacrius, quod nec *Londinenſis & Pariſienſis Academiæ Scientiarum*, nec aliarum celeberrimarum Societatum Sodales quicquam in hanc rem ſtatuerint; quorum tamen id vel maxime intererat, tum quia potuiſſent *Illuſtres* tales *Viri*, collatis viribus, æternas condere leges, interveniente auctoritate Principum & cura Magiſtratuum ſtabiliendas, tum quia merito quoque debuiſſent ſexcentis innocentibus eam ſervare, quam nunquam viderunt, lucem, atque hæc ſtudiorum ratio eo illis dignior fuiſſet, quo magis cum humanitate convenit, quove latius eiusdem patet utilitas. Non immerito ergo ſemper miratus ſum, quoties annoſos quoque doctiſſimorum Virorum labores perveſtigavi, quod de partus difficultatibus, auxiliis, forcipe (*), &c. nihil plane in iisdem occurrat, primæque mortalium conditionis prorſus obli-

(*) *Exceptis Actis Edimburgenſ.* quorſum & utiliſſima Excellentiſſ. Boehmeri Commentatio, *Appendici Volumin. IX. Actor. phyſico-medicor.* Illuſtris huius Cæſar. Academ. p. 60. ſqq. inſerta, optimo iure referenda eſt.

obliti fuiſſe videantur, quaſi e ſcopulis emerſiſſe ſufficeret, ut de homine naſcituro amplius non laborare deberent nati homines. At hunc amoris ardorem, hanc humanitatem *Vobis* propriam & individuam obſervo. Quare non poſſum non ſummopere laudare *Veſtri* Illuſtr. HEISTERI de *religioſe obſervanda Lege Regia* Diſſertationem, numeroſis aliorum algebraicis, aſtronomicis, mathematicis, &c. diſquiſitionibus longe præferendam, quod ea ipſa id, quod in peritura humanitate maximum eſt, nominis nempe immortalitatem conſecutus ſit. Quamquam enim legem iſtam utiliſſimo hocce labore non condidit, non ſancivit, ſed conditam & ſancitam tantum pronunciavit & in memoriam revocavit, plus tamen utique, quam illi, pro hominum ſalute egiſſe videtur, quam etiam quia quam maxime *Tibi*, *Præſes optime*, curæ cordique eſſe novi, minime idcirco dubito, quin & hos qualescunque conatus meos benevole ſuſcepturus ſis & adprobaturus.

§. I.

Quum ab omni tempore crudeles varii occurrerint partus caſus, innata mortalibus commiſeratio fecit, ut ars in iisdem eo, quo poſſet, auxilio miſeris ſubveniret. Inutiles ſæpius in operatione deprehendebantur manus; medicamenta honeſte mortifera obſervabantur; unde illi, qui miſeras tales a mortis periculo liberare contenderunt, ſæpe ad inſolita mechanica adminicula confugere cogebantur, prout ex variis hiſtoriis patet, atque ſecundum horum felicem aut infelicem ſucceſſum, fabrefacta fuere complura inſtrumenta, adaptataque ad diverſos ſpeciales caſus difficiles.

§. II.

Prima igitur horum neceſſitas invenit, uſus & prudens applicatio aut reiecit, aut correxit, hodie plura ſpeculatio

vel ſola, vel vanæ iactantiæ & oſtentationi iuncta, obtrudit, & in dies ferramenta ingenti copia multiplicantur in arte, magis terroris, quam utilitatis futura monumenta.

§. III.

Inſtrumenta, in arte obſtetricia, quantum ex tota Veterum medica & chirurgica praxi colligi poteſt, primo excogitata fuiſſe videntur, ut infantem mortuum (*a*), vel prægrande natura, aut aquoſa mole tumidum caput (*b*), in utero relictum (*c*), verbo fœtum in pravo ſitu conſtitutum (*d*), & manuum ope ex utero non educendum, extraherent excuterentque (*e*); hic autem illorum uſus vix diu ſubſtitit, ſed brevi poſt ad omnes difficiliores partus levandos inſtrumenta in auxilium vocata fuerunt, & etiam lethale ferrum applicari ſuevit, quem iniquum morem noſtro tempore nimis adhuc frequentem eſſe dolent recte omnes boni.

§. IV.

An vero ipſi Veteres ad ſolam mortuorum fœtuum extractionem, talium inſtrumentorum uſum reſtrinxerint, uti ex librorum & capitum inſcriptionibus perperam ſibi perſuaſere nonnulli, admodum ambiguum mihi videtur, quum nondum ſufficienter conſtet, an ſub mortui fœtus nomine vita actuali privatum, an vero ſaltem ſub illis, in quibus verſatur par-

(*a*) Hippocrates Libr. *de Fœtus mortui in utero exſectione*, item Libr. *de Superfœtatione*. Celsus Libr. VII. Cap. XXIX. Aetius Tetrab. IV. Serm. IV. Cap. XXIII. Moschion Harm. Gynecior. Cap. XIII. Paulus Libr. VI. Cap. LXXIV. Avicenna Libr. III. Fen XXI. Tract. II. Cap. XXIX. Albucasis Libr. II. Cap. LXXVI.

(*b*) Celsus, Moschion, Aetius, Paulus, Albucasis, loc. citat.

(*c*) Celsus, Aetius, &c.

(*d*) Hippocrates, Celsus, Aetius, Paulus, Avicenna, &c.

(*e*) Moschion, loc. citat.

partus, circumstantiis eadem privandum intellexerint? si primum, quæ adeo certa habuerint mortis fœtus signa non video, quam etiam hodie, adulta magis arte, & natura in hac parte scrupulosius observata, sæpius ferendo in iudicio hæsitent exercitatissimi; si alterum, tunc illos etiam vivos ut mortuos tractasse patet, atque in ea opinione eo magis confirmatum me puto, quum nostris temporibus æque, uti priscis, is partus, ubi fœtus revera mortuus est, non semper sit crudelissimus, imo ex hoc tantum capite vix admodum molestus; e contrario autem exclusio fœtus vivi, in pravo situ constituti, ex utero recto, tanto magis autem ex obliquato, aut etiam illius, qui capite prægrandi intra pelvim quasi incuneatus hæret, longe crudelior sit, sæpiusque ne manibus quidem perficienda.

§. V.

Alterum, idque non spernendum huius asserti argumentum, ex ipsis Veterum monumentis depromitur, quæ eo lubentius hic compello, quod a nemine hucusque in hanc quæstionem animadversum fuerit, & recentiorum complures, Veterum secuti vestigia, in difficilibus partubus vitam infantis neglexerint, atque sic crudeli authoritate mactarint quam plurimos. Rem ergo hanc ab antiquissimis exordior auctoribus. HIPPOCRATES *f*) in casu, ubi brachium primo prodit, fœtum excarnificandum iubet, *concisso brachio - - - Scalpello per costas & iugulum adacto.* In casu vero, ubi secundum naturam fœtus non potest excludi, caput etiam in partes comminuere iubet. Suntne autem tales fœtus semper mortui?

f) Libr. *de Fœt. mort. exsect.* Licet vero hic liber, ut & ille *de Superfœtatione*, ab his HIPPOCRATI, ab aliis alii adscribantur auctori, perinde tamen id mihi est, quum tantum agatur hic de antiquioribus monumentis, quæ similia præcepta in se continent, sive illa sint HIPPOCRATIS, sive aliorum.

tui? quin contrarium ex ipsis signis fœtus mortui, quæ eodem libro tradit, hodie omnibus facile constat; sic autem illa exponit: *Manus foras eminens iam mortui fœtus significationem præbet; at quibus manus extra non apparet, his utplurimum fœtus vitalis est.* Exinde ergo concludo, vivum ab illo auctore, & ex ignorantia, & ex præscientia, occisum fuisse; quod subolfaciens Celsvs, Caput vigesimum nonum Libr. VII. *qua ratione fœtus mortuus ex utero excutiatur*, inscripsit, citra tamen quod de mortui fœtus signis quidquam adderet. Interim pariter eiusdem culpæ reus est Celsvs, & eiusdem criminis convinci potest, quum viri huius effata vivum non minus, quam mortuum spectent fœtum, prout hoc totum caput perlegenti patebit, licet tituli inscriptione fucum facere voluerit: tota etenim oratione nec de vivo, nec de mortuo discernendo verba facit, nec ad hoc, quod maximi momenti in arte est, attendendum esse monet, sed confestim hunc in modum orditur: *Si iam prope maturus partus intus emortuus est, neque excidere per se potest, adhibenda curatio est, quæ numerari inter difficillimas potest.* Quisnam autem partus pro intus emortuo habendus est? per quæ signa cognoscitur? neutrum horum resolvit. Quod autem fœtus per se excidere non possit, licet non doceat id partus, duratio ratum facit; igitur ubi *per se excidere non potuit, difficillima adhibita curatio fuit*, quod vivo æque, ac mortuo infante fieri debuit, quum, posthabita vitæ vel mortis consideratione, in removendo, uncorum ope, obstaculo omnem nervum intendat, uti id ex omnibus locis, maxime vero hocce apparet: *Aliæque etiamnum difficultates faciunt, ut qui solidus non exit, concisus eximi debeat.* Moschion postquam difficilis partus varia schemata recensuerat, & his encheiresis assignarat, de his, quæ manibus duci non possunt agit (*g*), atque tunc totus in incidendo pe-

(*g*) Harmon. Gynecior. cap. XIII. Quæst. I. & III.

pecore est, iam vitam illi, etsi viveret, denegans. AETIVM, in Capitulo *de extractione & exsectione ex* PHILVMENO, de vivi aut mortui fœtus signis parum sollicitum, partum difficilem statim interficere videas (*h*); in casu enim impacti & non amplius retrudendi capitis fœtus, uncinos attractorios oculis, auri, mento, infigit, scalpro etiam caput aperit, ut evacuatum facilius extrahatur. Huius fautor, PAVLVS, eiusdem criminis reus est (*i*); AVICENNA vero Arabs in hoc puncto Græcos humanitate vicit, & vitam nascentis hominis recta ratione ponderavit primus, ut ex Capite vigesimo octavo, & vigesimi noni inscriptione (*k*) patet; sed ALBUCASIS in eandem crudelitatem brevi delabitur: postquam enim Caput LXXV. ad docendum obstetrices, qualiter medicentur embryonibus vivis, quando egrediuntur secundum formam non-naturalem, inscripserat, in proxime subsequente Capite statim de extractione fœtus mortui agit, evidenti ex utraque inscriptione & his contentis argumento, quod fœtum illum, cui vivo obstetrix, iuxta prius Caput, mederi non poterat, in posteriori habuerit pro mortuo, sicuti id agrestis ibidem processus confirmat; ex quibus omnibus evidenter patet, fœtum, qui nec natura, nec rudi arte vivus excludi potuit, pro mortuo fuisse reputatum, sæpiusque Veteres etiam vivos fœtus instrumentis aggressos fuisse, difficili partui mortem, & facili vitam tribuentes.

§. VI.

Omnium antiquissima simul & crudelissima, quæ ad hos usus adhibita deprehendimus instrumenta, fuere *perforatoria*, corpus fœtus conscindentia, aut extrahentia, a quibus iterum

(*h*) Tetrab. IV. Serm. IV. Cap. XXIII.
(*i*) Libr. III. Fen. XXI. Tract. II.
(*k*) Libr. citat.

iterum argumentum, pro confirmando priori noſtro aſſerto, deſumi poteſt. In HIPPOCRATIS libris, aut ſaltem eius nomen præ ſe ferentibus, quibus in arte antiquiora non habemus monumenta, *ſcalpelli* (*l*) & *unguis* (*m*) mentio fit; hoc conſcindendo & comminuendo fœtui, illud membris dividendis inſervire debet (*n*); an vero ungue ventrem fœtus diſcindi, uti ibidem in progreſſu operationis refertur? an ſcalpello potius? aut quo demum inſtrumento aut artificio caput in partes comminui velit auctor, iam non inquiro, nec an unguis fuerit uncus ferreus, ſicuti plurimi ſuſpicantur interpretes, diſpicere lubet.

Ab HIPPOCRATE usque ad CELSUM, qui de arte obſtetricia ſcriptis meruerit, nullum invenimus; CELSUS vero duorum uncorum (*o*) mentionem iniicit, unius quidem undique lævis & acuminis brevioris, alterius vero priori perfecte ſimilis, niſi quod in interna parte per totam aciem exacuitur; an prior unguis, poſterior ſcalpellum HIPPOCRATIS (*p*)?

MOSCHION, cuius ætas ignoratur, embryulcos ſcindentes & attractorios, itemque embryotomos fœtum conſcindentes enumerat (*q*), præterea etiam *Quæſt. tertia* (*r*), quæ hoc modo inſcribitur: *Quomodo pecus incidere debemus, ſi caput iuſto ſit grandius & in ipſo egreſſu ſubſiſtat*, dicit etiam *ferramento occipitium aperiendum eſt, ſic enim effuſo cerebro breviari poteſt.*

AE-

(*l*) Libr. de *Exſect. fœt. mort.*
(*m*) Libr. de *Superfœtat.*
(*n*) Libr. citat.
(*o*) Libr. citat.
(*p*) Quicquid ſit, unci ſatis cogniti fuiſſe videntur Romanis; nam & his gladiatores & alii damnati, prius in carcere enecati, in forum trahebantur, teſte DIONE CASSIO & PLINIO *in Panegyr.*
(*q*) Cap. XIII. Quæſt. I.
(*r*) Eiusdem Cap.

AETIUS ex PHILUMENO iam plura recenset, uncinos nempe, seu attractoria duo instrumenta, scalprum inciſorium, forcipem dentarium aut oſſarium (*s*).

Græcorum ultimus, PAULUS, pro dividendis clauſis ſecundinis, dictum πολύκοπαν inſtrumentum (*t*), laquearia (*u*), ſpatulam polypis dicatam (*x*) ſcalprum (*y*) cultrum, quod *ſcolopomachærion* dicitur, forcipem dentarium aut oſſarium conterentem (*z*), adducit.

AVICENNA uncinorum, laquearіorum & forcipum extrahentium mentionem facit (*a*); inſtrumentum vero, *quo caput incidebat, ut curreret quod in ipſo eſt*, non deſignat (*b*).

At omnium poſtremus ALBUCASIS plurima inſtrumenta dedit, & ligno incidi curavit (*c*); ſic vertigines tres pro aperienda matrice, pro conterendo magno capite forcipes tres, uncinos duos, unum unius ſpinæ, alterum duarum, duo ſpumatilia, denique dat & fœtum impellens inſtrumentum, & alii alia vel eadem (*d*).

(*s*) Loc. citat.

(*t*) Libr. III. Cap. LXXVI.

(*u*) Libr. VI. Cap. LXXIV.

(*x*) Ibidem.

(*y*) Ita vocatur GUINTERIO *Andernaco;* acicula autem dicitur a CORNARO.

(*z*) Ibid. Scolopomachærion autem non vertit GUINTERIUS; aculeatum cultellum reddidit CORNARUS, vide variantes.

(*a*) Loc. cit.

(*b*) Cap. XXIX. Lib. III.

(*c*) Lib. II. Cap. LXXVII.

(*d*) Sic in Onomaſtico *Iulii* POLLUCIS Lib. IV. Cap. XXVI. Edit. Amſtel. in II. Volum. in fol. inſtrumenti ὁμφαλιστῆρ mentio fit, cuius ſub eadem voce nulla ab aliis facta eſt mentio, & hoc inſtrumentum ſolum ad artem obſtetriciam refert; inter inſtrumenta medica vero eodem Lib. Cap. XXV. σμίλη, ψαλὶς τομιὺς addu-

Ex hiſce omnibus bene conſideratis, præter veritatem §. I. & IV. inſuper quoque patet, non ea adhuc ab illis inventa fuiſſe inſtrumenta, quæ vivum fœtum, in ſitu incongruo conſtitutum, ferro, ſi nulla alia ratione corrigi is poſſet, ſalvarent.

§. VII.

Poſt hæc tempora in arte nihil actum fuit, quin potius omnis Veterum labor quaſi tumulo ſepultus latuit, donec tandem in Galliis PARAEUS varia iterum produceret inſtrumenta, inprimis autem uncos, quod inſtrumenti genus ſub ſequentibus dein temporibus adeo multiplicatum fuit, ut non aliud in tota proſtet Chirurgia obſtetricia adeo varia indutum forma, quam hoc ipſum. Ipſe hic modo nominatus PARAEUS quatuor diſtinctos uncos deſcribit & delineat (*e*), uncum nempe articulatum ſeu catenatum, cum tribus aliis. SCULTETUS (*f*) inſtrumentum duobus uncis donatum, ex *Andrea a* CRVCE depictum, exhibet. FOURNIER, GUILLEMEAU, MAURICEAU, DIONIS, obſtetricantes Galli, in ſuis operibus paſſim varios exhibent uncos, noſtrisque temporibus ſingula fere, quæ in lucem prodeunt, chirurgica ſcripta, tales ſimul continent inſtrumentorum collectiones (*g*), quemadmodum nuperrime plurimorum Auctorum uncos collegit VOIGTIUS(*h*). MENARDUS, Gallus, obſtetricans, duos protulit uncos (*i*); his vaginam adaptavit SMELLIE, Medicus Anglus; alium autem

adducuntur, quæ obſtetricariam artem & Chirurgiam propius ſpectant.

(*e*) Lib. de *Generat.* Cap. XXVI.

(*f*) *Armament. Chirurg. Tab. XVII. Fig. I. & Tab. XLI. Fig. V.*

(*g*) GARENGEOT *Traité des inſtruments;* HEISTER in ſua Chirurgia &c.

(*h*) In Diſſert. de *Capite infantis abrupto variisque illud extrahendi modis.* Gieſſæ, MDCCXLIII.

(*i*) Dans la Preface du *Guide des accoucheurs.*

tem vaginalem uncum in peculiares uſus commendavit LEVRETUS (*k*).

§. VIII.

Quum vero propria luerent experientia, quod iam aliorum ſapere potuiſſent (*l*), uncos reiicere, & alia, minori periculo adhibenda, his ſubſtituere cœperunt inſtrumenta; hinc MAURICEAU inſtrumentum capitis attractorium, Gallis *Tiretête* dictum, conſtruxit (*m*), recentioribus temporibus, Celeb. FRIEDIUS eductorem, BURTONUS extractorem, fieri curarunt; terebra occulta OULDI, ut & ferrum SIMPSONI, in ſimiles uſus fabrefacta fuere, dum interim ſimplici forfice (*biſtouri*) uteretur *la* MOTTE, vulgari cultro DEVENTERUS, clave HORNIUS, & alii aliis, ut diverſorum libros evolventi patebit. Minime tamen hactenus deprehendimus, hos veteribus palmam præripuiſſe, quum & uncis & perforatoriis illorum Chirurgia iam nimium abundaret.

§. IX.

Interim ſubſequentibus temporibus, & arte magis exculta, crudelem illum complures abhorrebant modum, infantem vivum, accelerandi partus cauſa, occidendi, aut cerebrum ex capite prægrandi & nimis craſſo fœtus vivi extrahendi, eamque ob cauſam de parando apto inſtrumento, quod ferreis quaſi manibus caput prehenderet, fœtumque vivum, ſi poſſibile eſſet, ſecure extraheret, ſerio cogitarunt (*n*),

(*k*) *Suite des obſervations ſur les cauſes & les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux.* a Paris, MDCCLI.

(*l*) CELSUS loc. cit.

(*m*) Delineatus eſt in Tract. *de mulier. prægn. partur. et puerp.* p. 252.

(*n*) Teſte HEISTERO, Chirurg. Part. II Sect. V Cap CLII § XXII. *Ex recentioribus*, inquiente, *Medicis ac Chirurgis prudentiores magnam dederunt operam, ut ferramentum & modum excogitarent, quibus eiusmodi in caſibus & fœtui & matri ſimul vitam ſervarent.*

licet ipſorum etiam Veterum quædam inſtrumenta huic ſcopo facili negotio adaptari poſſe videantur. Sic enim iamiam AETIUS ex PHILUMENO forcipem dentarium aut oſſarium allegat; forcipis comprimentis PAULUS; extrahentis AVICENNA mentionem fecerunt, & ALBUCASIS figuras tres forcipum, ad caput fœtus conterendum quidem inventarum, ſed levi mutatione, demptis nimirum ſerris, ad idem prehendendum & ſine lethali læſione extrahendum, idonearum, exhibuit (*o*).

§. X.

Ex omnibus vero primus *Iacobus* RUEFF (*p*), Tigurinus, ligno incidi curavit *forcipem longam terſam* (*q*), qua infans, ob capitis magnitudinem in partu retardatus, prehendi & educi poſſet. Erat id ſane deſiderato ſcopo ſatis aptum inſtrumentum, quod dein vario modo immutatum *forcipis Belgicæ, Gallicæ* & *Anglicæ* titulo innotuit, diſceptantibus inter ſe variis Auctoribus de gloria inventionis. Latuit tamen primo & omni fere uſu deſtituta fuit (*r*), donec tandem in Belgio GILLES *le* DOUX, Chirurgus Iprenſis, itemque PALFINUS, Gandavenſis Chirurgus, forcipem hanc in lucem quaſi protraherent, ac poſterior eandem Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ, raptum licet reclamante priore (*s*), communicaret, unde Gallis dein uſui eſſe cœpit, & ab his, retento *Palfinianæ forcipis* nomine (quod tamen raro occurrit), multum

(*o*) Patet id ex ſola inſpectione figuræ, inprimis nonæ.

(*p*) Vixit ille tempore PARAEI, meritoque hinc mirari licet, qua ratione factum ſit, ut illud tam diu ignoraverint Galli, quum tamen in prima ſua elaboratione magis perfectum fuerit quam forceps Gallica poſt triplicem correctionem.

(*q*) Lib. III. *de Partu*, cap. VI. *Harm. Gynecior.*

(*r*) Prout hoc evidenter ex ſcriptoribus illius aevi apparet.

(*s*) LEVRET *Obſervations ſur les cauſes & les accidens de pluſieurs accouchemens laborieuſes*, pag. 81.

tum & sæpe correctus fuit, a PETITO, GREGORIO, SOUMAIN, DVSSE, LEVRETO, Chirurgis Gallis, ut & CHAMBERLINO, Anglo medico (*t*). Falli ergo mihi videtur Celeberrimus BOEHMERUS (*u*), quando PALFINUM & GREGORIUM *extractores diversos conficiendos & applicandos curasse*, asserit; præterquam enim quod GREGORIO forceps ante PALFINI communicationem ignota adhuc fuerit, adeoque de inventionis gloria cum PALFINO certare, iuxta Celeberr. BOEHMERI relationem, minime potuerit, prior iste *forcipem* tantum *Palfinianam*, levi quadam admodumque exigua ratione mutatam, non vero ab eo diversam & discrepantem, construi curavit (*x*). Si vero Celeberr. etiam BOEHMERO concessero (*y*), *Palfinianam forcipem* longe ab illa, quæ hodie in Gallia adhibetur, differre, GREGORIO tamen, nec Patri, nec filio, qui forcipem parentis correxit (*z*), eam perfectionem deberi etiam mihi, ut spero, concedet (*a*), siquidem pater *forcipem Palfinianam* tantum aliquo modo correctam habuit, filius forcipem fenestratam (*b*) sola multiplici iunctione, eaque satis inepta & inconvenienti, donavit (*c*).

§. XI.

In Anglia vero CHAMBERLINUS, Medicus obstetricans, & filii tres, in quos iure quasi hæreditario translata forceps est, arca-

(*t*) Idem pag. 89.

(*u*) *Disquisit. de usu & præstantia forcipis Anglicanæ in partu difficili*, §. XX. itemque variis in locis Observationis supra citatæ, *de Sarcomate uteri notabilis molis.*

(*x*) Testantur id adhuc hodie omnes artis obstetriciæ Magistri in Gallia, mihique ipsi idem hoc intueri licuit.

(*y*) Quod loco modo cit. adstruit.

(*z*) Sicuti ibidem adserit.

(*a*) Hac in re viventium testimonia habeo quamplurima.

(*b*) Hæc perfectio Anglis, non autem GREGORIO debetur.

(*c*) Galli *en Cremalliere* vocant.

arcanum dudum habuere inſtrumentum (*d*), quod orbi litterato anno 1733. in libro de arte obſtetricia (*e*) primus communicaſſe dicitur CHAPMANNUS, Chirurgus Anglus, ob ſeveriorem BUTTERI, Chirurgi Edimburgenſis, iuſtam tamen quod forcipem celaret, animadverſionem (*f*). Qua autem ratione Doctor SMELLIE (*g*) aſſerere queat, forcipem CHAMBERLINI eandem eſſe cum *Chapmanniana*, quum tamen poſterior nullo loco huius mentionem iniiciat, quove dein iure Celeberr. HEISTERUS gloriari poſſit, quod occaſionem de ulteriori perfectione illius forcipis dederit, ipſi viderint. Hoc certum eſt, quod etiam in Anglia tempore CHAPMANNI alii alias habuerint & adhibuerint forcipes (*h*), & quod GIFFARDI, Angli, forceps parum a CHAPMANNI forcipe fuerit diverſa (*i*). Quidquid autem ſit, genuina forceps revera Germanorum eſt inventum, maior eius excavatio, ut & apta illa forma feneſtrata, Anglis forte debetur, inſtrumenti vero variata iunctio, Gallis & Anglis præcipue in acceptis eſt ferenda; inde ergo concludo, ſolos de inventionis gloria inique certare Gallos, & hinc amiſſa ſpe circa eandem concurrendi, primam inventionis ideam, intuitu huius forcipis, ex PARAEO hauſtam fuiſſe non ſatis liquido demonſtrare (*k*).

§. XII.

Recentioribus hiſce temporibus varias eiusmodi forcipes a compluribus Auctoribus delineatas deprehendimus. Sic forcipis *Palfinianæ*, ab amico ſibi communicatæ, figuram ex-

(*d*) SMELLIE *Introduction of Midwifery*, pag. LVI.
(*e*) *Treatiſe on the improvement of Midwifery.*
(*f*) *Act. Edimburg.* Tom III.
(*g*) Loc. modo citat. HEISTERUS *de Partu difficili*, §. XI.
(*h*) Teſtatur hoc ipſe, in ſua Præfatione, CHAPMANNVS.
(*i*) Ibidem.
(*k*) LEVRET, lib. antea cit.

exhibet Celeberr. HEISTERUS (*l*), aliamque, perfecte ſimilem illi, quam Academ. Reg. communicavit PALFINUS, ſiſtit LEVRETUS (*m*). VOIGT figura 11. forcipem Dn. PUISSEAU, qui absque dubio PUXOS eſt (*n*), exhibet; fig. 12. forcipem FRIEDII, & 13tia SCHURERI (*o*) forcipem monſtrat. Correctas figuras forcipum dat GIFFARDUS (*p*), quas *Gregorianis* ſimimiles eſſe dicit Celeberr. BOEHMERUS (*q*), ad cuius modum & hic poſterior etiam figuram forcipis dat (*r*). *Palfinianam forcipem* a DUSSEO correctum in Actis Edimburg. ſiſtit BUTTERUS (*s*), quemadmodum etiam variarum forcipum figuras æri incidi curavit LEVRETVS, propriarum vero tres exhibuit, Palfinianam nempe forcipem ultimæ correctionis (*t*), forcipem novam tribrachialem (*u*), & forcipem curvilineam (w). Tandem etiam MENARDUS alias adhuc in medium producit forcipes, de quibus ipſi Auctores conſuli poſſunt. Iam vero quid

(*l*) In Operib. chirurg. Tab. XXIII. fig. XVI.
(*m*) Lib. cit. pag. 88.
(*n*) Chirurgus Pariſinus & artis obſtetriciæ Magiſter.
(*o*) Practici Argentinenſis.
(*p*) *Caſes of Midwifery.*
(*q*) Diſquiſitione cit.
(*r*) Ibidem.
(*s*) Volum. III. Tab. V.
(*t*) *Obſervations* &c. Fig. 14. Tab. I.
(*u*) Ibid. Tab. I. Fig. I, II. &c. De hoc imprimis inſtrumento egit in Appendice Voluminis IX. Actor. Acad. Nat. Curioſ. Celeb. BOEHMERUS, itemque Clariſſ. IANCKIUS, in ſuis Commentat. *de Forfice & Forcipe Bingianis*, aſt, uti videtur, ex ſimplici inſtrumenti conſideratione, & perquam rudi effigie, prout hoc evidentiſſime demonſtrat in Reſponſione, quam neuter illorum huc usque diluit, eximius LEVRETUS. Præclarum hoc ſcriptum inſertum eſt Continuationi obſervationum, ſeu *Suite des Obſervations* &c. Artic. XIII.
(w) *Suite des Obſervations* Tab. II. Fig. II.

quid de his omnibus ſentiam inſtrumentis, ex mea & aliorum obſervatione, experientia ac ratione, nunc dicam.

§. XIII.

Atque ut de uncis, uncinis, embryulcis, ſacris omni ævo inſtrumentis, exordiar, facere non poſſum, quin *primo*, eadem in illis caſibus, in quibus ſemper applicata fuere, minime fuiſſe indicata; *ſecundo*, neque in his, neque in aliis tuto adhibita; *tertio* denique his æque efficacia, magis tamen ſecura & minus periculoſa inſtrumenta hodie eſſe cognita, monſtrem. Primum equidem, *quod in his caſibus, in quibus applicati fuere unci, non ſint indicati*, eluceſcit, ſi illi conſiderantur caſus, in quibus adhibebantur, atque, ut omnes Veterum, itemque illos ſilentio præteream, ubi, abdomine aut pectore uncis perruptis, viſcera in hiſce cavitatibus contenta crudeli & agreſti labore perperam extracta fuere; in capite prævio prægrandi (*x*), retento ac impedito (*y*), ubi recentiores ſemper illos adhibent, nunquam indicantur: caput enim prægrande ſæpe ipſa natura formavit, & retentum aut impeditum, arte adiuta, expellit, ita ut, obſtaculis vel ſponte, vel arte remotis, facile ſuccedat partus, abs eo quod ſtatim ferro cruentari debeat, idque confirmatione nulla indiget, quum obſervationes ſufficienter illud demonſtrent. Si vero naturæ labor, vis, actio, non exſpectatur, ſi impedimentum partus ab obſtetricante ex ſuis ſignis nec cognoſcitur, nec tollitur, ſique tandem uncus applicatur, tunc præmaturum matura ignorantia ferrum adhiberi, & iam rupto cranii tegmine homicidium fieri, quilibet facile intelligit ac perſpicit. Inhumanum ergo foret ſcelus, hoc in caſu & ſub his circumſtantiis adhibere uncos.

§. XIV.

(*x*) Peu *Practique des accouchemens*, toto Cap. III.
(*y*) Idem & cum eo alii omnes, qui his inſtrumentis utuntur.

§. XIV.

Verum adulto iam malo, natura fatiſcente & inerti, fractis nimium parturientis viribus, mortuo fœtu, forſitan tunc, in eodem caſu, certius indicari videntur talia inſtrumenta? Aſt, eadem omnino ratio eſt, ſicuti in priori caſu, ita ut nec hic applicari tuto poſſint, nec debeant, nec etiam indicentur. Caput enim fœtus, a continuato dolorum impulſu, arctiſſime, cunei ad inſtar, verſus oſſa pubis adactum eſt; hinc totam ibi cavitatem ſua mole replet, adeoque orificium uteri, unacum ſuperioris pelvis diametri apertura, obturatum eſt. Qua ergo ratione uncus, cuius hamata conſtructio angulum plus minusve acutum ſuperiori ſua parte, efficit, per obturatam ab immobili capite pelvis aperturam introduci poterit (z)? certe impoſſibile id erit, niſi ipſum uterum ferro perrumpere velis; taceo, quod omnes obſtetricantes, ſub his circumſtantiis, uncorum applicationem, ſumma licet cum prudentia factam, prorſus fruſtraneam, temerariam, matri pernicioſam, & fœtui inutilem fore, teſtentur, quum illud tantum, quod in vaginam prominet, capitis ſegmentum, unci actionem experiri queat, quod vero non niſi tumorem quendam quoad maximam partem mollem, ex vaſis compreſſis & circulatione intercepta ortum, conſtituit, qui unci actionem ſuſtinere nequit, id quod iam dudum etiam ipſi probe perſpexerunt Veteres, eamque ob cauſam omnes fere & ſinguli, pro applicatione uncorum, ſolidiſſimas ſemper, nec adeo facile diffringendas cranii partes, ut ſunt oculi, os, aures, mentum, elegerunt, reliquas vero omnes molliores ad operationem iſtam ineptas iudicarunt, quod etiam,

(z) Teſtatur id ipſum D. MITTELHÆUSER, §. IV. Artic. II. *der practiſchen Abhandlung von Accouchiren.* Lipſ. 1754. quod ſane haud levis momenti teſtimonium eſt, quum hic ipſe Auctor his inſtrumentis omnes fere partus difficultates ſuperare intendat.

neglecta plane illorum auctoritate, sola ratio abunde monstrat & experientia uberius confirmat.

§. XV.

Quodsi tamen, contra rectas artis leges, & contra ipsum communem sensum, etiam in mollem hunc tumorem uncos defigi, & sic cranii tegmen diffringi posse, velint, utique *id neque tuto fieri, nec ab uncorum applicatione hoc tentamine ullum sperari operationis successum posse*, audacter affero; & hoc alterum propositionis membrum est. Unco in mollem tumorem immisso quid efficies? præter inutile, adacto & attracto ferro, vulnus, certe nihil? Sed hoc operationi perficiendæ nulla plane inserviet ratione. Etiamsi enim tumor iste ferro perruptus & penitus ablatus sit, infantis tamen caput, integro manente cranii tegmine, eadem vi infixum & inclusum remanet. Quorsum igitur cruentæ & inutiles hæ encheireses? neque tamen velim credas adeo facilem esse, ut quidam sibi persuadent, hanc continui solutionem; sæpe enim difficillimam & periculosissimam illam esse, unci hamata constructio, obliqua applicatio (*a*), capitis in recta linea prodeuntis conditio, obstetricantium in operatione sudor, manualis operatio, observatio, satis superque evincunt & demonstrant. Quodsi vero nequidem uncus in mollem tumorem facili negotio infigi potest, quanto maiori cum difficultate ipsum os-

seum

(*a*) Optime iam iam hoc animadvertit Aetius, & idcirco, loco supra citato, utilissimum hoc suppeditat monitum: *Si caput ita impactum fuerit, ut nullo modo retrudi possit, uncinus attractorius oculo, aut auri, aut mento, infigatur - - - & dein alterum instrumentum ex altera parte oppositum, similiter immittatur ac infigatur, ut æqualis & ad neutram partem inclinans attractio fiat.* Unde liquido apparet, & Aetio iam obliquam illam unci tractionem fuisse cognitam, quam ipsa etiam confirmat praxis.

ſeum diffringetur tegmen? Sane, præter modo allegata obſtacula, aliud etiam, perquam grave, imo fere ſummum præbet elaſtica cranii conditio, cuius intuitu illud inſtrumento facillime cedit, unde & ipſa oſſea theca ægerrime diffringi poterit. At, etiam hanc agreſti & multo labore (uti ſæpius fit) perruptam dabo; nunquam tamen unci attrahentis potentia par erit ſuperandæ huic reſiſtentiæ, quum cognitum iam atque evictum ſit, quod in dimovendo ex aliquo loco, per tractionem, corpore qualicunque, tractionis potentia ſuperare debeat ſummam reſiſtentiarum. Hoc autem ſi ita ſe habet, ſicuti veriſſimum omnino eſt, poſito noſtro caſu, capite nempe incuneato, facta cranii violenta apertione, & unco ex hoc pendente & attracto, immoto capite cranii tegmen diſrumpi, uncum fallere & elabi, atque tunc aut in obſtetricantis manum, ſin adhuc adeo providus fuerit, aut, incaute magis eodem procedente, in mulieris genitalia defigi, illisque dehiſcentibus immergi, neceſſe eſt (*b*).

§. XVI.

Grave hoc & admodum terribile ab uncorum applicatione metuendum incommodum ſuo iam tempore probe perſpexit CELSVS, & hodie omnium fere obſtetricantium teſtimoniis ſignatum legimus, ita ut mirum certe videri poſſit, ullum, poſt adeo triſtes caſus, eſſe uncis in arte uſum. CEL-

(*b*) Teſtantur id quamplurimæ obſervationes, inter quas eas ſemper crudeliſſimas invenies dilacerationes, quæ obſtetricantium adiuvante manu factæ; hinc merito illos proceſſus damnavit LEVRETUS, quos obſtetricans non ſolus, ſed cum alio perficeret, Domini LAMOTTE & aliorum ex hac cauſa infortunia recenſens; unde etiam non ſatis mihi patet, cur Dn. D. MITTELHÆUSER Lib. cit. dum §. IV. Artic. II. methodum applicandi inſtrumenta, prodeunte primo capite, exponit, cerebro exemto, uncum capiti infixum alteri trahendum tradat.

SVS vero sic habet (*c*): *Unci acumen in ipsum os vulvæ ubi delabitur, sequitur nervorum distentio & ingens periculum mortis;* hiantia in rectum vulnera disruptæ vesicæ, elapsa per uterum eiusque vaginam intestina, id satis superque confirmant. Idcirco etiam Romanus hic Medicus cautelas quasdam practicas subiungit, quando mediante unco tractio tentari possit: *Igitur*, inquiens, *compressa vulva, conquiescere, hiante, leniter trahere oportet* (*d*); quem locum Celeb. HEISTERVS (*e*) ita interpretatur: *Igitur compressa vulva* (hoc est constricta matrice, sive doloribus cessantibus) *conquiescere; hiante vero* (hoc est doloribus præsentibus) *leniter trahere oportet.* Pace vero tanti viri ut recte utilissima illa, a CELSO in operatione præscripta, cautela intelligatur, nec maiora cum uncis mala perpetrentur, monebo, naturam explicationi *Heisterianæ* plane contrariari: Illa enim sensatio dolorifica, quam parturiens percipit, & vulgus *partus dolorem* appellat, uteri sese contrahentis & constringentis effectus est, quod vel exinde satis manifesto patet, dum ipsæ obstetrices, ex tremulo uteri se se constringentis nisu, digiti ope, appropinquantem dolorem citius, quam parturiens, sentiunt, & iterum ex uteri succesiva relaxatione & collapsu doloris cessationem prædicunt. Quare, dum CELSVS dicit, *compressa vulva conquiescere oportet*, intelligendum id est de constricto utero, & doloribus præsentibus; *hiante vero leniter trahere*, id est, doloribus cessantibus, utero collapso, relaxato, nec tanta vi supra fœtum constricto, uti tempore dolorum esse solet. Quis enim hodie ignorat, artis legem esse, ut urgentibus doloribus ab extractione

(*c*) Loc. citat.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Chirurg. Part. II. Cap. CLIII. §. III.

ctione desistatur, & præsentibus illis, in nostro casu, difficiliorem esse impedimenti istius remotionem (*f*)?

§. XVII.

Ex his omnibus ergo concludo, uncorum applicationem DEVENTERO merito *execrandam*, CHAPMANNO *horrendam*, & BOEHMERO *crudelem* videri, ac hodie sapienter ab omnibus bonis detestari. Forsitan etiam ex horum frequentiori usu factum est, quod multis in regionibus, rebus non nisi summe desperatis, obstetricantes demum accersantur, & odiosis nominibus afficiantur, prout recte id suspicatur CHAPMANNVS cum aliis. In Gallia adhuc ferrum ita horrent mulieres, ut quodlibet pro unco habeant, neque tamen sine ratione; si quæ enim alia regio, tum certe hæc hodie omnes difficiles partus iudicat uncis, vix non præter LEVRETVM tota. Idem hoc iam suo tempore in Gallia se vidisse testatur Dn. LAMOTTE, qui integrum Caput, lethalibus uncis confectarum observationum, congessit, atque tanto hos, ob malam famam, odio habuisse videtur, ut in censura medica, quæ eius libro adiicitur, a Medicis simul testimonium subiungi petierit, nunquam se uncos in usum vocasse.

§. XVIII.

Sed iam ad tertium progrediamur membrum, demonstraturi, *quod uncorum in locum alia æque apta, magis tamen secu-*

(*f*) Hunc errorem eo libentius hic corrigo, quum notum mihi sit, quod multi ex eo falso tali præiudicio in eundem incurrant. Sic MENARDUS Lib. cit. dum de introducendis forcipibus agit, uteri contractionem, ut intromittantur, exspectandam suadet, quasi hae præsente facilius immitti possent; nec est cur anxius illam exspectet, quum plerumque immediate sequatur introductionem in orificium uteri factam, ob inde evenientem graviorem huius irritationem; unde ridiculum est, Auctorem hunc id exoptare, quod alii plane reformidare solent.

ſecura, in ſimilibus caſibus, hodie uſitata & cognita ſint inſtrumenta. In caſu capitis prægrandis, impediti, retenti, etiam incuneati, partus per cauſas naturales difficultas, imo impoſſibilitas, ex vaſtitate capitis, pelvi nimis anguſta aut male conformata, denique ex aliis tunc præſentibus obſtaculis, emergit, adeoque multiplex ex cauſarum varietate oritur indicatio. In primo caſu capitis vaſtitas eſt minuenda; in ſecundo, quum ſolida pelvis diameter augeri non poſſit, pariter primi caſus indicatio reſpicienda eſt, licet capitis magnitudo non admodum excedat; in tertio obſtacula ſecundum variam ſuam naturam auferenda veniunt. Capitis vero vaſtitas variis minui artificiis poteſt, non ſolo molem deſtruente unco, ſed etiam, integra manente mole, tantum eius diametro longitudinali prolongata, & transverſali imminuta, quorum primum facillime obtinetur forcipibus, teſte multiplici experientia; vel etiam imminui poteſt, dempta mole, cranio aperto, & cerebro extracto mediantibus inſtrumentis ſimpliciſſimis, ſpatulis, clavis, cultris, forcipibus, &c. quæ vero, ex ſuis cauſis indicata, ſemperque uncis ſecuriora, pro vario caſu vitæ aut mortis fœtus, itemque varia pelvis configuratione ſeliguntur, ita ut primum ope vivi & adhuc integri extrahantur fœtus, poſteriora autem mortuo infanti ſine ullo periculi metu applicentur.

§. XIX.

Eritne vero aliquis adhuc uncis in arte obſtetricia uſus? Recte ſane quæſtio hæc moveri poteſt, poſtquam evictum fuit, in illis caſibus, in quibus alias adhibebantur, eosdem nec indicari, nec tuto adhiberi poſſe; uncos enim iam dixi ad coarctatum caput eiiciendum eſſe ineptos, ad diffrigendam cranii thecam periculoſos; in caſu autem relicti in utero corporis, capite ab hoc avulſo, aut capitis craſſi nimis, & iam alio inſtrumento (mortuo fœtu) comminuti, ſolum conveniunt, in aliis nunquam adhiberi debent, & vix prudenter poſſunt.

§. XX.

§. XX.

Aliud inſtrumentorum genus, quod iam a Veteribus pro adiuuando difficili partu adhibitum fuit, & hodie adhuc multis uſu venit, erant *perforatoria*, ſeu *excerebratoria*, *ſcindentes cultri*. Hæc eum in finem excogitata fuiſſe videntur, ut citius & tutius molem capitis minuerent, aut parte abſciſſa corpus extenuarent. Hodiernis temporibus hic uſus religioſe nimis obſervatur, & intra paucorum annorum ſpatium ita multiplicata hæc inſtrumenta fuere, ut unice quaſi in eo operam ſuam collocaſſe videantur Auctores, quo ad perficiendam quamlibet cerebri extractionem novum perforatorium, & ad cuiuslibet partis a corpore ſeparationem novum ſcalpellum aut cultrum invenirent.

§. XXI.

Varia alia hinc inde apud Auctores deſcripta & delineata videmus eiusmodi inſtrumenta. Quod occipitio (licet tamen hic locus minus idoneus ad hanc operationem habeatur), infigebat *perforatorium*, MOSCHION, non deſcribit; figuris expreſſit *ſpumatile parvum*, ut & *magnum*, ALBUCASIS (*g*); prius verum perforatorium eſt, poſterius utrimque ſcindens ſcalprum; alii adhuc cultros, forfices, ſcalpra, ſcalpella, ſpatulas, clavos & ſimilia, nuda, aut vagina involuta, recenſent. Recentioribus hiſce temporibus etiam peculiarem forficem ſibi parari curavit SMELLIE; inſtrumentum autem perforatorium Dn. MAVRICEAV aliorum ad inſtar fabrefactum eſt, quæ ſimplici *extractorum* nomine a ſuis Auctoribus donata ſunt.

§. XXII.

In genere perforatoria & excerebratoria omnia indicationi, propter quam conſtructa fuere, plenarie & melius, quam unci,

(*g*) loc. citat.

unci, ſatisfaciunt; quum vero eidem indicationi aptioribus & neutiquam enecantibus ſæpius ſubvenire queamus, & in eodem caſu obſtetricans perforatorio vitam infanti inhumana crudelitate tollat, alter forcipe ſervet, merito idcirco illa penitus proſcripta atroque carbone notata fuerunt.

§. XXIII.

Itaque ut perforatoriorum uſum etiam limitem, ea tantum in illo caſu, ubi grandior capitis moles per pelvis aperturam educi nequit, convenire iudico, praeſertim ſi inſimul minor eſt pelvis diameter, ut forceps intromitti nequeat, & certa ac indubitata mortem fœtus comprobant ſigna; his vero deficientibus conditionibus, neutiquam adhibenda ſunt. Vivo enim illi cerebrum eximere velle, infandum foret ſcelus (*b*), ſique ſatis ampla fuerit pelvis, ut facili negotio introduci queat forceps, præſtare ſemper arbitror, infantem, licet mortuum, ſaltem integrum, quam effracto cranio & exemto cerebro, adſtantium oculis ſubiicere.

§. XXIV.

Quod autem ſcindentium cultrorum, uncorum, ſcalprorum, ut & aliorum, ad membri cuiusdam ſeparationem deſtinatorum uſum ſpectat, hanc operationem prorſus inutilem, inſimulque periculoſiſſimam reputo. Etiamſi enim brachium, intra os uteri ad humerum usque protruſum, dimidia ſui parte ante genitalia abſcindatur, minime tamen hac ratione partus difficultas ſublata eſt, aut obſtaculorum conditio mutata. Certe os uteri conſtanter adhuc obturatum manet, & tamen, hoc non obſtante, paſſim hæc præcepta inculcantur, & figuris, dimidio ablato brachio, in debitum ſitum verſi infantes exprimuntur. In ipſa autem articulatione humerum abſcindere,

(*b*) Maxime in initio laborum, de qua re vid. infra §. LXVII. LXVIII. & LXIX.

dere, ut hoc alii faciunt, itemque caput a vertebris ſolvere (*i*), aut transverſe in utero ſitum infantem per medium dividere velle, ruſticæ temeritatis, vera arte repudiatum, nec forte unquam ſine damno probatum conſilium habeto.

§. XXV.

In ſpecie vero inſtrumentum Dn. MAVRICEAV *Tire-tête* dictum, feliciter cum ſuo Auctore extinctum credo, *licet ridicula emphaſi rarum artis ſuae arcanum, mirum inſtrumentum*, illud dicat, *quod ſibi proprium primum reſervare voluit, tandem, conſcientia adductus, publici iuris fecit.* Hoc enim eam, pro qua illud conſtruxerat, indicationem minime omnium, eam vero, pro qua conſtructum illud eſſe procul dubio nollet, perfectiſſime adimpleret, mortuum nempe vix unquam educendo infantem, & vivum certo certius occidendo; unde etiam illud Dn. PEV, Gallus obſtetricans, integro quodam Capite recte declamavit, uncos eidem merito præferens. Contrariæ prorſus opinionis in hac re deprehendo DEVENTERVM, qui de uncis diſſerens, *unci*, inquit, *nunquam uſui eſſe poſſunt, quod humeri adeo valide obſtant, ut caput, licet maxima vi detractum, ſuccedere non poſſit*, & de inſtrumento Dn. MAVRICEAV, *hoc ſane inſtrumentum ait, accommodatius eſt, minusque periculi parturienti*

 qui-

(*i*) Iniquae huius encheireſis autor eſt CELSVS, quem complures alii imitati ſunt, inprimis quoque DEISCHIVS, qui in Tractatu germanico, cuius titulus eſt: *Abhandlung, daß weder die Wendung, noch Engliſche Zange, in allen Geburts-Fällen vor Mutter und Kind ſicher gebrauchet werde*, aperte fatetur, quod & brachium, & caput a trunco ſeparaverit, itemque per medium diviſerit infantem, non tamen ſemper, ut videtur, cum ſalute matris. Sic & D. MITTELHÆVSER *lib. cit. §. V. Artic. II.* brachium ex articulatione, ut & ſcapulam ſolvit & eximit, ventrem etiam aperit & medias vertebras cultro dividit, §. VI.

quidem, quam uncini, infanti autem nunquam non necem adfert. Prima equidem de arte DEVENTERI propoſitio falſa eſt; nam in caſu capitis retenti, impediti, coarctati, non ſemper humeri in cauſa ſunt, quod partus non ſuccedat; atque ſi ſint, tunc certo inſtrumentum Dn. MAVRICEAV minus præſtabit, quam unci, prout hoc ipſa docent inſtrumenta, eorumque applicatio; unde etiam ſecundæ propoſitionis primum membrum pariter concidit, eaque propter perſpicere non poſſum, cur, ex levioribus illis DEVENTERI rationibus, Celeberr. BOEHMERVS (*k*) uncos reiicere, & Dn. MAVRICEAV inſtrumentum his, tanquam accommodatius, præferre potuerit. Idem mecum ſentit *Celeb.* HEISTERVS (*l*), *machina*, inquiens, *tractoria, tire-tête Mauricaei, uncis minus*, & DEVENTERO (cuius contrarium apud hunc Auctorem lego) & HORNIO *& mihi commoda videtur.* Ex aliis vero & longe gravioribus rationibus, ut iam antea monſtravi, etiam uncos contra Celeb. HEISTERVM damno & deteſtor, ſicuti ex iis apparet, quæ §. XVI. & XX. monui.

§. XXVI.

In eundem uſum porro FRIEDIVS inſtrumentum conſtruxit, atque *Burtonianus extractor* excogitatus fuit; ſed eandem prorſus notam, ac illud MAVRICAEI, incurrunt; quod perſpiciens FRIEDIVS, præclaro ſane exemplo ipſe ſuum inſtrumentum damnavit primus, & forcipum uſum ſubſtituit, de quibus ſpeciatim nunc mihi agendum erit.

§. XXVII.

Forcipes ad extractionem fœtus vivi aut mortui pro tutiſſimis & convenientiſſimis ſemper habitæ fuerunt inſtrumentis; inde etiam factum eſt, ut varie a variis immutatæ fuerint

(*k*) *Diſquiſit. ſecunda* §. XV.
(*l*) *Chirurg.* Part. II. Cap. CLII. §. XXI. circa finem.

rint & correctæ, licet tamen inde non ſemper perfectiores evaſerint, uti id alibi ſatis demonſtravi. Iam vero illas examinabo forcipes, quæ & hodie maxime in uſu ſunt, & vario ſimul reſpectu aliis præſtant.

§. XXVIII.

SMELLIE, Medicinæ Doctor & artis obſtetricariæ Magiſter Londinenſis, forcipem conſtrui curavit ſatis exiguam. Eſt ea tantum *forcipis Chapmannianæ*, mutata iunctione, compendium, & inſtrumentum ad vaginæ canalem & curvilineum eius ductum perfecte adaptatum (*m*). De hoc recte differit LEVRETVS (*n*), eius commoda & incommoda perluſtrans, & figuram ſimul exhibens. Hoc ego præter LEVRETVM obſervo, caput incuneatum hac forcipe rarius educi poſſe, quod ut evidentius pateat, ſequentia momenta conſideranda ſunt.

§. XXIX.

Infantis, naturali partu excludendi, caput 6, aut 7. pollicum diametrum longitudinalem habet; ſerræ *forcipis Smellianæ*, quæ caput prehendere debent, 6. pollices tantum; iterum vaginæ longitudinalis diameter pollicibus 6. ſtilus autem ſeu manubrium forcipis, 4. abſolvitur. Igitur totius forcipis longitudo decem pollices æquat, & longitudinales tum capitis, tum vaginae diametri 12. continent, qui in paragomphoſi capitis fœtus, ex eo, quod illud ad aliquot pollices in vaginam deſcendit, ad 8. reduci poſſunt; exinde autem liquido apparet, quod, ſi in paragomphoſi utrinque, ad bene prehendendum & extrahendum caput, immittatur inſtrumentum, neceſſario in vagina & uteri oſtio eiusdem pollices 8.

(*m*) Scilicet in quantum recta forceps poteſt; nam & huius premitur incommodis.

(*n*) *Suite des Obſervat.* Art. VIII. Figuram vero exhibet Tab. II. fig. IX

latitent, adeoque extra genitalia tantum prominere poſſint pollices 2. Qualis ergo & quanta ſub his circumſtantiis erit forcipis actio?

§. XXX.

Alterum eſt, quod capitis ea pars, quæ in vaginam prominet, plus minusve ſpectabilem tumorem, & quidem in ratione inverſa dolorum, adeoque & incuneationis, vivente fœtu acquirat, isque ſæpe ad duorum vel trium pollicum magnitudinem accedat. Hoc ergo ſi contingat, capitis longitudinalem diametrum totam & brachiorum, & manubrii longitudinalem diametrum æquare, manifeſto liquet. Qualis autem nunc adeſt probabilitas, quod brachia forcipis, quæ 6. pollicum tantum longitudinem habent, capitis, quam in puncto firmo prehendere nequeunt, adductura ſint molem (*o*)? Proinde etiam in illo caſu, ubi incuneatio capitis verſus ſuperiorem regionem occurrit & nullus apparet tumor, aut non admodum notabilis, (quod video Auctorem ſibi concedi velle) ferræ caput nondum prehendere poſſunt, niſi toto introducto, cum manubrio, inſtrumento, & tunc iunctio forcipis fere fieri debet circa ſuperiorem pelvis aperturam, quod quale ſit inconveniens, imo quantum operationi abſolvendæ impedimentum iniiciat, facile perſpicient omnes Practici. Annon ergo eam, quam dedit *uncis Menardianis* longitudinem, forcipi utilius dediſſet? Equidem forte aliquis obiiciet,

(*o*) De hac re legi meretur Celeb. BOEHMERI *de Sarcomate uteri Obſervatio*, Appendici *Act. Acad. Nat. Curioſ.* inſerta, §. XXIX. ubi IANCKIUM reprehendit, quod breviores forcipis laminas aliis præſtare aſſerat; loquitur vero ex experientia Doctiſſ. BOEHMERVS, cui etiam in hoc ſubſcribo, nec movet me maximus vir HEISTERVS, qui *ex terrore & horrore, quem forcipum magnitudo parturienti incutit*, parvos ſuos uncos forcipibus anteponit, *Chirurg.* Part. II. Cap. CLII. §. XXII.

ciet, repugnare hoc experientiæ, quum ſæpe hac forcipe ex anguſtiis caput eduxerit; aſt, hanc obiectionem, ab ipſo etiam mihi faciendam auctore, nullatenus timeo; religioſus enim nimium eſt, qui aſſerat, ſe in ſuperiori pelvis apertura incuneatum eduxiſſe caput, licet illud in inferiori hærens, & in vaginam depulſum, ſicque difficulter prodiens, ipſum extraxiſſe facile concedam; ſed hos caſus a prioribus diſtinguat velim, qui hanc obiectionem format, & facile perſpiciet, illos eſſe diverſiſſimos.

§. XXXI.

ROONHVYSII, Amſtelodamenſium Chirurgi, forceps, ab aliis prorſus diſcrepat, & ſingulare inventum eſt. Diu admodum eandem ſummo occultaſſe ſtudio dicitur, & rarum hoc artis arcanum ſtupendo pretio quibusdam ſaltem vendidiſſe. Ferream communicavit forcipem RATHLAW, quam iuſſu Procerum provinciæ deſcripſit in peculiari libello, Amſtelodami anno 1747. edito. Eodem anno SCHLICHTINGIVS, Amſtelodamenſium Medicus, in Embryulcia nova etiam figuram talis forcipis exhibuit; ex delineatione Dn. RATHLAW æri illum incidi curavit LEVRETVS (*p*); ex SCHLICHTINGII autem figura Celeberr. HEISTERVS (*q*) egregium ſuum opus inepta delineatione conſpurcavit, facileque credere quispiam poſſet, ſi figuram conſiderat tertiam, & SCHLICHTINGIVM, & HEISTERVM auro non redimendam talem forcipem reputaſſe, dum in uterum immiſſa illa, immani hiatu duplicatum educere fœtum tentant, inaudita hucusque obſtetricantibus encheireſi. Recte ergo, meo equidem iudicio, ſimul animadvertit HEISTERVS (*r*), *aliquid ſingulare & notatu dignum*

(*p*) *Suite des Obſervations* Tab. II.
(*q*) Tab. LX. fig. I. II. III.
(*r*) In explicatione Tab. citat.

dignum in hac figura esse; & SCHLICHTINGIVS (*s*) *hunc casum in arte obstetricia unum ex difficillimis omnium esse* adserit, dum aliquid adeo singulare omnes obstetricantes in hac inveniunt, ut singulariſſimum putent talem casum, ac instrumento ita introducto, sicuti figura monstrat, plane non emendandum aut tollendum. Etiamne ergo hodie graves in re seria viri iocantur?

§. XXXII.

Quantumvis vero communicata a Dn. RATHLAW & SCHLICHTINGIO forceps pro illa, quam ROONHVYSIVS in arcanis habuit, a plerisque reputetur, nihilominus tamen multi genuinam illam esse negant, egoque eo facilius, ut id credam, adducor, dum, præterquam quod forceps ista in casu capitis incuneati nec examen, nec praxin, sustineat, nostris tamen temporibus adhuc multi, ingenti admodum pretio soluto, arcani huius notitiam acquirere nituntur, & cum eodem demum obtento re vera contenti sunt. Equidem illud se divinasse credit LEVRETVS (*t*), *præsumi potest*, inquiens, *miraculosum hoc medium suo tantum suffecisse auctori illis in casibus, ubi hoc facili negotio carere potuisset, quod* ROONHVYSIVS *ipse uteretur uncis abs dubio, ubi miraculo non esset locus, & aliæ adessent circumstantiæ;* ast re vera orcipis huius (si modo illa sit, quæ sub ROONHVYSII arcano a Dn. RATHLAW communicata fuit,) quicunque consideraverit structuram, actionem, & eam, quam exerere potest, potentiam, facile intelliget, sub operatione insufficienter eandem resistere, arcus nimium esse flexiles, debiles, ad caput attrahendum prorsus ineptos; aliæ vero forcipes omnes, quæ huius formæ sunt, uti v. g. *Rathlavianam* & *Sandesianam*, simili

(*s*) Ibidem.

(*t*) *Suite des Observations*, pag. 216.

ſimili cenſura notant, & in his LEVRETO, qui illas examinavit (*u*), ſubſcribo.

§. XXXIII.

Sunt vero adhuc alii in Batavia obſtetricantes, qui ſe etiam divinum illud inſtrumentum poſſidere gloriantur, & forcipis ſpeciem habent admodum exiguam, ex duabus lamellis chalybeis lævigatis, nulla iunctione unitis, conſtantem. Forceps iſta *Roonhuyſianæ* vulgo ſic dictæ, a Dn. RATHLAW productæ, magnitudine multum cedit, nec ita lata eſt, ſed ſolidior, fortior, & non elaſtica, eiusque accuratam ideam exhibet LEVRETVS fig. 5. Tab. II. (*w*). Quodſi huic inſtrumento ſupra literam *b* tres demantur lineæ, & duæ infra literas *gg* habebis circiter eas, de quibus loquor, vectes, quarum actio ita perficitur, uti fig. 6. eiusdem Tab. monſtrat (*x*).

§. XXXIV.

(*u*) Lib. modo cit.

(*w*) *Suite des Obſervations* &c.

(*x*) Hæc ſcripſeram, quum, qui indefeſſo utramque Medicinam ſtudio promovet, *Illuſtriſſ. L. B. van* SWIETEN de vero ROONHUYSII inſtrumento mecum communicaret, & librum lingua Batava impreſſum, ſub Tit. *Het Roonhuyſiaanſch Geheim in die Vroedkunde ontdeckt. te Leiden*, 1754. exhiberet. Inſtrumentum, quod in eodem libro æri inciſum eſt, fieri curavi, videturque ſimplex & indicationi apprime conveniens eſſe vectis; an vero deſiderio ſatisfaciat, hactenus nondum experiri mihi licuit; rectam enim applicationem inſtrumenti, non ieiunam conſiderationem, poſcit, licet id de inſtrumentis *Levretianis* factum ſit.

* De inſtrumenti huius arcani promulgatione fuſior recenſio atque ipſius inſtrumenti deſcriptio variaque delineatio inſerta eſt Miſcellaneis illis, quæ titulo *Hamburgiſches Magazin* proſtant, P. XIV. p. 115. quibuscum conferendæ ſunt nonnullæ animadverſiones ibid. p. 643. additæ.

§. XXXIV.

LEVRETVS, *Regiæ Chirurgorum Academiæ Sodalis*, datam hucusque forcipibus considerans figuram, licet & ipse utiliter eam correxerit sæpius, facile tamen perspexit, non eas adhuc esse, quæ quærerentur, unde in forcipum defectus serius animadvertit, in rationem, cur adeo difficulter introducerentur, iungerentur, fallerent, & perinæum dilacerent, inquisivit, & probe considerata partium, pelvim constituentium, tam solidarum, quam mollium, structura, viæ directione, itemque capitis incuneati situ, curvilineam construxit forcipem, quam figura 1. & 2. Tab. II. exhibet (*y*), iunctionem hodie feliciorem longe illi conciliavit, simulque ad eandem angulum duarum instrumenti partium magis aperuit; & hæ novæ sunt mutationes, quas in delineata forcipe non deprehendimus.

§. XXXV.

Levretiana forceps inter omnes cognitas distinctionem forcipis curvæ & rectæ posuit; omnes hucusque exhibitæ forcipes rectæ erant, quia linea, a centro iunctionis brachiorum ad summitatem eorumdem ducta, recta est, ex quo hoc inevitabile emergebat incommodum, ut, quo altius, pro prehendendo capite, directe introduceretur, eo certius in os sacrum, aut in angulum ilei, quo sacro iungitur, impingeret, sique genitalium læsio gravior evitari deberet, minimam saltem capitis portionem prehenderet, difficilius iungeretur, facileque falleret; fieri enim aliter non poterat, quin in summitate curvilinei canalis hærens caput, instrumento recto educi negaret. *Levretiana forceps* sola curva est, non solum ex lateribus brachiorum, (quæ curvatura pro locando capite in ea, sicuti in recta, destinata est,) sed etiam ex diametro longitudinali illorum; linea enim, quæ a cen-

(*y*) *Suite des Observations* &c.

centro iunctionis brachiorum ad ſummitatem inſtrumenti ducitur, curva eſt, hacque ratione id voluit & effecit, ut, inferiore curvatura a iunctione brachiorum ſenſim ſurſum ad ſummitatem aſcendente, & anteriore a ſummitate deorſum ad iunctionem deſcendente, ad poſteriorem æque ac anteriorem pelvis ductum perfecte adaptatum habeatur inſtrumentum, quo caput aptius prehendi, & per curvilineum canalem ferro duci poſſit. Idcirco etiam ad legem inſtrumentorum incurvorum, ut catheteris & aliorum, introducitur, & quo altius immittitur, eo magis ab arcu ilei ad ſacrum os recedit, mediam capitis fœtus diametrum aptius prehendit, facilius iungitur & clauditur, &, quo caput propius adducit, eo a frenulo vulvæ magis diſtat. Docent ſingula hæc, præter ipſam inſtrumentorum conſtructionem & applicationem, quoque anatome & praxis.

§. XXXVI.

Inſtrumentum hoc facile principem obtinet locum, & unicum inter quæſita eſt indicatum, quod in omnibus adhiberi poteſt caſibus, ubi forceps recta indicatur, cuius tamen incommoda, ſæpe matri & infanti funeſta, nequaquam ſub eius applicatione pertimeſcenda ſunt; imo & in multis aliis adhuc in uſum vocari poteſt, in quibus cum recta forcipe nihil plane efficiendum eſt, prout hoc fuſius, tam ratione utilitatis & applicationis, quam ſingularis præ aliis prærogativæ, ipſe Auctor monſtravit, multaque ſimul ſolidæ praxeos præcepta ſubiunxit, quibus autem miſſis nunc ſpeciatim eos perluſtrare placet caſus, in quibus illud potiſſimum requiritur deſideratumque effectum præſtat.

§. XXXVII.

Indicatur ergo forceps iſta *Levretiana*

1. in omni caſu capitis prævii impediti, retenti, incuneati,

facie prona, ſupina, laterali, &c. ex mole, aut viæ anguſtia;

2. in caſu incuneatorum, pendulo in vaginam capite, humerorum, ex peculiari encheireſi;
3. in caſu Hydrocephali tardius progredientis, aut incuneati;
4. fœtu duplicato & ano incuneato, atque tunc forceps Dn. SMELLIE, aut eius uncus, omnem paginam abſolvunt;
5. in partu etiam naturali, qui prævio capite fit, ubi ſubita convulſio & hæmorrhagia periculoſa infeſtant (z), aut etiam ubi per ſua ſigna rumpendus uterus intelligitur;
6. denique in illis omnibus fere caſibus, in quibus adeo male adhibentur unci, perforatoria, & alia huius generis inſtrumenta.

§. XXXVIII.

Indicari in his caſibus forcipem, illamque omni alii inſtrumento hucusque cognito præferri debere in iisdem, agnoſcunt omnes boni; crudeles tamen ubique eo usque invenias,

(z) Intelligendum hoc eſt in omni caſu placentæ ab utero ſolutæ, modo uteri oſtio non ſit adnata, quo in caſu, ruptis aquis & ſuperveniente hæmorrhagia immodica, potius tentanda verſatio, quam capitis adhuc alte ſiti exſpectanda deſcenſio; qua occaſione ſimul notare placet, LEVRETO anno 1753. in conſeſſu Academiæ Chirurgorum pervicaciter negatum fuiſſe, nec placentam uteri orificio, nec Chorion utero unquam adhærere, &, quod mireris, neminem in toto cœtu, qui huius facti exiſtentiam aſſereret, repertum fuiſſe, atque idcirco cum SCHACHERI, *van* HORNII, PLATNERI & BRVNNERI obſervationibus, & NOORTWIKII, BOERHAAVII, HALLERI aliorumque experimentis cauſa cecidiſſe LEVRETVM. Negent vero utcunque Chirurgi Galli doctiſſimorum in exteris terris Virorum obſervationes & experimenta, (licet eam omnino nobis fidem dare deberent, quam a nobis poſcunt,) apud omnes tamen doctos in confeſſo eſt, rem a LEVRETO primo illis propoſitam, & apud nos iam dudum in vulgus obſtetricum notam, ita ſe habere.

nias, qui ne forcipem quidem in his tentent, ſed mox infantem, etſi vivum, mortuum eſſe volunt, & uncis aut perforatoriis, forcipibus, &c. perrupto cranii tegmine, & extracto cerebro, partum terminandum volunt, crudeli hoc nitentes principio, *quod melius ſit unum ſervare, quam nullum*, nec volentes utrumque ſervari poſſe. Vidi, dum Pariſiis, Auguſtiſſimæ Imperatricis & Reginæ, MARIAE THERESIAE, munificentia degerem, tres huiusmodi caſus, atque, ut duos horum mittam, unicum tantum recenſebo. Trium prolium mater, obſtetrix, doloribus partus agitabatur; effluxerant iam a vigenti quatuor horis aquæ, dum cum obſtetricante accerſor. Hic, rudi inſtituto examine, uncos, me renuente, miſeri infantis capiti immittit, cranii tegmen non ſine magna difficultate perrumpit, cerebrum extrahit, infantemque adeo enormiter læſum poſt horæ ſpatium tandem extrahit, qui valida adhuc voce illi crudelitatem exprobrabat, quod dum ille obſervaret, pede demum eius collo impoſito, neo-lacrymantis primum & ultimum ſpiritum, quem in utero mutum voluiſſet eſſe extinctum, pectus conquaſſando, effudit. Horreo, quoties inhumani facti recordor, & quoties illam SAVIARDI legi obſervationem, noſtræ perfecte ſimilem, quam & ſe vidiſſe refert, dum iuuenis Chirurgum ſequeretur artis addiſcendæ cauſa (*a*). Idcirco etiam non ſatis ſevere in eos animadverti poſſe reor, qui talia ſine neceſſitate audacter ſuſcipiunt, magis vero adhuc in eos, qui publice in ſcriptis ſuis ſimilia ſuadent, aliisque inculcant, quorum numero ſpeciatim accenſendum deprehendo Dn. ROEDERERVM, artis obſtetriciæ Gottingæ Magiſtrum, qui, neſcio qua inclareſcendi prurigine, noviſſime *Obſtetricii elementa practica* adeo crudelia edidit, ut, an in illo natura, an ratio

 magis

(*a*) *Nouveau recueil d' Obſervations chirurgicales, Obſervat.* LXXXIV. *d'un accouchement laborieux.*

magis inhumanitatis rea cenſenda ſit, ambigere non poſſis; ubique enim cranium perforat, cerebrum effundit, vivis etiam infantibus; iniqua non minus ac crudeli arte in forcipum uſu de induſtria ludit; applicat enim eas, ubi applicari non poſſunt, & ubi recte deberent, iniuſte ſtudioſo argumento uſum illarum damnat, quaſi difficulter ex utero prodeunti vitam conſervare nollet. Ego vero, dum iam de forcipum utilitate ſermo mihi eſt, prolata ab illo præcepta accuratius examinanda duxi, quoniam in nulla arte, quam in hac, periculoſiora ſunt feſtinata nimis conſilia. Sic autem, ubi de partu difficili, ob capitis molem, agit, de forcipibus ſentit (*b*): *Quamdiu etiam peiora inflammationis ſigna neque augunt, neque incuneationem veram capitis moles efficit, neque dolores valent, neque, orificio aperto, caput promovetur, tuto forcipe caput compreſſum educitur.* Hanc propoſitionem, ex mera ſpeculatione deductam, a praxi repudiari ſi dixero, parum eſt; ſed neque in ipſa ſpeculatione rite examinatam cohærere, ſic demonſtro: Si capitis excedens moles ſuperiorem pelvis aperturam nondum intravit, nec incuneationem veram efficit, ſimul neque dolores valent, nec caput promovetur, dico uteri orificium apertum eſſe non poſſe, quoniam orificii uterini dilatatio eſt in ratione inverſa verorum dolorum, ſimulque præſto eſt ſphæra aquarum & capitis, in illud impellentium, uti id ex ipſis artis elementis conſtat, adeoque & impoſſibilem eſſe forcipis, non dilatato orificio, uſum. Quodſi etiam ſupponat, caput quidem in pelvim deſcendiſſe, ita ut incuneationem veram nondum efficiat, orificium quoque uteri ſatis dilatatum eſſe, licet dolores amplius non vigeant, nec caput promoveatur, tunc hoc in caſu ſufficientem uterini orificii dilatationem iterum nego; in incuneatione enim incipiente caput ſubſiſtere, non promoveri, dolores non valere, & orificium uteri ſatis

eſſe

b) Elementa artis obſtetric. Gottingæ 1753. §. 412.

esse apertum, nemo in praxi, & solus Dn. ROEDERER in speculatione vidit; at, concessa etiam, in naturæ præiudicium, uterini orificii, hoc in casu & sub his circumstantiis, dilatatione, an ideo tuto adhiberi poterit forceps ? Sane hic leges artis & obstetricantium experientia aperte contradicunt (*c*). Porro sic pergit (*d*): *Sic ubi gravioris inflammationis periculum, ex genitalium tumore, & pulsu cognoscitur, quin imo insigne temporis spatium a partus initio iam fuerit elapsum, ab arte graviori unice proficuum auxilium est repetendum.* Quam iniquum vero hoc sit præceptum, §. XLIV. exactius monstrabo; iam vero argumenta, quibus id fulcire annititur, examinare prius lubet, ut his confutatis pateat, quam levi de causa a quibusdam vita privetur fœtus.

§. XXXIX.

Primum ergo horum, in favorem perforatoriorum contra forcipes, quas in dato casu adhiberi non posse contendit, sub litera *a* (*e*), sic proponit: *Actio huius instrumentorum generis sola compressione perficitur, quam irritam esse patet, quod dolorum vis maxima illam usque eo præstare non potuit, ut per pelvim meabile caput redditum fuerit.* Actio horum instrumentorum (de forcipibus loquimur) non sola compressio-

(*c*) Optime hinc scribit Celeberr. BOEHMERVS in *Observatione de Sarcomate*, §. XV. *Illud tantum moneo, quod sedulo inculcavit ipse* LEVRETVS, *periculosam esse forcipum applicationem, nisi caput adeo profunde in pelvim descendere cœperit, ut ostium uteri quasi evanescens unicum cum vagina canalem hiatumque constituat; duplici enim ex ratione suadendum est, primo, respectu præcavendæ læsionis, quæ facillime alias orificio uterino inferri posset; secundo vero intuitu ipsius instrumenti, cuius laminæ equidem volumen capitis altius adhuc suspensi in tantum, sed non in totum amplecti, adeoque nec æqualiter illud comprimere, ne dicam extrahere valent.*

(*d*) §. 41.

(*e*) §. 416.

ſione ſimplici, vaga, molem in latum condenſante, ſed determinata in longitudinem efformante, nec hac ſolum, ſed & ipſa attractione perficitur, quod animadvertiſſe non eſt adeo indifferens; craſſius quidem caput in ſuperiorem pelvis aperturam continuis doloribus ſæpe impellitur, non ideo tamen in longitudinem transmeabilem, quin contra aliquando, obſtaculo naturæ viribus plane non removendo, in latitudinem cogitur. Utrumque hunc caſum ſola ſibi ars vendicat, natura nihil poteſt; quidquid autem accidat, caput ex anguſtiis ideo non emergit, quod etiam fortiſſimis doloribus transverſales molis capitis diametri in longitudinem cogi non poſſunt; verum ſi applicetur ſic impacto capiti forceps, iungatur, claudatur, transverſales molis capitis diametros minui ſemper, dum longitudinalis augetur, vides, ipſa operatione id docente. Num igitur mirum eſt, ſublato forcipum ope, quod natura non potuit, obſtaculo, mutatum in ſuis diametris caput, variis motibus, rotando, trahendo, educi? num adhuc irrita horum applicatio? non facile perſuadeor, dum praxis me alia docuit. Quare illam rationem, quod nempe, quia dolorum vis maxima caput expellere non potuit, pariter quoque illud forcipe compreſſum, varie motum, attractum, educi non queat, pro anili & idcirco ex arte expungenda habeo; quodſi vero ſeu ipſe Dn. D. Roederer, ſeu quis alius ex modo demonſtratis ſcrupulum iniiciat, ex applicata capiti poſteaque iuncta & clauſa forcipe, minorem quidem latitudinis capitis diametrum minui, maiorem vero augeri debere, & inde obſtaculum invincibile forcipi poni, illi oſſis ſacri & pubis, ut punctorum immobilium & quaſi duorum aliorum forcipis brachiorum, phyſica conſideratio omne dubium auferet; ſic enim fit, ut his reſiſtentibus & molem capitis intra ſuos limites continentibus, illis comprimentibus & attrahentibus, in longitudinem effingi caput ex omni lege debeat.

§. XL.

§. XL.

Alterum contra forcipes argumentum litera ℘ hoc axiomate munit: *Corpora ad certum tantummodo gradum comprimi posse, docet eorumdem impenetrabilitas.* Pertenuis sane hæc est, pro annihilanda forcipum utilitate, ratio, admodumque, ut omnes facile perspiciunt, ieiuna. De veritate equidem axiomatis non disputo, sed perquam lepidum applicationis modum vix satis conspicio. Sic enim, quando infantis caput maximis doloribus incuneatum est, comprimi amplius non potest, docente id corporum impenetrabilitate. Sed optassem ut perspicacissimus hic Physicus simul determinasset, quis ultimus sit compressionis capitis gradus, in qua id figura subsistat, ut, dum in superiori pelvis apertura incuneatum caput hæret, hanc ad minimum obstetricans intelligat; an forte ille est, ubi dolores cessant? an ubi caput, etiam maxima dolorum vi, amplius non propellitur, ut in ratione præcedente innuit? Verum tamen hæc signa tantum docent partum propriis naturæ viribus absolvi non posse, non autem, a forcipe comprehensum, compressum & attractum caput educi non posse, demonstrant, quod sane Dn. Roederer non satis liquido perspexit. Manet utique capitis in partu naturali impenetrabilitas, licet hoc mediantibus doloribus, ab ossibus pelvis compressum, conicum evadat; cur igitur non eadem in partu præternaturali, a forcipe magis in hanc figuram coacta, maneret impenetrabilitas? atque si inter duas laminas parallelas ita comprimeretur caput, ut nulla huius figura supereesset, sed totum quantum a se ipso dissimile, conquassatum diffluere, næ ego aliquid corporum impenetrabilitati hic demi intelligo. Si forsan obiicit, caput ita comprimi non posse, quin omnia contenta destruantur, hoc illi facile concedam; sed & mihi, hanc destructionem non obesse corporum impenetrabilitati, ab illo concedi volo;

hoc si concedit argumentum, ut omnino debet, siquidem & ipse adigendo perforatorium in compressum & compactum caput, & cerebrum cochleari eximendo, impenetrabilitatem non reformidat, qualis ex axiomatis applicatione resultat utilitas? an inde damnari forceps, probari perforatorium, recta ratione potest? quasi non una eademque respectu horum vel illorum instrumentorum corporum impenetrabilitas esset; posita vero æquali, ut omnino est, semper præstare arbitror, ut caput potius vitam conservante, quam demente ferro tentetur.

§. XLI.

Tertiam, quam contra usum forcipum adfert, rationem, his verbis litera γ. exponit: *Difficillima, quin impossibilis forcipum, propter caput ad ossa pubis firmissime appressum, applicatio est.* Hæc equidem ratio evidenter probat, Dn. ROEDERERVM nec forcipem in hoc casu unquam applicuisse, nec ab aliis applicatam vidisse, adeoque hoc assertum sola nititur speculatione ferri. Hunc vero adeo gravem in arte errorem ut quantocyus corrigat, ad CHAMBERLINOS, ROONHVYSIOS, GIFFARDOS, CHAPMANNOS, LEVRETOS, BOEHMEROS & alios plures virum ablego, ut horum spectatis observationibus, & certa experientia, instruatur; quodsi vero nec horum iudicio se committere sustineat, ipsam saltem perfunctorie intueatur naturam, & quæ incuneatum caput comitentur phænomena, consideret.

I. Caput nimis crassum, recte positum, ubi incuneatum hæret, tunc totam superioris aperturæ pelvis circumferentiam, transmittenda mole adimpletam, doloribusque vehementissimis infantem non propelli, natura monstrat; sed monstrat etiam, in illa distantia, quæ est ab osse pubis ad aggerem sacri, veram eamque pertinacissimam incuneationem fieri; in illa vero, quæ est ab uno ossium ilei arcu ad alterum,

rum, facile ſuperabilem, imo ſæpius vix ullam. Ultimum hoc phænomenon oſteometrica iam præſenſerat ratio, dum, comparatis, & pelvis matris, & capitis infantis diametris, eidem conſtat, transverſalem capitis fœtus eam diametrum, quæ ab una aure ad alteram menſuratur, minimam eſſe transverſalium capitis, & transverſalem pelvis eam, quæ ab uno arcu oſſium ilei ad alterum procedit, maximam eſſe transverſalium pelvis; unde facili poterat aſſequi coniectura, caput lateraliter minus coarctari poſſe, ſicut contrarium pro certo aſſumi poterat, eam diametrum transverſalem capitis, quæ ab oſſe frontis ad os occipitis eſt, in illa, quæ a prominentis oſſis ſacri aggere ad os pubis extenditur, coarctari debere, quoniam prior eſt maxima transverſalium capitis, poſterior minima transverſalium pelvis.

II. In caſu capitis incuneati margines orificii uteri laterales extenuari & deleri citius & magis, quam labrum eius anterius & poſterius, conſtanter obſervo.

III. Denique oſſa parietalia capitis infantis magis flexibilia eſſe, quam os frontis & occipitis eiusdem, docet anatome.

His tanquam certis & evidentibus aſſumtis, qua ratione forcipum applicatio impoſſibilis videri queat, non ſatis conſpicio? quum ibi loci, ubi caput intra oſſa ilei utrimque minus coarctatur, & ubi prominens orificii uterini margo in lateribus ita deletur, ut unum eundemque cum vagina canalem efficiat, omnis ex duplici brachio conſtans forceps immitti queat; quorſum etiam accedit, quod oſſa parietalia capitis fœtus, quæ ad hunc locum ſitu diriguntur, comprimenti forcipi facilius cedant, & cuilibet bene conſtructæ exigua in brachiis craſſities concedatur. Hæc omnia doctis & expertis viris ita perſpecta, ita certo cognita intelligo, ut non alia ratione naturam hæc molitam fuiſſe dicant, quam

ut incuneato capiti & impacto hac via, hoc loco, si aliter possibile, opem ferre queas. Quodsi adhuc infixum intra sacrum os & pubem caput forcipe convelli posse negasset, incautum forte decipere potuisset, licet tamen de hac re dilucide satis & physice in primo argumento statuerim; verum ex infixi ibidem capitis momento ad forcipum applicationis impossibilitatem formato conclusio ne muliercularum quidem assensum obtinebit. At quorsum ego hæc? credederit forte Dn. ROEDERER, brachia forcipis ad locum inclavatum debere intromitti, nec aliter posse; hoc si ita fuerit, næ ille nunquam operationem, multo minus instrumentum vidit (*f*); quare illum ad demonstrationes enchiresium invito, illud BACONIS pro exordio præmonens: *Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat.*

§. XLII.

Quartum vero argumentum sub litera ♂) huius est tenoris: *Violenter deiectæ forcipes vaginam vulnerant, caput trahentes, eandem cum urethra & perinæo dilacerant, copiosasque strages edunt.* Ab applicatis forcipibus ista mala producta fuisse rarius credo nostrum vidisse; quodsi tamen & id eveniat, ab ignara manu, non vero a perita & exercitata fieri, simul facile dabit; ubi enim lapsura forceps est, facile id

(*f*) Scio equidem, MENARDVM in sua Præfatione in casu capitis ita incuneati, ut una auris ad pubem, altera ad os sacrum hæreat, unum forcipis brachium ad ductum sacri, alterum ad pubem immittendum velle; sed hoc præceptum ab aliis celeberrimis viris semper damnatum fuit, quoniam sine parturientis dilaceratione exequi non potest, docentibus id ipsa pelvi, instrumenti constructione, & experientia. Unum brachium in pubem introductum sæpe auxilio esse posse, expertus sum; bina & iuncta neutiquam. ROONHVYSII forceps unius brachii est, & intra pubem & caput eam immittendo felicissime operationem sua perficit.

id sciens sentit, sed perforatoria MENARDI, OVLDI, SIMPSONI, FRIEDII, quæ ipse suadet in hoc casu instrumenta, ab ignara manu applicata & præpostere directa, non solum vaginam lacerare, sed & perforare, & uterum aperire posse, nequidem celeb. ROEDERER negaverit; quodsi id concedit, ut sane debet, statim patebit, quænam magis iniqua sint, vel quæ illie, vel ego suadeo, media. Deinde etiam hæc obiectio tantum contra rectam forcipem est directa, & quidem satis valido cum fundamento, licet clariss. BOEHMERVS exercitata manu dubium illud tollere adnitatur (g); de forcipe vero LEVRETI hic loquor, cujus constructio, ad formam vaginæ, pelvis & capitis infantis, exacta, bicurvilinea & cava, a prima inventione his incommodis vacavit; sed si & his dotibus minus spectabilis foret, quid ab eius usu metuendum sit non satis capio; neque etiam vaga & anceps esse potest optio in eo, an levioris foret momenti res, perforatoriis

(g) In citat. Obsevat. *de Sarcomate uteri* §. XVIII. & XXXII. In primo equidem §., ut adparet ex responsione LEVRETI, Celeb. BOEHMERVS eximii viri LEVRETI textum, ut obiectionem sibi moveret, motamque solveret, polluit, & cautiones in applicatione forcipis tradit, quas alter iam dudum exhauserat, unde non immerito miratur LEVRETVS, cur in exercitatam manum omne forcipis emolumentum reiiciat celeb. BOEHMERVS, quasi sua (LEVRETI nempe) foret rudis & ignara; in altero §. cum clarissimo JANCKIO contendit & sic sub finem concludit: *Strenue affirmare audeo, læsionem qualemcunque, a forcipe Anglicana genitalibus inductam, solum in medentis, non vero instrumenti culpam redundare;* hodie vero non dubitem, postquam curva innotuit, instrumentum & consilium Virum istum celeberrimum mutasse. Rectam vidi adhibitam a b. GREGORIO filio; rectam & curvam a LEVRETO; utramque ego adhibui, læsiones tamen qualescunque, a recta forcipe applicata factas, non in operantium, sed in instrumenti structuram reiiciendas sancte affirmo. Vide §. XXXV.

vivum occidere infantem, quam forcipibus vitam fœtus conſervando, perinæum aut alias partes dilacerare? Similibus tamen ductos ratiunculis videas quam plurimos inſtrumenta convenientiſſima damnare, ineptiſſima his ſubſtituere, aut omnia ex arte penitus excludere (*b*).

§. XLIII.

Pro coronide vero ſub litera ε) dicit: *Quæ in contrarium adferuntur obſervationes felici cum ſucceſſu abſolutæ, de capite vel inique ſito, vel ulterius adhuc comprimendo, vel utero obliquo intelligendæ ſunt.* Qua fiducia, quo fundamento, hæc in medium proferre audet Auctor? quibus tamen CHAMBERLINORVM, CHAPMANNORVM, GIFFARDORVM, LEVRETORVM, SMELLIORVM, BOEHMERORVM, noſtræ & aliorum conſtanter veræ obſervationes repugnant, quaſi ſpeculanti rectius, quam manu operanti, proſcribere inſtrumentum, practicosque in obſervando infidelitatis arguere liceret; qua in re illius CICERONIS (*i*) recordor, qui, ne rebus incertis facile aſſenſum præbeant, academicos præmonere voluit, *quia*, inquit, *temeritate nihil fortius, nihil tam temerarium tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantia, quam quidem aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere.* Cæterum, tædet, fuſius hoc argumentum perſequi, quoniam qui obſervationem & experientiam graviſſimorum in arte virorum negat, convinci haud poteſt, ſuo iam ſatis caſtigatus fato; hoc unicum amice illi dicam, forcipis applicationem, utero obliquato utilem, difficillimam eſſe; faciliorem multo utero bene locato & recto; iterum in caſu capitis inique ſiti magis laborioſam, & ſæpius ingrate inutilem.

§. XLIV.

(*b*) Ut fecit DEVENTERVS & alii, de quo infra fuſius.
(*i*) Lib. I. *de Natur. Deorum* pag. 2.

§. XLIV.

Iam vero quam ieiunas contra forcipum usum rationes everterim, patet, ipsam propositionem, qua excerebratoria instrumenta tanquam artis gravioris proficua media de prædicat & forcipibus præfert, ex integro collabi; super hac re iudicium artis Magistrorum posco, meritoque dubito, vix ullum esse, qui non his forcipes anteponat, & doctrinam ROEDERERI non solum contra religionem, omne sacrum & profanum, sed & contra ipsam humanitatem militare, scripto, si opus est, signet. Et sane quid violenta ista cerebri extractione perpetrat, præter infantis, si vivit, homicidium, aut laborem, si mortuus is fuerit, plane inutilem? An ideo finitum est totum negotium? non videtur. Ipso enim monente (*k*), *quod si nondum caput sequatur* (effuso scilicet cerebro) *forceps demissa fœtum extrahat.* Igitur ad forcipis usum semper redit, at perperam, uti id facile patet ex considerandis; ut enim caput a forcipe arcte prehendatur, prehensum extrahatur, debet transversalis capitis diameter multum excedere diametrum transversalem forcipis iunctæ & clausæ, alias enim vix comprehendi posset, nec compressum resisteret, quin potius attracta forceps supra inane cranium elaberetur semper; at in casu ab Auctore proposito perforatorio ruptum est cranii tegmen (*l*), cochleari exemtum cerebrum (*m*), serræ ope cranii frustula excisa sunt (*n*); capitis igitur transversalis diameter nec solidus est, nec resistens, sed potius elastica, facile compressibilis, vacua, unde impossibile est, a forcipe caput ita arcte prehendi posse, ut extrahi queat; hinc forcipem delabi, eaque incommoda sequi, necesse

(*k*) §. CCCCXXII. ubi omnia artificia recenset, quibus caput convelli & educi potest.
(*l*) . CCCCXVIII.
(*m*) § CCCCXXII. β.
(*n*) §. CCCCXX.

ceſſe eſt, quæ ille forcipi caput integrum reſiſtens prehendenti adeo lepide obiecit, & in illo caſu, ubi cerebrum e capite extractum eſt, diſſimulat, dum *violenter deiectas forcipes vaginam vulnerare, caput trahentes eandem cum urethra & perinæo dilacerare, copioſasque ſtrages edere,* aſſerit. Sed qualis etiam re vera poteſt eſſe forcipis uſus, in caſu perforati capitis, & cochleari excerebrati? nullus ſane eorum, qui artificium ROEDERERI adhibet, ad extrahendum caput comminutum eadem utitur, ſed vel manu prehenſo collo, vel faſcia huic circumiecta, vel unco intruſo, cadaver protrahunt, quæ omnes methodi, in hoc caſu, illa, quæ forcipe tentatur, præferendæ ſunt. Optime ſane, quum eundem errorem erraſſet MOWBRAY (*o*), æquiſſimus CHAPMANNVS his verbis illum reprehendit (*p*): *Virum ignorantiæ arguere non vereor, quod de forcipibus loquens, quo modo caput excerebrandum, & excerebratum his educere velit, agat, licet evidenter ex noſtris principiis pateat, ineptam prorſus eſſe forcipis ad excerebrata capita extrahenda applicationem.* Ex his ergo omnibus ſequentia iam demonſtrata colligo:

I. Forcipis uſum in caſibus §. XXXVII. propoſitis vere eſſe indicatum, & præferendum inſtrumentis a ROEDERERO deprædicatis.

II. Forcipem præciſe in illis caſibus & circumſtantiis, ubi ROEDERERVS eam adhibendam vult, nulla tenus convenire.

III. Ex ſpeculatione ſola, eaque ſatis rudi & indigeſta, contra forcipum uſum pro perforatoriis pronunciaſſe.

IV. Denique in ſimilia præcepta artis magiſtros non ſatis ſevere animadvertere poſſe, Magiſtratuum autem curam eo directam eſſe debere, ut talia præcaveantur facinora. Ne

(*o*) Of ſemal phyſician, Sect. IV. Cap. XIX.
(*p*) Lib. cit. Cap. I.

Ne verò quis forcipis universalem in arte usum esse autumet, nunc etiam illos casus, in quibus illam adhibere non convenit, adducam.

§. XLV.

Contraindicatur autem forceps, inprimis *Levretiana* (de qua hic speciatim sermo mihi est), imo & aliæ reliquæ in pluribus aliis casibus,

I. in mala conformatione pelvis, eaque tali, quæ forcipis diametrum introduci negat, atque tunc ROONHVYSII forceps tentanda erit (*q*).

II. Ubi grandior capitis diameter ingressum eius in pelvim non permittit, & profundissime adacta forcipe firmiter illud prehendi nequit, ut compressum educi queat, quo casu exspectandum, ut incuneatum evadat. Conf. §. XLVI.

Quid vero præsente prima contraindicatione agendum sit, recte in præsenti quæritur; quod ut determinem, sub duplici facie casum considerandum duco; vel enim ab initio laboris mala conformatio pelvis observatur, capitis traiiciendi, ob nimiam eius molem, impossibilitas præsentitur, & vita fœtus adhuc præsens indagatur; vel nihil horum animadversum, &, lapsis in deteriora rebus, infans etiam mortuus est: in primo statu, dum nulla plane a quibuscunque demum forcipibus speranda est salus, apertionem cæsaream, validis adhuc matris viribus, uncorum & perforatoriorum, cuiuscunque demum naturæ fuerint, artificio præferendam, recte voluit Clarissimus WINSLOVIVS (*r*), licet, re non satis examinata, ROE-

DE-

(*q*) Hæc enim cum unica tantum lamina constet vectis, latitudinisque diametrum unius saltem pollicis habeat, facile introduci potest.

(*r*) In Quæst. medico-chirurgica: *An ad servandam præ fœtu matrem obstetricium hamatile minus anceps & æque insons, quam ad servandum cum matre fœtum sectio cæsarea?* Parisiis, 1744.

DERERVS & plures alii ad perforatoria confugiant, & illico infanti violentas manus inferant; hoc posterius vero impium esse, iam Ecclesiæ doctores omnesque Theologi, inhumanum vero omnes sana utentes ratione dixerunt, unde etiam in hoc ulterius dilucidando nervum non intendam. Antequam vero ex integro hanc materiam dimittam, medium DEISCHII systema adhuc examinandum venit. Hic equidem (s), dum certa vitæ fœtus adsunt signa, homicidium cum aliis prohibet; verum dum certa colligi non possunt, illud permittit, his verbis: *Contra omnes leges tam religionis, quam summorum imperantium, militat, infantem, de cuius vita adhuc certa sunt signa, ad salvandam matrem, occidere; interim in hoc casu (capite nempe impacto) signa de vita infantis tam incerta sunt; capite enim pelvim ingresso, aquisque effluxis, infans a contractione uteri tali modo premitur, ut non amplius se movere queat, & licet se moveret, a matre partim ob dolorum vehementiam, partim ob convulsionum præsentiam, non percipitur, introductio manus vero, ad funiculum umbilicalem palpandum, a capite in pelvim firmiter presso, in totum impeditur; arteriis enim umbilicalibus in systole & diastole constitutis, de eius vita certi esse possumus, sed in hoc casu experiri non licet, alia vero signa valde dubia sunt; aggreditur itaque obstetricans instrumentis non infantem de cuius vita certus est; & sicuti in iure inculpatæ tutelæ permittitur, aggressorem, mortem nobis minitantem, nisi depelli aliter possit, e medio tollere, cur non obstetricans infantem, tanquam aggressorem matris, non aliter depellendum, de cuius vita insuper incertus est, ad vitam matris conservandam, e medio tollat?* Verum tamen hoc systemate & eius rationibus rite examinatis, non deprehendo virum istum veritatem methodo WINSLOVIANA quæ-

(s) In Dissertat. inaug. *de necessaria in partu præternaturali instrumentorum applicatione.* Argentor. 1740.

quærere voluisse, atque in eadem ac alios omnes sententia esse, imo ut homicidia aliorum, & sua excusaret, iam iuuenem studuisse; fucum enim facit, dum motum infantis, tempore dolorum & convulsionum a matre non perceptum, dubium quoddam de vita infantis concitare posse contendit, quum tamen in partu etiam maxime naturali mater fœtum, postea vivum editum, sæpius moveri non sentiat, imo & ipso hoc tempore perceptus motus parturientem sæpe fallat. Sic Lutetiæ Parisiorum casum vidi, ubi iam a XLIV. horis, effusis aquis, infantis sui motum sæpe se percipere asserebat parturiens, & id circo illum adhuc inde certo vivere adstantibus persuadebat, LEVRETO tamen non imposuit, qui forcipe prævio incuneato capiti applicata, maceratum & dissolutum brevi eduxit cadaver. Non minus etiam hallucinatur, dum introductam pro palpando fune umbilicali manum cum priori solum tanquam certum vitæ infantis signum statuit; in nullo autem casu ultimum hoc facere expedit, & rari sunt, qui prævio capite prodeunt & in quibus illud licitum est, quemadmodum etiam primum iterum raro adest, sæpiusque adhuc fallit. An igitur ideo, si non facile progreditur, mortis censendus reus infans est, quoniam hæc duo obscura vitæ signa non adsunt? certe id prorsus ridiculum videtur; quin hodie DEISCHIVS praxi alia didicit, ut ex eius observationibus patet. Merito ergo nunc concludo:

1. Inculpatæ tutelæ legem, qua infans accusatur, quod aggressor matris sit, & ex hoc capite occidendus reputatur, esse præpostera Iustiniani Codicis a Medico interpretationem, in criminis deliberate patrati, aut patrandi excusationem, maxime in casu proposito, excogitatam.

2. Capite in pelvim impacto inutiliter de signis vitæ vel mortis fuisse sollicitum Auctorem, quum hic partus, sive

vivus, ſive mortuus ſupponatur, forcipe abſolvi, non unco aut perforatorio cruentari debeat (*t*).

3. Deischivm & reliquos omnes, qui hancce tetigerunt materiam, in eo maxime peccaſſe, quod caſus inſtrumento ſalutari, absque effuſione ſanguinis, terminandos, fuſcitarint non vero tales, quos partus circumſtantiæ deſperatos faciunt, & iam natura ipſa, omneque auxilium, mortalibus cognitum, pro calamitoſis declarant, in quibus tamen pondus & vis quæſtionis vertitur. Sic v. g. ſi exhauſtis iam matris viribus ſerius advocetur obſtetricans, in caſu, ubi infantis pravus ſitus aquarum ſimultaneum & præpoſterum effluxum concitavit, ut partus ex ſiccitate vaginæ difficilis evadat; ubi adeſt continuus, ob irritationem, in utero ſpaſmus, ut ex contractione violenta uteri, & conglomeratione fœtus, impoſſibilis evadat verſio, nemo eſt, qui non intelligat iam hac via præcluſam ſalutem. Adhibeatur nunc forceps, licet non omnimode indicata, tanquam ſola, qua infanti vita ſervari poteſt, anchora, flectatur etiam, ſumma licet cum prudentia, inutili labore inſtrumentum, ne hilum tamen proficiet obſtetricans; interea inflammatione tentari uterus, peius habere mater, & vivere forte adhuc poteſt infans. Hic caſus eſt is, qui vere in problemate quæritur; nam partus

(*t*) Hinc etiam peſſime Dn. Mittelhæuser Diviſ. 7. Lib. cit. poſito eodem caſu, matre nempe in ſtatu peſſimo conſtituta, & infantis capite intra pelvim impacto, ſimulque præſentibus incertis vitæ ſignis, Num. 8. concludit, *vitam matris certam incertæ infantis eſſe præferendam* & Num. 9. *etiam infantem, ſeu vivum, ſeu mortuum, in partes comminuendum*, encheireſibus perforatoriorum & uncorum, ibidem deſcriptis; verum tamen non vereor iterum hic affirmare, has encheireſes hic non indicari, nec neceſſe eſſe ut trucidetur infans, pro ſalvanda matre, ſed ſi vivus is adhuc eſt, utrumque forcipe ſalvari poſſe, nec aliter debere.

tus nullo auxilio cognito ſalvari in noſtro, in illis vero a DEISCHIO & aliis aſſignatis facile poteſt (*u*).

§. XLVII.

Quid vero in ſecundo caſu, ubi, præſente mala pelvis conformatione, nec capitis moles traiici, nec forceps auxilio eſſe poteſt, inſuperque infans iam mortuus eſt, remedio ſit, alibi monui, & forcipibus & uncis tunc perforatoria aptiora ſtatui.

§. XLVIII.

Licet vero a modo operandi cogitandique *Rœderiano* totus abſim, illumque DEISCHII in propoſito ab illo caſu damnem, non tamen etiam pii WINSLOVII noſtri ſententiæ aſſentiri poſſum, qui in omni caſu, ex eo, quod *fœtus omnino ſit inſons, inſons omnino mater, fœtus inſons reſpectu matris, mater inſons reſpectu fœtus, neque fœtum inſontem, ut ſervetur mater, neque matrem inſontem, ut ſervetur fœtus, occidere, ulla unquam directa intentione licere* ſtatuit, atque idcirco pro operatione cæſarea concludit, eamque auctoritate HELVETII, iam anno 1731. in *Hiſtoria Regiæ Scient. Academ.* confirmata, dicentis: *Ne dicas cæſareum partum in certa deſperatione dubiam ſpem eſſe* (*w*), corroborat. Verum tamen ex ipſiſſimo WINSLOVII argumento (*x*) id tantum recta inductione conſequor, eſſe tunc utrumque ſuo fato, certa excepto morte, relinquendum, minime vero operatio-

(*u*) Atque tunc ſecundum diverſas caſus circumſtantias appropriata eligi inſtrumenta poſſunt, baptizato tamen ſub conditione prius fœtu, cui & in fune umbilicali conferri baptismum poſſe, decrevit *Conſiſtorium Viennenſe* anno 1754.

(*w*) In Theſi: *Ergo in partu difficili ſola manus inſtrumentum* Pariſiis, 1744.

(*x*) Quod inter Theologos & Iuris conſultos difficultatibus haud caret.

nem cæsaream instituendam, quod hac multis in casibus suscepta, directa intentione occidatur mater, ut servetur fœtus, quod licet non velit, accidere tamen sic demonstro.

Primo omnes omnino obstetricantes, qui hisce calamitatibus interfuere, & alii qui has rite perspexere (*y*), felicem operationis successum & salutem utriusque unice ex statu recenti & vegetis adhuc matris viribus pendere; diuturnitate autem partus laborum attritis matris viribus, eidem cum ferro mortem in abdomen immitti, unanimes statuere. Hoc igitur ultimo in casu, his sub circumstantiis, insontem matrem, ut servetur fœtus, suscepta operatione cæsarea, directa intentione occidi, quis non intelligit?

Alterum est, quod, præter circumstantiarum matris rationem quandoque ipsa partus conditio adeo iam deplorata sit, ut operationi cæsareæ repugnet, quod a nullo video animadversum. Sic v. g. contingere potest ex ignorantia & inscitia obstetricis, ut, utero quam maxime obliquato, oblique caput, vehementia dolorum, in angustiorem pelvim impellatur, ibidem incuneatum subsistat, humeri ossi sacro & pubis innitantur, pariterque ibi coarctentur (*z*), ac tandem, de-

(*y*) Sic in Thesi: *Ergo ubi partus difficilis ac desperatus, tentanda etiam in matre viva sectio uteri cæsarea* Parisiis, 1744. defensa, Clariss. Besse §. V. habet: *Vt tamen mentem luculenter aperiam, observandum, me non cuilibet indistincte mulieri difficulter parienti operationem meam imponere. At si nulla spes partus naturalis affulgeat, idque ex probe cognito ac insuperabili impedimento, si sit aliunde mulier sat vegeta, nec diuturna nimis partus exspectatione viribus omnino destituta, iam cunctari ridiculum artique indecorum.* Qua occasione monere simul placet, hanc D. Besse Thesin a *Connallo ô* Connell, Hyberno, pro inaugurali sua ad verbum fuisse descriptam & defensam Lugduni Batav. anno 1751. citra tamen ullam furti factam mentionem.

(*z*) Talem casum Deventervs proponit.

desperato post plures dies malo, advocetur obstetricans. Dum ergo incuneatum caput loco dimoveri nequit, nec humeri depelli possunt, nullaque ex sagacissima, sæpius licet repetita, multorum forcipum applicatione procuranda est salus, ipse vero interim adhuc vivus manet fœtus, quid facto opus? HELVETIVS, WINSLOVIVS & alii tunc operationem suadent cæsaream. Instituatur ergo, apertoque utero constabit, non posse eximi fœtum; est enim, dolorum vehementia, in angustiorem pelvim infixum caput intercepta circulatione ita auctum & tumidum factum, ut exacte totam pelvim adimpleat; hinc a capite truncum potius abrumpas, quam caput ex hac angustia extrices; sed quænam foret hæc calamitas, si hoc accideret? signaretur utriusque morte operatio.

At casum talem etiam prævisum, & operationem cæsaream idcirco non commendatam fuisse, dabo; iterum nunc, quid consilii, rogo? utrumque placide mori sinunt, ex adducto argumento; quam vero id durum, crudele, barbarum & inhumanum sit, non ita quidem verbis exprimi potest, quam quidem sub ipso hoc calamitoso statu ad parturientis lectum sentitur. Est ergo omnino, in casu tali dubio, decisio pro vel contra operationem cæsaream adeo periculosa, ut qui in hanc vel illam partem inclinare, & eam, quæ minus discriminis offert, amplecti velit, non in musæo libris circumvallatus esse debeat; ex mea tamen parte in casu hoc proposito operationem istam absolute contraindicari, & eadem instituta homicidium deliberatum fieri, merito iudico.

Tertio quoque præter circumstantiarum matris rationem, & præter partus naturam, cæsarea operatio contraindicatur per mortem fœtus. Si enim fractis iam parturientis viribus illa institueretur, ad salvandum, ut putabatur, utrumque, fœtus vero iam diu emortuus esset, & dein post sectionem

nem etiam vita defungeretur mater, quæ, remoto & ablato per vias naturales fœtu, certius potuiſſet ſalvari, quis hac operatione vitam matris perditam eſſe negabit? Accedit huc, quod, aſſentiente ipſo WINSLOVIO, *maximam partem incerta ſint & fallacia, quæ proponi communiter ſolent, diiudicationis* (vitæ vel mortis) *in utero iudicia.* An igitur in omni caſu, ubi de vita fœtus non manifeſto conſtat, & fœtus iam emortuus eſt, ſuſcipi cum conſcientia operatio poteſt? nam, ſicuti caſum DN. PEV, ex ſignis fœtus emortui & iam putreſcentis decepti, in operationis cæſareæ ſuſcipiendæ confirmationem flectit clariſſimus WINSLOVIVS (*a*), ita & mihi liceat caſum WINSLOVII, ex ſignis fœtus vivi & operationem ſuſtinentis pariter decepti, in operationis cæſareæ contraindicationem & contemptum matrisque homicidium deducere.

Quarto denique, quod auctoritatem HELVETII, & caſum in *Hiſtoria Academiæ Reg. Scient.* expoſitum ſpectat, hanc precariam, &, ex Theſeos ab illo exhibitæ lectione, admodum infirmam ſtatuo (*b*); in caſu vero ab ipſo HELVETIO Academiæ communicato operationem non ſatis liquido indicatam, & contra artis præcepta ſuſceptam fuiſſe iudico; taceo, quod male delineatus caſus, de infantis non ſolum vita, ſed & omnibus circumſtantiis ſilens, prorſus nihil demonſtret.

§. XLIX.

Ex his omnibus bene conſideratis luculenter patet, ſectionis cæſareæ utilitatem non adeo ſolide & vere, quam quidem multi gloriantur, in omni caſu etiam indicato, eſſe comprobatam. Nam licet *Acta Academ. Chirurg. Pariſ.* feli-

(*a*) In modo citat. Theſi.

(*b*) Contra Chirurgos enim Pariſinos maxime compoſita videtur; ſed malo ſucceſſu artem non ſufficienter edoctus doctis ſcripſiſſe videtur.

felicēs operationis huius ſucceſſus quamplurimos congeſſerint, infelices plerumque tacuerint, caſus etiam, in quibus hæc vere indicatur, maxime ex Doct. Pariſ. Dv Bois (*c*), & Besse (*d*), theſibus excerpſerint (*e*): minime tamen eadem, adductis Medicorum opinionibus vaſtiſſimisque diſſertationibus, qualemcunque demonſtrarunt certitudinem. Operationem cæſaream cum ſucceſſu factam, & ſæpius, quam quidem fieri ſolet, inſtituendam eſſe, ante illos iam dudum dixerant Medici, nec eorum oracula exſpectata ſunt, ut determinarentur caſus, in quibus maxime conveniret (*f*), & hoc tamen omne eſt, quod recoxere. Quanto ſatius autem fuiſſet, poſſibilitate, ſucceſſu, utilitate, indicationibus probatis & demonſtratis, contra-indicationes ponderare, quibus præſentibus, & indicationes exſuperantibus, ſine deliberata matrem occidendi intentione ſectio ſuſcipi nequit, quod licet iam in prioribus ſatis liquido evicerim, hic adhuc caſu ſingulari ex ipſiſſimis Actis, a ſodali quodam Academiæ communicato, confirmatum dabo, quem, ut verſione non corrumpatur, in ipſa gallica lingua hic exhibeo (*g*): *Mrſ. de la Roche fut prié de ſecourir une femme, qui ſouffroit depuis dix-ſept jours des douleurs pour accoucher. Une ſage femme trop peu éclairée pour voir que l'accouchement ſeroit impoſſible, avoit fait indiſcretement pluſieurs tentatives inutiles.*

(*c*) *Ergo fœtus extra uterum genitus ſalva matre poteſt excludi.* Pariſiis 1727.

(*d*) Theſi ſupra cit.

(*e*) Quare ſummopere miror, quod in gloriam Heisteri pag. 324. dixerit, per quadraginta annorum ſpatium in colligendis aliorum operibus occupatum fuiſſe hunc Virum, quum tamen ipſi ex proprio penu de operatione cæſarea nihil deprompſerint.

(*f*) Quoniam in binis citatis theſibus omnes illi caſus iam exhauſti ſunt.

(*g*) *Memoires de l'Academie de Chirurg.* Tome II. p. 313.

utiles. Mſr. de la Roche reconnut par le toucher la mauvaiſe conformation des os du Baſſin & qu'a l'endroit où la derniere vertébre des Lombes eſt jointe a l'os ſacrum, il y avoit une ſaillie, qui empêchoit la tête de l'enfant d'avancer. Cette conformation vicieuſe fut encore mieux conſtatée par la difficulté inſurmontable, que ce Chirurgien trouva à introduire la main dans la matrice pour retourner l'enfant. Voyant alors que les reſſources de la Nature & de l'art n'auroient aucun effet, pour terminer l'accouchement par les voies ordinaires, il fit l'operation Céſarienne; mais on avoit attendu trop long-tems, on ſauva néanmoins la vie a l'enfant: la mere vêcut cinq jours; elle eut pendant ce tems des hoquets & des mouvemens convulſifs, il ne ſortit point de lochies & le ventre reſta toujours tendu. L'ouverture du cadavre confirma la juſteſſe de l'examen qu'avoit fait Mſr. de la Roche, & la preuve del'impoſſibilité de faire l'accouchement par les voies ordinaires. On trouva qu'il n'y avoit qu'un intervalle de deux doigts entre la derniere vertébre des lombes & l'os pubis; la matrice êtoit dure, fort engorgée, gangrenée dans quelques endroits, & ſon volume etoit presqu'auſſi grand que lorsqu'elle renferme un enfant à terme. Hunc caſum qui debita cum attentione ponderat, attonitus procul dubio mirabitur ſummam iſtam audaciam & temeritatem. Si enim ſolius propriæ ſuæ rationis ope inquirit, cur operatio ſuſcepta ſit? an in fœtus, an in matris ſalutem? facili ſane negotio facti rationem aſſequitur, illamque præpoſtere inſtitutam metuit; in quo eo magis adhuc confirmabitur, ſi hæc ſimul Auctoris verba perpendet: *Il fit l'operation Céſarienne, mais on avoit attendu trop longtems;* id eſt *operationem Cæſaream molitus eſt, at ſero nimis*, quaſi diceret, ſalute matris iam decocta, ſpe ſucceſſus iam exciſa, ita ut ſi matrem ex operatione emergere contigiſſet, præter omnium exſpectationem factum id fuiſſet; verum

verum dum iam eo usque deducta est calamitas, ut præter omnium exspectationem mater emergat, deliberate equidem occidi matrem, si secatur, omnes sine magna attentione intelligent. Ut autem rationem crimini obtenderet Dn. SIMON, hanc sectionis causam allegat: *Voyant alors, que les ressources de la Nature & de l'art n'auroient aucun effet pour terminer l'accouchement par les voies ordinaires, il fit l'operation Cèsarienne;* id est, *videns igitur, partus per viam naturalem excludendi spem & naturæ, & arti esse præclusam, exsectioni incubuit*; at & huius causæ & rationis fucum veritas brevi diluit, nebulam propulsante ipso Dn. SIMON, hic loci sui oblito; pag. enim 311. eiusdem Dissertationis, ubi in HEISTERVM animadvertit, *versatissimi*, inquit *in arte obstetricia viri talem pelvis dispositionem, quæ infantem unco protrahi neget, dari non assentiuntur.* Quodsi ergo hoc, ut verum, contra HEISTERVM illo in loco valuit, etiam contra se ipsum hic loci valeat, & iam dicat: *an adhuc arti partum per naturales vias absolvendi spes fuerit præclusa?* Taceo, quod ipsa relatio, visaque post mortem pelvis, virum falsi convincant (*b*). Sed hoc satis est de mala operationis susceptæ causa; iam de christiano fine, an is in fœtus, an in matris salutem fuerit directus? Neutrum horum iterum recto rationis sensu assumi potest; fœtus enim vitalitatem ex nullo signo sensibili cognovit, nec ratione certe, post septendecim dierum labores ad partum perpessos, facile assequi poterat. Taceo, quod in tota casus descriptione de infantis vita nullam prorsus fecerit mentionem, adeoque in salutem fœtus, quem tantum præsentem esse novit, an vero vivus aut mortuus, ignoravit, operatio non suscepta est, multo minus in salutem matris, quum nimium temporis iamiam præterlapsum fuerit, ut ab ea vitæ matris conservatio sperari potuisset, prout ipse testatur Dn. SIMON; & revera

 nulla

(*b*) Licet contrarium, ut Collegam excusaret, concludere annitatur.

nulla plane amplius ſupererat ſpes, per integros ſeptendecim dies continuis fere doloribus enervatam parturientem, dirisque obſtetricis encheireſibus cruciatam, graviſſima operatione ſalvandi. Hinc etiam, extinctam illam fuiſſe, mirari haud licet; fœtum vero vivum exemptum fuiſſe, fortuna magis, quam obſtetricantis præſcientia ſibi vindicat. Quodſi forte obiiciat, an perforatorio occidi & unco diſcerpi debuiſſet? reſpondeo, ſi hæc adhibere voluiſſet inſtrumenta, tunc, baptizato prius fœtu, occiſum quidem hunc fuiſſe, de quo, an viveret, non conſtabat ex hiſtoria, ſed tantum ex rei eventu; aſt, hoc modo homicidium ex ignorantia forte invincibili (*i*) patratum, non vero temerarium & deliberatum fuiſſe.

§. L.

Ex his nunc merito concludo:

1. In caſu deſperato, ubi partus arte opitulante per vias naturales abſolvi adhuc poteſt, exhauſtis matris viribus, operationem Cæſaream non eſſe ſuſcipiendam.

2. Etiam in initio partus, ſi contra indicantia graviora ſint indicantibus, ſine determinato homicidio illam non eſſe admittendam; qualis caſus eſſet, ubi ex pulmonum gravi ulcere tabida iam & morbo fracta parturiens, concurrente ſimul mala conformatione pelvis, incaſſum laborat, & partus per viam ordinariam a natura excluſio ſperari non poteſt. Tunc enim ſtricte concludendum eſſe exiſtimo, quod, ſi non licet inſontem vivum fœtum inſtrumentis tentare, ut ſalvetur mater, etiam non liceat inſontis matris, viribus fractæ, mortem operatione accelerare ut ſalvetur fœtus, quod & in caſu hæredis Imperii verum eſt.

3. A morte infantis, partu tantum per vias naturales mediante diſſectione poſſibili, operationem cæſaream contra-

in-

(*i*) Quia ex caſu modo deſcripto non eluceſcit, an exactum examen inſtitutum fuerit.

indicari, & nunquam sine certis vitæ signis susciendam esse; unde cœco impetu, sine artis præceptis, illam a Dn. la Roche susceptam affirmo.

4. Eadem *Acta* post Dn. *du* Bois, Doctoris Parisini defensam thesin, non satis prudenter sectionem suadere in conceptionibus abdominalibus, tum ex metu infelicis placentæ adhæsionis, tum ex incertitudine signorum talium conceptionum, quam etiam in casu Cypriani invenio, licet confidenter in hoc recte illam instituisse potuisse ex rei eventu asserant; qua in re ut cum Diis consilia communicarent, necesse non habuere, quod ubique terrarum & ipsæ vetulæ eventis consilia facile adaptent. Sed vellem tantum in casu tali constitutos videre viros, & compotem sui cognoscere, qui in suum discrimen inque propriam vitam rem istam suscipiat; experimentum enim facili potest institui negotio, ubi temeritatem nulla pœna sequitur. Ceterum de his omnibus legi meretur Doctiss. Levreti, *de operatione Cæsarea*, exigua, at nervosa & vera *commentatio* (k).

§. LI.

Iam æqua casuum, in quibus varia instrumenta adhiberi debent, facta æstimatione, merito quæritur: an cum fundamento rationis Viri quidam sat celebres instrumenta ex artis finibus penitus proscribere possint? Viardelvs & Lamotte, Galli, Deventervs, Belga, Manningham & Mowbray, Angli, hanc sententiam scriptis defenderunt satis pervicaciter, licet speculationem tantum, non praxin, in consilio haberent. In gloriam autem horum virorum id unice, cum omnibus aliis obstetricantibus, dici posse reor, hos aut artem vix exercuisse,

(k) *Suite des Observations*, Artic. IX. Dolendum sane est, illi huius argumenti materiem non fuisse commissam; elaborasset sane verius & prudentius, & hodie intelligeremus plura, quæ diu forsitan in abscondito latebunt.

aut adeo felices in hac semper fuisse, ut ipsis difficiles & inveterati partus casus nulli inciderint. Quidquid sit, DEVENTERVS & MANNINGHAM, qui illum secutus (*l*), *duos tantum casus dari arbitrantur, ubi instrumenta usui esse possunt, sciilicet si infantes, ob monstrosam magnitudinem totius corporis, aut partis alicuius, pelvim proportione sua nimis parvam integri transire prorsus non valeant, aut si propter negligentiam vel insciti am obstetricis, in utero quam maxime obliquato, infantis recti versi caput in angustam cavitatem pelvis delapsum inibique simul cum humeris adeo coarctatum sit, ut ad impetum dolorum validissimum ne minima quidem percipiatur descensio, talibus casibus,* addunt, *quibuscunque remediis frustra tentatis, ut saluti matris consulatur, infantem illum tanquam mortuum oportet tractare & extrahere.* Ex hoc loco nunc iudico, de illis instrumentis loqui viros illos, quæ infantem certo certius occidunt, adeoque veram forcipum cognitionem eosdem non habuisse, multo minus horum usum intellexisse. Quod vero forcipes non norit DEVENTERVS, mirandum sane est; nam fratres CHAMBERLINI in Britannia, ROONHVYSIVS in Batavia, hoc instrumento clari habebantur; DEVENTERVM vero in compendio sistentem MANNINGHAMVM forcipum eximium usum, qui tamen hodierna die ubique inclaruit, ignorare velle, hoc captum superat: nihil enim tam deforme esse reor, quam integræ Auctoris descriptioni summos eius errores iungere, eundemque simul sequi; prius sterilis ingenii, posterius acerbe imprudentis nota habetur.

§. LII.

(*l*) Nam DEVENTERVM in compendium redactum ad verbum fere exhibuit, citra tamen quod compilator videri velit, & a Celeberr. BOEHMERO habeatur, ut ex præfamine novæ eius editioni præfixo, apparet. Sic & Dn. de KNOER DEVENTERI figuras & verba in novo quodam libri titulo germanice exhibuit, Lipsiæ 1747. licet huius Auctoris *novum lumen* quarta iam editione germanice impressum prostet *Ienæ* 1740.

§. LII.

Ut autem quæ mea sit mens circa DEVENTERI & eius asseclarum, de applicatione instrumentorum, sententiam, exactius pateat, duabus hisce propositionibus eandem sistere lubet:

1. Instrumenta in duobus illis casibus indicata quidem esse, alia tamen iis, quæ prædicti Auctores statim adhibenda volunt, prius tentari debere.

2. Varia variis in casibus, & aliis, quam his duobus, perquam utiliter & necessario sæpe adhiberi.

§. LIII.

Primam equidem propositionem, ut res clarior evadat, sub triplici conditione examinare lubet: Si enim capitis ingens moles partum plane impossibilem reddit, simulque bene conformata est pelvis, tunc forcipe tutius, quam unco, negotium tentatur, nec hic video, quod *infans vivus ut mortuus tractandus veniat;* si vero ex nimis parva pelvi invincibile partus obstaculum emergat, atque inutilis sit forcipum effectus, tunc nulla arte mortalibus cognita, nisi in initio, validis adhuc matris viribus, cæsarea sectione servari uterque potest; nam lapsis in deteriora rebus, solum in salutem matris superest DEVENTERI consilium, in salutem fœtus WINSLOVII, utrumque vero sine unius aut alterius morte in actum deduci posse §§. XLVI. & VIII. statui. Tertia denique conditio est, ubi priorum casuum difficultates confluunt, monstrosa scilicet magnitudo capitis, & pelvis angusta, aut præpostera configuratio; at huius casus iam in priore adumbratum auxilium est. Quod vero negligentiam aut ignorantiam obstetricis spectat, illo in casu, ubi, utero quam maxime obliquato, infantis recte versi caput in pelvis inferiorem nimis angustam regionem delapsum, ibique simul cum humeris coarctatum est, impossibili simul sub his circumstantiis & in casu

ta-

tali ſuppoſito, exiſtente fœtus nova verſione, tunc prius forceps tentanda venit, irritoque tali labore & ſpe omni partus amiſſa, in ſtatu hoc deſperato ita ſe gerere debet obſtetricans, ut Deo & ſibi ſatisfaciat, nec certas hic illi poſſe præſcribi leges iam §. XLVIII. monſtravi.

§. LIV.

Quod vero alteram attinet propoſitionem, etiam aliis in caſibus, quam in illis duobus, varia inſtrumenta perquam utiliter, imo & neceſſario ſæpe adhiberi, patet eius veritas ex ante dictis, ut & in variis aliis caſibus, quos breviter hic recenſere placet. In caſu capitis a corpore avulſi & in utero relicti, de quo tamen DEVENTERVS & MANNINGHAM prorſus ſiluerunt, multa ſæpe in uſum vocanda ſunt alia adminicula, quorum varia ex variis Auctoribus collegit LEVRETVS (*m*), cuius, quod in hac materia alios longe antecellit, ſummam examinis hic ponam.

1. Rariſſime, ſi unquam, naturæ hoc committendum negotium eſſe; quodſi enim deſperatum ſæpe ipſa abſolvit, ſæpius adhuc eodem victa artisque auxilio deſtituta, occubuit.

2. Antiquiſſimam a CELSO (*n*) in hoc caſu propoſitam methodum adeo tenuibus rationis fundamentis inniti, ut vix chirurgica haberi poſſit.

3. Uncorum acutorum, ſcindentium, obtuſorum, incurvorum, forficularum, cultrorum, ſcalpellorum, pedum grifinorum, ſimplicium aut duplicatorum, qualia inſtrumenta a PARAEO, GVILLEMEAV, MAVRICEAV, LAMOTTE & DIONISIO propoſita fuerunt, periculoſiſſimum æque ac plane inutilem ſæpe uſum eſſe.

4. Re-

(*m*) *Obſervations ſur les cauſes*, &c.
(*n*) Loc. cit.

4. Reticulis compositis, a MAVRICEAV, CHAPMANNO, AMANDO & WALDGRAVIO inventis (*o*), operam inutilem ludi.

5. Tentandam illico, facta capitis a corpore avulsione, manu in uterum immissa, & digitis maxillam inferiorem prehendentibus, aut digito in foramen occipitis introducto, capitis extractionem, qua methodo minus succedente, tribrachialem a se inventam forcipem LEVRETVS (*p*) commendat, hodieque simul curvam adhibet; ego in hoc casu aut hac, aut *Smelliana Blunthoock* uterer.

§. LV.

Indicantur adhuc instrumenta in casu, priori e diametro opposito, dum a corpore avulsum caput est & in utero truncus hæret. Sub his circumstantiis, si alia media & artificia inutilia sunt, vaginalem uncum, in hanc indicationem constructum (*q*), adhibet LEVRETVS. Sic quoque in casu infantis ad nates duplicati, atque hac corporis positione difficulter emergentis, eximii usus esse potest Doctoris SMELLIE *Blunthoock*, ut & eius forceps. In abortuum placentis extrahendis, excutiendis molis (*r*), polyporum forcipes adhibentur. In operatione cæsarea, ut & aliis variis casibus, adhuc varia. Quis autem sit in connatis, ad caput, pectus, abdomen, dorsum, aut alias partes, monstris, instrumentorum

(*o*) *Filet* Angli, *Coëffe* Galli vocant. Dissertationem de hoc instrumento integram, ut & figuram exhibet AMANDVS, *Nouvelles Observations sur la pratique des accouchemens.* a Paris 1715. MAVRICEI vero & WALDGRAVII reticuli figuram dedit in citata Dissertatione VOIGTIVS.

(*p*) Vid. *Observations sur les causes* &c. ubi figuram eius exhibet.

(*q*) Tab. I. *Suite des Observations* &c. hic delineatur.

(*r*) Quæ nihil aliud sunt, quam emortuorum fœtuum placentæ.

rum uſus? an in horum electione & applicatione ſemper bene egerint practici, in præſenti non inquiro. *Quilibet in his caſibus*, inquit LEVRETVS, *pro virili agere debet, ut ſe quam prudentiſſime extricet.*

§. LVI.

Ex his omnibus rite conſideratis luce meridiana clarius patet, male damnatum fuiſſe in arte inſtrumentorum uſum, multis in caſibus perquam neceſſarium; limitatam vero, a nobis, recte fuiſſe diverſorum applicationem; denique *forcipis Levretianæ curvæ*, forte & *Roonhuyſianæ* (*s*), perpetuum, in caſibus indicatis, & præeminentem eſſe debere uſum; uncorum autem & perforatoriorum, nonniſi in deſperatis, perrarum admodumque circumſpectum, quod ut eveniat, ex animo opto.

(*s*) De qua inpoſterum obſervationes promitto, quum hactenus utilitatem eius experiri mihi non licuerit.

DIS-

DISSERTATIO EPISTOLARIS

ad

VIROS

Illustres atque Excellentissimos

Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Academiæ Naturæ Curiosorum

PRAESIDEM

DN. D.

ANDREAM ELIAM BUCHNERVM

reliqua,

et

DIRECTOREM

DN. D.

CHRISTOPHOR. IACOBVM TREW

reliqua,

Viros tam de erudito orbe, quam de universa Republica medica insigniter meritos,

in qua

SENTENTIA

de

DIFFERENDA HYDROPICORVM MORTE PER EFFICACISSIMAM SCILLAE VIRTVTEM TRIBVS OBSERVATIONIBVS EVINCITVR

conscripta

per

D. GOTTWALDVM SCHVSTER

Regium Physicum in Provincia Chemnitiensi & Academicum Curiosum.

Viri Illustres,

Antistites artis salutaris consummatissimi.

Sistuntur in hac Dissertatione, quam iudicio Vestro exasciato & exquisitissimo devota mente consecro, tria notabiliora exempla, ex quibus in genere illud Problema practicum dissolvere liceat: *An quid, quidque valeat Scilla in tumore hydropico?* Etenim, si etiam præstantissimum hoc medicamentum ultimam rerum lineam, mortem ipsam, minus avertere potuerit, sicuti in optione nostra esset, id tamen præstitit omnino, arbitror, ut εὐθανασίαν illico instantem distulerit, in primo quidem casu per semestre spatium, in altero vero per integras sedecim septimanas, & forsitan longius, nisi clinica contra mandatum nostrum iter octo milliarium temerario ausu aggressa esset: in tertio tandem, qui sub schemate asthmatis humidi lusit, nescio, annon nimia Medici officiositas nocuerit. Hoc etiam Medicinæ laudi & admirationi ducendum est, quod dentur medicamenta, quæ differunt discessum e vita, si non tollunt morbum: *Nil enim turpius est*, inquit Baglivivs, Prax. med. Lib. I. Cap. XII. §. XI. Opp. p. 134. *quam dum Medici ægrotum biduo aut triduo ante mortem tanquam incurabilem deserunt, nec nova, atque nova remediorum genera, usque ad ultimam vitæ lineam pertentant; nam quousque anima corpori inest, semper aliquid ex admirabili arte nostra utilitatis sperandum.*

HISTORIA I.

§. I.

Vir quadraginta & quinque annorum, animarum Paſtor, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, iam a medio Ianuarii tempore usque in menſem Martium gravi & diuturno morbo corripitur, cuius curam quidam pharmacopola & Medicinæ Doctor per novem hebdomades ſolus direxit; & pridie ante adventum meum morbi atrociam ſanguinis miſſione e brachio levare, ſed fruſtra allaboravit. Fruſtra etiam balneum in uſum vocaverat. Balneum enim atque omnis humor, doctore CELSO, alienus eſt. Sanguis floridus exiiſſe dicitur; ſed hinc vires vitæ deperditæ. Hic fuit morbi metaſchematiſmus: Podagra anomala & retropulſa, aſthma noctu ſuffocationem minitans, inquietudo, tuſſis, œdemata pedum & crurum, tympanites, aſcites, hydrocele, alvi conſtipatio, tumor manuum, præcordiorum laterumque, digitorum foveas excipiens, & hepar tactu & obſervatu ſcirrhoſum. Colli & brachiorum macies, facies fere Hippocratica, & ſumma virium proſtratio cum plenaria appetitus deiectione & mortis proxime imminentis exſpectatione. Brevi quoque antequam in conſilium vocatus ſum, ægrotus vomitum ſebaceum expertus fuit. Quæritur itaque, an iſta materia ex ſteatomate, ventriculo adhærente, originem habuerit? Conferantur ad huius rei dilucidationem *Volum. III. Act. phyſ. med. Nat. Curioſ.* p. 389. HAGENDORNIVS *Obſervat. Cent. I. Hiſt. XIII.* p. 173. & RIVERIVS *Cent. II. Obſ.* 21. p. 121.

§. II.

Die igitur XVI. Martii accerſor. Venio. Conſilium ut darem deſiderat ægrotus. Datur. In hoc nempe complicato morbo, qui iam inveteratus erat, primario ad podagram reſpi-

reſpiciendum eſſe, quoniam ex illa, tanquam ex equo Traiano, univerſa ſymptomatum cohors prorupit; nec certi quid in periculoſiſſimo tali ſtatu prædici poſſe, niſi poſt decurſum duarum vel trium ſeptimanarum. *Multum* enim *intereſt*, inquit CELSVS, Lib. III. Cap. 2. *ab initio quis recte curatus ſit, an perperam: quia curatio minus his prodeſt, quibus aſſidue fruſtra fuit.* Morbum tamen mitius tractandum eſſe moneo, iuxta illud: Mandata fortius urget imperioſa quies.

§. III.

Medicamenta, ad malum hocce eradicandum præſcripta, ex ſiccis fuere: tartarus vitriolatus, nitrum, cinnabaris, camphora, primum cum antimonio diaphoretico & lapidibus cancrorum, deinde cum ſquilla, radice ari & pimpinellæ; ex liquidis: tinctura antimonii tartariſata, liquor terræ foliatæ tartari, ſpiritus tartari, bezoardicus Buſſi & vitrioli volatilis, ſeu anodynus; porro ſpecies pro infuſo, ex vincetoxico, aro, carduo benedicto, trifolio fibrino, capillo veneris, cortice aurantiorum, cinnamomo; potiuncula pectoralis ex aqua aniſi, fœniculi, hyſſopi, cinnamomi, oxymeli & vino ſcilliticis. Laxantia erant: rhabarbarum, arcanum tartari, manna, ſcilla, oxymel ſcilliticum, ſyrupus de cichorio cum rhabarbaro. Externe vero pro abdominis detumeſcentis rara, ſed calida inunctione, balſamum ex pinguedine caſtoris, ſpermate ceti, oleo aurantiorum, chamomillæ, menthæ, cumini, nucis moſchatæ expreſſo & zibetho commendavi. Clyſteres primis acceſſus mei diebus ex lacte & Saccharo, dein ex decocto chamomillæ, vel oleo parabantur; tandem adiecta fuit ſcilla. Ego enim, ſi vires ſufficientes adhuc adſunt, validiora; ſi deficiunt, mitiora auxilia præfero.

§. IV.

Succeſſus & eventus morbi talis erat: Incredibilis flatuum cum ſonitu emiſſio, facilis & frequens alvi deiectio, ex-

expectoratio, ructus, vomitus, sudor & largissimum urinæ profluvium. His succedere: asthmatis remissio, abdominis detumescentia, duri tumoris hypochondrii dextri mutatio in mollem, per noctem quies, dolor podagricus fixior, appetitus cibi, animi alacritas, placidus in latere dextro decubitus, notabile in dies œdematum decrementum & seroti subsidentia. Quæ omnia ita acta sunt usque ad diem XVI. April. c. a.

§. V.

Scilla aut *squilla*, *cepa marina* dicta, quam educendis hydropicorum aquis & urinæ movendæ commodam omnis laudat antiquitas (*x*), unica fuit hactenus in nostro salutis anchora, si rem bene perpendimus, sine qua in tanto malorum complexu Medicus esse nolo. Testatur etiam Scribonivs Largvs de *Composit. medicament* p. 129. Scillam in hydrope adhibitam fuisse ab antiquis Medicis, sed tamen ubique cum aliis variisque simplicibus coniunctam. Si quid unquam, sane curatio hydropicorum Scribonii Largi, *l. c. Compos. CXXXIII.* mihi mirum in modum placet, ubi scillæ bulbi cocti larga quantitas medicamentum præscriptum ingreditur. Alibi in libris meis practicis, in casu huic non absimili, animadverti, arum, squillam, gummi ammoniacum & mercurium dulcem efficaciissima esse œdematum remedia. Plura qui de hac materia desiderat, duo illa egregia evolvat scripta, celeberr. nempe *Mich.* Alberti *Dissert. de Squilla*, & *Georg. Ern.* Stahlii *Diss. de Tumore œdematoso-podagrico.* Scilla sola, nisi correctione indigeret, & in asthmate, & in pedum œdemate podagrico-hydropico est antidotum sine pari. Nervosum quidem genus infestat, scio; pulsum in irregularem commutat, sentio: an vero confusa arteriarum imicatio instantem crisin indicet? nescio, prout Perillust. L. B.

Van

(*x*) Vid. Dioscorides, *Evporiston Lib. II. Cap. 67.*

van SWIETEN *Tom. II. p. 429. in Boerhaavianum Aphorism. 734.* commentatus est. In nostro ægroto tale quid die XXIV. Martii accidisse deprehensum est, ut fere spes levationis, Perillustr. *van* SWIETEN non legentibus, concideret. Causa erat paulo largior dosis Scillæ, præcedente die tertia vice ad quinque grana exhibitæ. Unde unum huius bulbi granum pro una dosi cum nitro & salibus digestivis datum, donec corpus ad pristinum statum revertatur, optime conducit, indeque fortasse etiam ratio adparet, cur CELSVS *Lib. III. Cap. 12. & 27.* Scillam coctam super ventrem hydropicorum deligare, & alio tempore contritam torpenti membro imponere iubeat. Nunquam vero eam interne exhiberi ab eodem autore relatum legimus; SCRIBONIVM LARGVM vero internum eius usum permisisse, imo commendasse, supra intelleximus. Interim in hoc corrupto morbo emendando circumstantiæ concurrentes sufficienter indicabant, quod dolor podagricus primario sit respiciendus, & absque provida eius tractatione nullam sperare liceat curationem morbi.

§. VI.

Sequuntur ergo nunc formulæ remediorum præcipuorum, una cum ulteriori morbi progressu. Cum die XVI. Martii hora secunda pomeridiana vocarer, sequentia ordinabam: Rec. Tartari vitriolat. Nitr. depurat. ana drachmam j. Lap. cancror. Antimon. diaphoret. ana drachm. dimid. Cinnabar. antimon. Scrup. j. Camphor. gr. vj. Misc. F. vi. doses, quarum una pomeridie, altera vesperi sumenda. Rec. Tinct. antimon. tartarisat. Liqu. terræ foliat. tartar. ana drachm. ij. M. D. ad Vitr. & bis ante meridiem exhibeantur LX. guttæ. Ab usu pulverum noctu copiosi prodierunt flatus.

Die XIX. Martii purgandi causa sequens exhibita fuit Potio: Rec. Rhabarb. optim. drachm. ij. Arcan. tartar. drachm. j. Mann. elect. unciam j. cum dimid. M. coqu. cum

f. q. Aqu. fontan. Colat. D. ad Vitr. Huic ſubiungebatur pectoralis potio, per noctem interdum ad cochlear j. exhibenda: Rec. Aqu. anif. fœnic. hyſſop. oxymel. ſquillit. ana unc. j. D. Pro variatione etiam poſtea eius in locum ſubſtituebatur vinum ſquilliticum, cum aqua Cinnamomi remixtum. His partim interponebatur, partim etiam vehiculi loco, pro aſſumendis reliquis medicamentis, adhibebatur infuſum theeforme ex ſequentibus ſpeciebus paratum: Rec. Rad. vincetoxic. ari, ana unc. j. herb. C. B. trifol. fibrin. ana Manip. j. capill. Vener. manip. dimid. cort. aurant. cinnamom. ana drachm. ij. Inciſ. D. ad chart.

Die XX. Martii pomeridie & veſperi ſcrupuli duo Tartari vitriolati exhibebantur, & die XXII. Mart. cuilibet doſi grana V Squillæ præparatæ addebantur.

Die XXIII. Mart. matutinis horis porrigebatur rhabarbari optimi drachma una cum ſquillæ præparatæ granis V. pro ſcopo aperiendi, inſimulque, cum abdomen detumeſcere inciperet etiam externe Baſſamum adhibebatur. Diebus XXV. & XXVI. Martii pulvis ſequens pomeridie & veſperi adſumtus fuit: Rec. Rad. ari, pimpinell. alb. nitr. depurat. ana gr. XXIV. Pulv. ſquill. gr. viij. olei cinnamomi gtt. ij. camph. gr. j. Miſc. F quatuor doſes.

Die XXVIII. Mart. pro obtinenda paullo efficaciori alvi apertione decoctum ſequens porrigebatur: Rec. Rhabarb. opt. unc. dimid. Arcan. tartar. drachmam j. Spic. Celtic. ſcrup. j. infund. & coqu. cum f. q. aqu. fontan. Colat. adde Syrup. de cichor. cum rhabarb. oxymel. ſquillit. ana unc. dimid. D. mane pro uno hauſtu. Die XXIX. Mart. ob dolores podagricos redeuntes, mixturam diapnoico-anodynam præſcripſi: Rec. Spirit. tartar. drachm. ij. bezoard. Buſſ. Liqu. min. anodyn. ana drachm. j. D. mane gutt. XXX. Durarunt hi dolores per XIV. dies, absque inſigni quadam anomalia. Die XXX. Mart. pomeridianis & veſpertinis horis pulveres die

XVI.

XVI. Martii præſcripti, ſed cum dimidio tantum camphoræ, exhibiti ſunt, continuando eorum uſum per aliquot ſubſequentes dies, omiſſa interim ſquilla, quam interea cum vino extractam in potiuncula pectorali accepit. Enematum nullam mentionem iniicio, quoniam eorum uſus ultra primam ſeptimanam poſt acceſſum meum haud neceſſarius iudicatus fuit, præcipue cum alvina excretio, beneficio internorum laxantium adhibitorum, ſatis libere ſuccederet, & tumidum corpus extenuaret. Id vero, quod extenuatur, medicinam ſentit.

Die X. April. ſequentia præſcribebantur remedia: Rec. Tinct. antimon. tartariſat. part. ij. Spirit. tartar. part. j. D. mane & ante meridiem LX. gutt. Rec. Nitri depurat. Tartar. vitriolat. ana drachm. j. rad. Ari drachm. dimid. Cinnab. nat. ſcrup. dimid. Squill. præparat. gr. IV. M. F. quatuor doſes, de quibus pomeridiano & veſpertino tempore una exhibenda. Die XVII. April. quoniam in melius iam vergebat valetudo hactenus adverſa, pulverem tantum unicum poſt meridiem, & guttulas XXX. mixturæ matutinis horis aſſumere iuſſi. Die XX. April. œdemata prorſus omnino diſcuſſa erant, & æger hactenus ſatis tranquillas transegerat noctes. Similiter cum die XXIV. April. eundem convenirem, optime conſtitutum deprehendi, bene nempe ingerentem, digerentem, egerentem, placidoque ſomno fruentem. De die quoque per aliquot horas obambulabat, & mentis alacritas priſtina non tam redire, quam rediiſſe viſa eſt.

§. VII.

Verum enim vero ineunte menſe Maio denuo ſpiritum difficulter trahere incepit, ut morbi recidivam metueremus. Ὑδέρος γὰρ πρὸς θεραπείην ἐνδιδοὺς παλινδρομέων ἀνέλπιστος. HIPPOCRATES *Coac. Prænot.* §. 460. Idcirco ſtatim die I. Maii exhibui potiunculam laxantem, ex rhabarbari drachm. j. ar-

cani tartari ſcrup. ij. mannæ uncia j. cum aqua fervida extractis & ſolutis, unde ſexies purgatus eſt. Die II. Maii præſcripta fuit mixtura, ex Tinct. antimon. acr. part. ij. & Spirit. tartar. part. I. cuius gutt. XXX. mane hora ſexta & tempore ientaculi in infuſo theeformi adſumebat, ſubiuncto ſimul, veſpertino tempore, pulvere d. XXX. Mart. præſcripto, & interpoſita dein die VI. Maii mixtura balſamica, ex pilul. balſamicis ſ. polychreſtis in aqua ſolutis, quæ tres ſedes concitavit cum aliquali levamine.

Die IX. Maii noctu hora duodecima exhibitum fuit decoctum laxans rhabarbarino-mannatum cum arcano tartari. Die X. Maii ſequentem potionem præſcripſi: Rec. Gumm. ammoniac. drachm. ij. Aqu. veronic. vinoſ unicas tres, ſolve. Colat. adde oxymell. ſquillit. drachm. vj. D. ſingulis bihoriis cochlear j. circa horam pomeridianam ſecundam incipiendo. Ex horum medicamentorum uſu iterum bene habuit per aliquot ſeptimanas, aſtmate & tuſſi liberatus, noctesque quietas transegit. Vinum ſquilliticum, hactenus potiunculæ ammoniacali additum, iam omiſſum fuit pro valetudinis conditione.

§. VIII.

Ineunte Iulio cum aſthma & tuſſis ægrotum iterum prehendere viderentur, ſquilla in pilulis exhibita eſt; quarum quidem uſum poſt aliquot horas conatus vomendi, laudabili interim cum aſthmatis ceſſatione & durioris tumoris femorum emollitione, ſecutus eſt. Die XVII. Iulii mitioris cuiusdam veſicatorii ope ulcera in tibiis excitare tentavimus, pro congeſtione illa, quæ veſperi & per noctem tuſſim excitabat & reſpirationem difficiliorem reddebat, tanto efficacius a pectore derivanda; id quod etiam obtinuimus, inprimis ubi e pedibus, poſt integri menſis decurſum, inſignis ſeri copia ſtillare cœpit. Attulit doloroſa hæc medicina, ad mentem Hippo-

POCRATIS & BAGLIVII adhibita, liberrimum ſpiritum, ſopivit tuſſim, pedumque œdemata diſcuſſit: ſed ſenſim ſenſimque viribus, primum tamen ſine febre, exhauſtis, die VIII. menſis Octobris ille placidiſſime obdormivit, cuius beatam analyſin iam mense Martio quolibet fere momento certiſſime exſpectabant amici, uxor, conſanguinei.

HISTORIA II.

§. I.

Mercatoris vidua, femina LVI. annorum, obeſi & admodum carnoſi habitus, diu iam, ob tumorem colli ſcirrhoſum, aſthmatica, ceterum ſana & alacris, nec minus in negotiis ſuis agilioris indolis, divitiarum cupida, fruſtra & ſine morbi indicio, ut ipſa, quare fecerit, neſciat, ab ordinario forte prætereunte Medico catharticum quoddam deſiderat remedium. Mittit is decoctum purgans, quo, mane exhibito, duodecies alvus commota eſt. Veſperi eiusdem diei pilulas balſamicas in aqua ſolutas aſſumit, & altero mane ſal amarum Sedlicenſe ſubiungit, rurſusque veſperi potiunculam laxantem balſamicam deglutiiſſe dicitur, ut inteſtinorum canalis nunc paullo copioſius, iuxta propriam confeſſionem, purgaretur. Factum etiam hoc eſt, ſed non ſine inſigni periculo; trigeſies enim & ultra alvum depoſuit. Statim vero poſt aſſumtum ſal amarum vehementem ſenſit ardorem in ſtomacho, brevi poſt ita increbeſcentem, ut locum affectum ne digito quidem tangere potuerit. Medicus, pro avertenda inflammatione, ſpiritum vini camphoratum applicare iubet, &, hoc nihil proficiente, poſt aliquot dierum decurſum V. Snem commendat. Hanc evacuationem excipit coryza & febris quædam catarrhalis, quæ poſt quatuordecim dierum intervallum in lentam tranſit. Cum autem huius febris indolem ex

errore pathologico nemo curioſius cognoſceret, morbus ipſe pro catarrhali adhuc reputatus fuit, & ſicuti ex uno errore plures propullulant, ita etiam curatio morbi non rite adornata fuit, ac inde inſimul contigit, ut quarta poſt hypercatharſin elapſa hebdomade totum non ſolum abdomen turgidum ac durum evaderet, ſed & œdematoſus tumor pedes occuparet, concurrente ſimul urinæ imminutione, ac tandem ſuperveniente æſtu febrili & anxietate ægrotam quotidie pomeridianis horis affligente. Hi ipſi ſanguinis æſtuantis motus noctu omnem ſomnum profligant, non niſi circa matutinum tempus remittentes, atque in conatum vomendi modo vacuum, modo etiam materiam quandam mucoſo-viſcidam exturbantem, dein deſinentes.

§. II.

Rebus hiſce per quinque hebdomades tam miſere geſtis, ego die Martii XXII. primum ad ægrotam vocabar, quam aſciticam & de dolore continuo in regione umbilici, aliisque multifariis, vix ac ne vix quidem recenſendis ſymptomatibus conquerentem, inveniebam; neque enim, ob tam graviter prominentem aqualiculum, ambulare, neque ſedere, neque iacere & cubare, neque ſtare poterat, ſed, innixis menſæ margini manibus, non erecto, ſed curvo corporis poſitu inclinabat. Appetitus & guſtus deperditi erant, & pauca iuſculi cochlearia ſummam excitabant anxietatem. Parum ſitiit, id quod alias optimum inter peſſima ſymptomata eſſe videtur, quoniam inde concludere licet, extravaſatos humores nondum ad corruptionem inclinare. Hiſce tandem male formati morbi circumſtantiis curatius examinatis, iudicare mihi facile fuit, opulentam hanc feminam, antea incolumi & integra ſanitate gaudentem, tam crebro & ſubito repetitis purgantibus ita quaſi ad incitas redactam eſſe. Dubium enim non eſt, quin ſal illud amarum, ſubiectis aſthmaticis & hypo-

pochondriacis feminis, experientia teſte, quandoque magis infenſum, repurgati iam ventriculi parietes & membranas graviter offenderit. Contulit etiam huc ſymbolum qualecunque ſanguinis miſſio, tempeſtate frigida, in imbecillo & viribus deſtituto corpore, medio Februarii inſtituta. Ipſa enim perpetuo fere monſtrat experientia, quod evacuationes vehementiores, ſive ſanguis mittatur, ſive viæ purgentur primæ, hyemali tempore febres catarrhales excipere ſoleant; cuius mali eventus cauſa & ratio in frequentiori tunc & ſæpe etiam graviori [illegible] inprimis poſita eſt. Nonne vero & ipſe morbus hydropicus pharmacorum purgantium frequentiorem uſum, aut potius abuſum, ſæpiſſime pariter excipit? *Ex cenſu enim cauſarum hydropis*, inquit *Frid.* HOFFMANNVS, *non excludenda puto fortiora purgantia, quibus non modo viſcerum tonus deſtruitur, ſed vires quoque nimia ſeri, per triginta vel plures in uno die deiectiones, amiſſione mirum labaſcunt, & loco ſanguinis probe temperati non niſi humores crudi in venis progignuntur.* Vid. *Med. ration. ſyſtem. Tom. IV. Part. IV. p. 440.*

§. III.

Cum itaque vidua noſtra vehementiori tali purgatione laudabilioribus humoribus privata & per phlebotomum viribus plane ſpoliata eſſet: minime ſane curationem activioribus & draſticis remediis aggredi licuit, ſed mitior medendi methodus merito violentæ præferenda fuit, ſeligendo idcirco, pro impetrando ſalutari illo ſcopo, ſecura incidentia, reſolventia, leniter evacuantia, & tandem roborantia, quoniam, ſecundum HIPPOCRATIS Aphor. 21. Sect. I. *quæ ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda, per loca convenientia:* itemque iuxta Aphor. 9. Sect. II. *corpora ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet.*

§. IV.

§. IV.

Igitur, quæ tenore Diarii mei clinici ordinata fuerunt remedia, iam candide exponam: Die XXII. Martii. Rec. Tinct. antimon. tartariſat. unc. j. D. horis matutinis, ſexta & decima, guttæ LV. -- LXX. in infuſo ſequenti: Rec. Rad. vincetoxic. taraxac. ana unc. dimid. Ligni ſaſſafr. drachm. vj. Herb. capill. vener. adianth. alb. trifol. fibrin. ana manip. j. Cort. aurantior. Cinnamom. ana drachm. ij. Inciſ. D. ad chart. Rec. Tartari vitriolat. Rad. ari ana drachm. j. M. F. Pulv. dividendus in doſes vj. quarum una pomeridianis horis in theeformi infuſo ſumatur. Rec. Tartar. vitriolat. Rad. ari ana gr. vjjj. ſquill. præparat. gr. IV. M. F. Pulvis, D. in ſextuplo & veſperi hora decima doſis ſumatur in aqua gelida.

Cum die XXIV. Martii anxietas increſceret, ſpiritus difficulter traheretur, abdomen turgidum magis evaderet, cum plenaria urinæ & alvinæ excretionis ſuppreſſione, quoniam medicamenta in colluviem ſeroſo-viſcido-mucidam incidendo & reſolvendo, ſed non evacuando agebant: hinc tempore matutino ſequens decoctum laxans exhibitum fuit: Rec. Rhabarb. Orient. drachm. ij. Cremor. tartar. drachm. j. Mann. Calabr. unc. j. & dimid. Coqu. in ſ. q. aqu. fontan. Colat. adde ſquill. præparat. gr. v. D. pro uno hauſtu. Quamquam autem huius decocti dimidiam partem, inſigni cum muci copia, mox poſt aſſumtionem vomitu reiecerit, aliquoties tamen dein, ſique recte memini, octies & ultra alvum adhuc depoſuit. Die XXVII. Martii, quoniam pulveres ſquilliticos averſabatur, alios præſcripſi: Rec. Tartar. vitriolat. drachm. ij. F. Pulv. tenerrimus, div. in quatuor partes æquales. D. pomeridianis & veſpertinis horis. Die XXIX. Martii ſuaſi, ut nunc interpoſitis lenioribus laxantibus uteretur, ſecundum regulam Waldschmidii in Monitis medicis: *Cachectici, quo lenius purgantibus tractantur, eo citius curan-*

curantur. Quam ob causam pulveris Rhabarbari opt. drachmam vnam matutino tempore exhibui, ex cuius usu alvus ter commota est & ægra nostra per diem bene habuit. Die XXX. Martii nunciatur, hydropicam nostram hac nocte parum dormivisse & multum sudasse.

Die I. April. percepi, ægrotam noctem præteritam paulo tranquilliorem transegisse, simulque iterum post horam primam sudasse. Usu pulveris rhabarbarini hodie alvus quater commota est, & satis bene habuit. Die III. April. refert, præcedente nocte circa horam matutinam primam sudorem iterum prorupisse subsequente tamen placido somno. Medicamenta superius præscripta, & pro necessitate rei etiam repetita, continuavit, die vero V. April. Rhabarbarum, rursus in substantia præscriptum, tres sedes excitavit. Sequentes species nunc pro infuso Thee datæ sunt: Rec. Rad. vincetox. ari ana vnc. dimid. Herb. card. benedict. trifol. fibrin. capill. vener. ana manip. dimid. Cort. aurant. drachm. ij. D. ad Chart. Die VI. April. percepi, quod anxietas & sudor post horam noctis primam, sed longe debiliores ac antea, accesserint. Die VIII. April. levem modo anxietatem & paucum sudorem hora noctis secunda sensit, & matutino tempore Rhabarbarum adsumsit, noctemque sequentem quiete transegit. Die X. April. uncias duas Elixirii visceralis ad mentem Hoffmanni parati, præbui, iubendo simul, ut cochlear unum ante prandium assumeret, & vehiculi loco aquam, cum vino & saccharo mixtam, adhiberet. Compositio hæc erat: Rec. Extract. Card. bened. Cent. min. ana unciam dimid. Cort. aurant. recent. Cort. Chin. ana unciam j. Myrrh. elect. Caryophyllor. ana unciam dimid. Croc. drachm. ij. Sal. tartar. unciam j. Incis. contus. adfunde Vini Hungarici optimi Mens. j. Dresdens. Digere, solve, præviaque leni ebullitione colatura usui servetur. Rec. Tartar. vitriolat. Antimon. diaphoret. martial. ana Scrup. j. Misc. F. duæ doses, D. pomeridia-

nis & vespertinis horis. Hac quidem nocte melius quievit, quam antecedente, sed tamen hora matutina tertia anxietatem absque sudore experta est.

Die XII. & XIII. April. nunciatur ægrotam singulis quidem noctibus anxietatem aliqualem, sed sine sudore, sentire. A XIV. ad XVI. diem April. nostra refert, noctes citra anxietatem & sudorem peractas esse, sed gustu & siti destitutam se esse; pedes detumuere. Die XIX. April. urina libere & sufficienter prodiit, ægrota etiam bene dormivit & abdomen, ab omni nunc tumore liberatum, pro lubitu contrahere potest. Die XX. April. ægrota refert, quod per totam noctem placide & tranquille quieverit, pro quo singulari beneficio Deo triuno humillimas gratias egit & die XXII. April. in æde Divi Iacobi sacræ cœnæ usu animam recreavit. Die sequenti XXIII. April. eidem, iter Lipsiense ad nundinas vernales paranti, ponderosissimis illud dissuasi argumentis, casum Hœpneri, Franckenbergensis, quem *Part. II. Method. meæ p. 311.* exposui, proponendo & opponendo: nihilo tamen secius, omnibus rationibus persuasoriis neglectis, nostra recens restituta die primo Maii discessit, emensoque hoc itinere circa finem mensis huius, bene quidem per aliquot dies habuit, optime ingessit, digessit, egessit, sed brevi post in longe deteriorem, quam antea, conjecta fuit statum. Durante enim priori mea curatione ab alio quodam extero Medico, cuius opem insimul rogaverat, consilium contra ventriculi atoniam transmissum ipsi erat, & quoniam methodus in eo præscripta, ob causas morbi mutatas & iam altius in visceribus radicatas, observari a me non poterat, hinc ipso hoc ultimo tempore, dum absens erat, commendata in illo remedia in usum vocaverat, sed admodum infausto cum eventu. Paucis enim vix elapsis a reditu septimanis, primo urinæ, dein reliquarum excretionum imminutio denuo imminentem præsagiebant pristinum morbum, qui etiam brevi post maiori

cum

cum vehementia redibat, nullisque cedens remediis lethalem tandem sortiebatur eventum.

§. V.

Ut autem ex omni parte perfecta sistatur hæc historia, prædictum illud eidem simul subiungere lubet Consilium, quod sequentis erat tenoris: *Ex communicata morbi historia concludere licet, ægrotam vera laborare atonia ventriculi, cum anorexia, id quod tanto magis suspectum est, dum mala hæcce iam in cachexiam & hydropem degenerarunt. Quum ergo sub admodum momentosis & sonticis his circumstantiis neque cathartica, neque alia sanguinem corrigentia remedia qualemcunque præstent utilitatem, ipsa autem experientia doceat, quod in similibus casibus hydropis quoque principium* x) *roborantibus, & speciatim solo corticis Peruviani usu fuerit sublatum; hinc ut ille Dominis Medicis præsentibus, perhumaniter a me salutandis, proponatur, enixe peto. Initium nempe ex mea parte facerem cum sequenti Infuso: Rec. Cort. Peruviani studiosius electi amari, uncias quatuor, Limat. Martis puræ, non tum rubigine adesæ, unciam j. M. F. Pulv. D. in cilicio, cui infundatur vini Rhenani optimi meracioris mensura j. stent in loco frigido. Aegra capiat horis matutinis, ieiuno ventriculo, dein una hora ante pastum, & versus vesperam, unciam unam cum dimidia, ad uncias duas, pro una dosi. Si ergo sub usu huius infusi, & quidem post octiduum circiter, salutaris aliqua mutatio & symptomatum mitigatio observetur, tunc eius in locum prædictus ille cortex in substantia, vel in forma pulveris aut electuarii, solitarie per aliquot dies, & quidem quotidie ad tres usque drachmas, vel dimidiam unciam, porrigi posset. Quodsi vero durante horum remediorum,*

x) Non amplius principium hydropis, sed morbus hic iam adultior & in statu constitutus erat.

& inprimis infusi, præscripto usu alvi obstructio increbescere videatur, tunc eidem ne mitioribus quidem laxantibus, sed solis lenientibus clysteribus, subveniendum esset. Proinde etiam perquam accurata observanda est diæta, evitando inprimis omnem cerevisiæ, infusi herbæ Theæ & decocti fabarum Coffee usum, seligendo pro potu ordinario vel modicum aquæ puræ fontanæ, vel decoctum radicis Chinæ ponderosæ cum pauxillo Cassiæ ligneæ, interponendo eidem unum alterumve vitrum exiguum aut genuini illius vini rubri, quem Pontac *vocant, aut annosioris cuiusdam Rhenani. De reliquo abunde iam constat, quod, durante corticis Peruviani usu, omnia alia exulare debeant remedia, quoniam eius efficaciam imminuunt, unde etiam in præsentiarum ab ulteriori talium commendatione merito abstineo. Externe tamen scutum aliquod stomachale, ex Emplastro de Tacamahaca, cum balsamo Peruviano & oleis destillatis, macis, absynthii, etc. remixto, epigastricæ regioni imponi potest.*

§. VI.

Non immerito autem adhuc in calce huius historiæ movenda est quæstio: an etiam curatio hydropis simplicis statim cum tonicis incipienda sit? Colluviem quandam humorum gravesque viscerum obstructiones præsto esse, nemo est, qui negaverit: tonica vero, roborando, ordinarie partes solidas amplius constringere solent, ut hinc humores vitiosi tanto magis incarcerentur, inprimis vero illi, qui minus fluxiles sunt & ad educendum apti, ut proprio viscerum & organorum colatoriorum robore excerni queant. Mea, quam sequor, methodus in hoc statu eo maxime redit, ut impeditas se- & excretiones promoveam & humores stagnantes eliminem: quo tamen facto, si fortiora statim adhibentur toni-

tonica, ægroti plerumque hecticam incurrunt. Hanc quoque ob causam consilium modo adductum, quod brevi ante accessum meum transmissum est, approbare minime potui, quemadmodum etiam eventus inconvenientem eius monstravit effectum. Ignarus equidem non sum canonis Perillustr. L. B. *van* SWIETEN, quem *Commentar. in* BOERHAAVII *Aphor. Tom. I. p. 58. ad §. 45.* hisce commendat verbis: *Nullus videtur melior esse canon in Medicina, quam ille, quod in curandis morbis semper ad causam primam, unde omnia reliqua fluxerunt, sit respiciendum: ex hoc fundamento enim sola certa & valida auxilia deduci possunt. Qui ex debilitate natum hydropem purgantibus emungendo corpus curant, post paucos dies mirantur æque tumere omnia, dum omnia ruunt in flaccida hæc viscera, nihil fere de ingesto potu per sudorem vel diaphoresin, parum admodum per urinam excernatur. Qui primam mali causam investigaverunt prudentiores, distendente saburra educta, fasciis laxum corpus stringunt, victu sicco, roborantibus remediis, corporis exercitiis, primam morbi causam, unde omnia fluxerunt, debellant.* Sed de hac medendi ratione, iam olim SYDENHAMIO laudata, nullum adhuc certum & constantem effectum videre mihi licuit. Hac igitur in re, ut meam scientiam & experientiam sublevetis, Viri Illustres, & Vestra solidissima eruditione, quam ego in hydropis curatione foveo sententiam, corroboretis & firmetis, aut in salutem & emolumentum generis humani & artis nostræ salutaris emendetis, Vos etiam atque etiam ea, qua par est, animi veneratione rogatos volo.

Historia III.

§. I.

Vir quadraginta annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, partim ex domicilio, quod per decennium inhabitat, humidiori, partim ex incondita diæta, dum fumum aridæ nicotianæ per tubum fictilem continuo fere hauriebat & decoctum fabarum Coffee, illudque frigidius, in ſeram usque noctem ingurgitabat, non ſolum ſibi habitum corporis cachecticum conciliavit, ſed & ſub fumi tabaci ſuctione incredibilis ſputator fuit. Hic circa diem X. Martii aſthmate corripitur humido, ex quo tamen convenientium medicamentorum ope, & ſpeciatim uſu decocti cuiusdam laxantis, convaluit. Intumebant quidem, ceſſante aſthmate, pedes, ſed cum die ſecundo Aprilis & ſequentibus, me quidem invito, in publicum prodiret, œdemata evanuere, inſimulque, ob humido-frigidam aëris conditionem, priori affectu multo gravius, quam antea, adfligebatur. Urina erat coloris ignei, &, mox turbida reddita, ſedimentum ſat copioſum deponebat; tumor pedes ſurarum tenus occupabat, & anxietas præcordiorum, cum difficultate ſpirandi ſumma, ægrum premebat, hocque ſymptoma tam interdiu, quam noctu usque adeo increverat, ut extra lectum degere cogeretur, & non niſi erectus ſedere poſſet. Præcipue autem diebus XXI. XXII. & XXIII. peſſimus fuit rerum ſtatus: facies enim a naturali colore ex toto receſſit, tuſſis, remittente per pulmones purgatione, augmentum cepit, & ſi quando incredibilis tuſſiendi conatus excitaretur, ſimul evertebatur ſtomachus. Exhibebam aliquot doſes pulveris, ex radicis ari, tartari vitriolati ana granis viij. ſquillæ præparatæ granis IV. pro una vice, alternis diebus, ſed bis de die

ſu-

ſumendi; ſatis enim efficaciter pulvis iſte reſolvit, vt hinc etiam continuatus eius uſus vix ſuadendus ſit. Conf. *Frid.* HOFFMANNVS *Med. rat. ſyſtem. Tom. IV. Part. III. p. 294. N. 4. & p. 304. N. 3.* Profuit etiam hoc remedium eo usque, ut attenuata materia viſcida facile & cum euphoria fuerit evacuata. Pituita, quam æger exſpuebat, muco e naribus prodeunti non abſimilis erat, inſipidaque & inodora, nunc fluidior, nunc ſpiſſior exiit. Poſt hæc commode ſatis valuit, dormivit, cibosque cum appetitu ingeſſit.

§. II.

Rebus hiſce per aliquod temporis ſpatium bene geſtis, cum cœlum iterum mutaretur & caliginoſum fieret, ſtatim aſthma noſtrum gravius oppreſſit, ut fere tempeſtatum mutationes in ſuo ſentiret corpore. Experiebatur enim noſter ægrotus vernali tempore id, quod OVIDIVS de autumnali ſcribit:

Sæpe cum autumnus, cum formoſiſſimus annus,
Aëre non certo, corpora languor habet.

Quoties enim cunque purus & tenuis aër ſpiraret, toties facilior erat reſpiratio: quamvis poſt primas Paſchatos ferias conclavi non egreſſus ſit. Circa diem Maii ſextum modo bene, modo male habebat, & pedes ad genua usque intumuerunt; tuſſis vehementer aucta fuit, ſed calor febrilis hactenus ceſſavit; urina tincta ſedimentum deponebat, quod vero in morbis diuturnis incertum reſtitutionis indicium eſt. Verendum modo erat, ne affectus iſte pertinax ſubſecuturo pectoris hydropi viam panderet, vel iam tum panderit, quoniam digiti œdematibus impreſſi veſtigia relinquebant, & ægrotus poſt trium quatuorve horarum ſomnum derepente exci-

excitabatur, ingenti aſthmate ſive imminente ſuffocatione correptus, qua tamen anxietate, ſi modo tuſſis rurſus concitabatur, & æger, relicto lecto, (in quo ſub inſultu tali retineri non poterat) erectus ſedebat aut deambulabat, quadantenus ſe levari putabat. Hæc tragœdia quandoque una nocte bis terque, quandoque per totam noctem ludebatur. Licet enim ſub paroxyſmo ſæpius ſomno opprimeretur, non tamen quieſcere potuit, niſi maiori anxietate tentari & aërem maiori cum moleſtia haurire vellet.

§. III.

Curationis ergo ſcopus tandem eo dirigebatur, ut cum incidentibus & expectorantibus, inter quæ vero emollientia, dulcia & oleoſa, pulmonum tonum evertentia, haud refero, per aliquot dies urinam moventia coniungerentur, quæ non ſolum pulmones a ſordibus ibidem collectis repurgarent, ſed etiam humores pituitoſos derivarent: in morbis enim pectoris ſemper ducendos eſſe humores ad vias urinæ ſecretioni deſtinatas, ipſa natura id monſtrante, autor eſt Baglivivs, idem hoc etiam confirmante Celso, qui Libr. IV. de Medicina, Cap. IV. *proſunt*, inquit, *etiam quæcunque urinam movent.* Equidem non prorſus de ægri huius ſalute dubitaſſem, dummodo pulmones ulcere quodam nondum affecti, vel nodis & tuberculis non obſeſſi fuerint, id quod tamen, cum continua ad tuſſiendum irritatio præſto eſſet, non temere coniiciendum erat. Modum mihi ita concipio: Ex quocunque vitio pulmones oppugnent nodi & tubercula ſcirrhoſa, ea perpetua tuſſis cauſa exiſtunt & maiorem affluxum provocant. Illud enim notandum adhuc eſt, ægrotum noſtrum aliquo, antequam morbo hoc corripiebatur, tempore, in conventu quodam graviori ira incitatum, aliquot hauſtus vini ſumſiſſe. Continuam ergo illam irritationem & violentam pul-

pulmonum concuſſionem tandem vaſorum lymphaticorum ruptura facile conſequitur, ſicque hydrops pectoris naſcitur. Conf. HOFFMANNI *Med. ration. Syſtem. Tom. IV. Part. III §. XIX. p. 277.* Proinde etiam hoc pariter monendum eſt, tantam materiæ mucoſæ copiam per omnia excernendæ pituitæ deſtinata organa, nares, fauces & alvum, eiectam fuiſſe, ut nihil quidquam pituitæ in corpore reliquum eſſe, vel novam humorum congeſtionem ad pulmones fieri potuiſſe, exiſtimaſſes. Neque tandem id prætereundum eſt, quod alvus fere ſemper liquidior, & ſub quacunque etiam levi deambulatione commota fuerit; quæcunque enim remedia adſumebantur, per alvum ſtatim operabantur, cuius effectus cauſam in inſigni inteſtinorum levitate, ſive atonia, merito ponendam eſſe iudicavi.

§. IV.

Tandem ex mente HIPPOCRATIS hoc conſilium cepi, ut ſuris veſicantia imponerem: *Abſceſſus* enim *ad crura*, inquit, *in morbis pectoris boni*: item in Prognoſt. *in pulmoneis quicunque tumores fiunt ad crura, optimi ſunt;* & BAGLIVIUS *Oper. med. p. 104. morbi*, inquit, *ad crura & pudenda ſolvunt aſthmata: tument pedes aſthmate ceſſante.* Et vere, ſi rem eloqui liceat, hoc auxilii genus, etſi dolorem tranſientem augeret, facilem tamen reſpirationem, cum ſymptomatum levamine, attulit. Quoniam vero & agnati ægrotantis, & hic tandem ipſe, illorum perſuaſionibus captus, utpote quibus ego nimis crudelis videbar Medicus, conſilia mea repudiabant hinc alium quendam Medicum, multa bona promittentem & veſicantium uſum damnantem, ſelegerunt eiusque conſiliis obtemperarunt. Exhibebat ille vomitoria, purgantia, ſudorifera, diuretica, eaque omnia fortiſſima, violenta manu hoſtem expellere tentans; & primis quoque diebus ubi ulcera in ſuris adhuc manarunt, aliquo

modo levatus putabatur æger: aſt, vix quatuordecim elapſi erant dies, cum nimia ſua officioſitate magis obeſſet Medicus, ulceraque plorantia conſolidando, & nimiam remediorum copiam ingurgitando, ægrotum iugularet. Non poterant ergo agnati illud Ennianum de eo prædicare:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem,
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Fabius enim *Maximus* cum *Annibalem* vi frangere non poſſet, cunctando minuebat; hinc recte ſcribit SOPHOCLES: *Solet cunctari vir, qui rem magnam molitur.* Utinam itaque tales Medici Symboli loco illud in mente gererent:

Peragit tranquilla poteſtas, quod violenta nequit.

Viro

Viro

Illustri, Excellentissimo & Experientissimo

DOMINO

ANDREAE ELIAE BUCHNERO

S. R. I. Nobili, Consiliar. Archiat. & Comiti Palatino Cæsar. Potentiss. Reg. Borussiae Consil. intimo, Medicin. & Philosoph. natural. in Regia Fridericiana Prof. publ. ordinario

ACADEMIAE IMPERIALIS LEOPOLDINO - CAROLINAE

NATVRAE CVRIOSORVM

PRAESIDI GRAVISSIMO SPECTATISSIMOQVE

Locum in hac Illustri Societate benignissime conferenti,

ad exstruendum

gratissimi animi monumentum publicum,

MEDITATIONES SVAS

de

VIRIBVS HYPNOTICIS A MINERALI REGNO HAVD ALIENIS

Speciminis loco

eo, quo docet, observantiæ cultu offert,

IOANNES CHRISTIANVS IACOBI

Philos. & Medic. Doctor, Militum Præsidiariorum Vinariensium Medicus Ordinarius, & Academ. Cæsar. Nat. Curiosor. Collega.

§. I.

Iam dudum est, quod Opii effectus sat funesti PARACELSVM, Chymicorum Coryphæum, excitarunt de remedio quodam minerali, Opio, si virtutem spectes, quidem respondente, sed tutius assumendo, cogitandi, ingensque applausus, quem eiusmodi medicamina exiguæ molis modique efficacis operandi ratione, per usum ab eo introductum sibi conciliaverant, eius in perscrutando exacuebat industriam. Quod si Autoris commemorati assertis fides adhibenda foret, certo certius statuendum esset, remedium hoc anxie quæsitum e *Vitriolo* erutum, utilissimique ægris, Opii loco, propinatum fuisse.

At enim vero gravissimæ rationes mox adducendæ de reali vi hypnotica, causas scilicet vigiliarum naturales auferente, omnino ambigere suadent. Experientissimus nempe D. D. ROTHIVS, ceu optimus fidissimusque hac in re PARACELSI Interpres, in Dissert. de *Sulphure anod. Vitrioli*, Cap. I. §. 6. serio monet, omnes illi autori (PARACELSO puta) iniuriam esse illaturos, qui efficaciam Opio analogam a Vitriolo exigere vellent. Sufficere tantummodo, in illo demonstrari posse aliquam efficaciam, quæ vi quadam leni nervis irritatis sopiendis conduceret, quanquam aliter, neque tam cito, nec adeo refracta dosi, ut in opio, actionem suam ederet.

Omnes omnino inde perspectum habebunt, præparatum hocce anodyna, minime vero hypnotica quadam vi, somni necessitatem inducere, adeoque opium multis illud parasangis antecedere.

Sed ipsa medicamenti huius præparatio controversiam hancce in nostrum dirimit favorem. Admodum enim concinnam eius descriptionem, quam Doctiss. ROTHIVS l. c.

Cap. 11. §. ult. hiſce ſuppeditaverat verbis: *Illi ſibi ægrotisque ſuis optime proſpiciunt, qui Sulphur hocce Vitrioli anodynum cum aqua communi per Spiritum Vini ſeparant, ſive per proprium Vitrioli phlegma ſpiritumque, adhibita deſtillatione, in ſublime ducunt, apteque e vinculis acidi extricare ſciunt.*

Celeberrimus Erfordienſis Prof. Dn. D. MANGOLDIVS (*Chymiſche Erfahrungen und Vortheile*, pag. 17. §. 30.) ita explicitam dedit, ut Naphtha Vitrioli rite edulcorata propriaque reſina tincta omnino hiſce indicaretur verbis.

Quis vero unquam virtutem hypnoticam in hocce medicamento deprehendit eiusque mentionem fecit? Obſervatumne eſt aliud quidpiam, quam dolores tantummodo removendo, adeoque ex virtute quadam anodyna interdum ſomno ægros ſopiviſſe?

His rite perpenſis, neminem extiturum perſuaſus ſum, qui ex hoc Sulphure Vitrioli, præſtantiſſimis alias viribus inſtructo, argumentum depromat, in mineralibus realis quidpiam hypnotici reperiri poſſe. Finem igitur meum plane non eſſem conſecuturus, huic medicamento diutius immorando, productum potius ſiſtam, quod nullo non tempore, præſente vel exulante dolore, ſenſuum motuumque voluntariorum cauſam amputando, ſomnum comitem habeat individuum.

§. II.

Ad hancce metam vero attingendam requiritur, ut materiam, ſomniferos in Opio effectus producentem, familiarem nobis reddamus; toti enim ſubſtantiæ eiusmodi quid minime tribuendum eſſe Celeberr. STAHLIVS diuturna Opii in aqua fervida coctione viribus hoc adeo exhauriens, ut ullo absque detrimento, pultis in modum, aſſumi potuerit, extra omnem controverſiæ aleam poſuit. Hæcce materia in apricum producta e regno minerali deinceps eruenda & in mix-

mixtionem Opio consimilem redigenda erit. Periculo eiusmodi facto, non potest non eius indolis concinnari medicamentum, quod, æque ut Opium, voti nostri compotes nos reddat.

§. III.

Ad primum itaque requisitum obtinendum, sequens NEVMANNI experimentum (*Chem. p. 969.* Edit. Zimmerm.) ab Illustri Academ. nostræ Præside BÜCHNERO reiteratum (Dissertat. *de Opii effectibus genuinis in corpore humano,*) viam præcipue nobis pandit. Observarunt nempe laudati Celeberr. Viri, durante Opii cum aqua coctione, ad superficiem huius extrudi materiam quandam unguinosam, consistentia balsami præditam, nullamque cum hac miscelam subeuntem, sed omissa despumatione sensim evaporantem, relicto concreto gummoso-resinoso-fixo, carente omni actuoso.

Huius volatilis resinæ, (merito enim hoc, minime vero *saponis* nomine, quia connubium aquæ respuit, insignienda est,) paucula grana cani, qui alias integram drachmam opii absque damno devorare poterat, propinata, mortem attulerunt repentinam, manifesto documento, balsamum huncce materiam somniferam concentratam in sinu fovere suo.

At in Chymicorum scholis edocemur, oleum essentiale, acido fortiori ad solutionem apto iunctum, in perfectam resinam abire; hanc igitur nihil aliud esse, quam oleum essentiale per acidum coagulatum, id quod eo minus in dubium trahendum, cum olea essentialia, per tempus aliquod immota persistentia, fluiditate sua priventur, & crassitiem cum lentore contrahendo perfectam resinam æmulentur.

Porro quoque certum est, olea e copiosissimo phlogisto non minus, quam haud exigua aquæ quantitate constare, quæ, obstetricantibus paucis acidis terreisque particulis, invicem combinatæ debitam consistentiam nanciscuntur.

Quo

Quo ſubtilius itaque, quoque minori quantitate acidum, quo parcius aqua, copioſiusque contraria ex parte phlogiſton exiſtit, eo magis volatilia & ſubtilia olea ſint neceſſe eſt, quia hoc modo maxima ex parte ſubſtantia ſumme volatilis, phlogiſton nimirum, illa ingreditur. Olei igitur eſſentialis, cum reliqua volatilitate antecellat, mixtionem conſtituit copioſiſſimum phlogiſton, cum paucis aquoſis partibus leviſſime cohærens, ſubtiliſſimis acidis terreſtribusque partibus minima quantitate adiectis.

Quod ſi igitur eiusmodi maxime volatile oleum eſſentiale nobis concipimus, cui haud diſpar acidum maiori in quantitate, quam pro olei conſiſtentia requiritur, admixtum eſt, ſtatim notio talis reſinæ volatilis balſamive, qualem in Opio animadvertimus, ſeſe nobis ſiſtit.

Iam cum phlogiſton maximam huius reſinæ partem conſtituat, ab admixtis etiam leviſſimæ cohæſionis cauſa, faciliori negotio, quam acidum aut aqua ſeparetur, hocque modo actioni eius remoram nihil iniicere poſſit, effectum huncce ſomniferum phlogiſto, a reliquis perfecte ſeparato, hinc puriſſimo ſubtiliſſimoque, excluſis aliis, adſcribendum eſſe, nemo facile iverit inficias.

§. VI.

Quo vero clarius eluceſcat, partes phlogiſticas ſibi relictas materiam Opii hypnoticam unice conſtituere, ſubſequenti obſervatione Celeberr. Francof. Prof. Med. D. CARTHEVSERI certitudine fere mathematica illud evinci poterit. Referente ſcil. Viro Excellent. (*Mater. med. Part. I. p. 570. §. V.*) hepar ſulphuris, leni igne, agitatione continua, ſi calcinetur, vapores ſicciſſimos, omni deſtitutos acredine in ſublime ferri, naribus pulmonibusque exceptos temulentiam quandam, Opii reliquorumque narcoticorum more, conciliare. Sulphur vero, docente Illuſtr. STAHLIO, ex acido vitrio-

vitriolico phlogisticoque componitur, (Tract. de Sulphure) acidum hac in operatione non separatur, ascendentes enim vapores nares non feriunt, satisque diu continuata hepatis sulphuris calcinatione, illud cum sale alcali, Tartari Vitriolati speciem constituit. Sole igitur meridiano clarius omnino est, vapores istos phlogiston purissimum componere, temulentiæque huius causam unice constituere. Cumque simile quid de reliquis quoque exhalationibus narcoticis, cerevisiæ nempe mustique fermentantium, carbonum, vegetabilium fossiliumque, undarum soteriarum, specuum venenatorum, &c. duo eruditionis splendore maxime conspicui Medicinæ Professores celeberrimi, nimirum Giessens. Acad. Prof. Medic. primarius, Dn. D. MÜLLERVS (*y*) huiusque vestigia legens, inclytus Dn. Prof. CARTHEVSER (*z*), fuse admodum exposuerint, albo omnino nostrum de Phlogisto assertum notandum erit calculo.

§. V.

Sequens iam dubium, quod ex supra in Phlogisti favorem deductis forsan moveri posset, nullum plane nobis faceret negotium. Quæstioni enim, qui fiat, ut olea ætherea, maxime licet subtilia, camphora, crocus, aliaque complura haud exigua parte phlogisti prædita, ordinaria dosi sumta, nihil somni ægris concilient, solvendæ statim pares sumus. Licet nempe omnibus hisce Phlogiston insit, aliis tamen corpusculis irretitum tenetur, e quorum vinculis non extricatur, adeoque necessaria requisita, puritas nempe attenuatioque debita, desiderantur.

Asserti

(*y*) *Vermischte Gedanken über allerhand zur Naturlehre &c. Erste Sammlung. §. 33. sqq.*

(*z*) Mater. med. loc. cit.

Asserti huius demonstratio nulla plane difficultate laborat. Æthereorum nempe oleorum mixtio tanta minime gaudet subtilitate, ut atmosphæram, quanta quanta sint, petant; diutius enim asservata in resinam degenerant perfectam fixamque, omni specifico plantæ odore, ex qua oleum confectum, penitus orbatam notabilique copia remanentem.

Cum igitur tot fixis simul constent partibus, intra corpus nostrum una assumendis, præditum duobus necessariis requisitis phlogiston haud suppeditant. Crocus itidem non minus ex parte oleoso-spirituoso-volatili, quam resinoso-gummoso-fixiori componitur. Iam cum tot fixæ omni efficacia destitutæ partes in illo occurrant, ambæque iunctim in menstruis resolvantur, eodem plane modo res sese habet, ut in oleis æthereis. Prona ergo sequela, experientia confirmante, id elicimus: Si in substantia ordinariaque dosi sumitur, sufficiens phlogisti copia nunquam sui iuris redditur; maiori vero quantitate exhibitus, aut spiritu vini vel aqua, digestionis destillationisve beneficio a fixioribus particulis liberatus, effectum opio similem edit.

Ad Camphoram denique quod spectat, omnes certe habebimus consentientes, illam e terra subtilissima, phlogisto intime iuncta, componi, quæ a latere eius nunquam divellitur; hinc ambo sub forma albæ, splendore argenteo fulgentis nubeculæ, observante Viro maxime reverendo Dn. Lessero (*a*), atmosphæræ insinuantur, adeoque hic etiam corpus terreum subtilitati puritatique phlogisti valde officit. Quod si vero largiori paulo manu porrigatur insignis copia, id quod terra adhærens impedit, adeo large quodammodo compensat, ut tunc multa cum opio coincidentia symptomata, insignem nempe virium prostrationem, pulsum debilem, insuperabilemque ad somnum proclivitatem, concurrentibus deli-

(*a*) *Hamburgisches Magazin, IX. Band, II. Stück, p. 203. & 204.*

deliriis, in ſcenam producat, prout hoc ex caſu illo notatu digniſſimo, quem memoriæ prodidit Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS (*b*), liquido adparet. Actionem vero ex aſſe opio reſpondentem edunt halitus Camphoræ ex Indiis Orientalibus ad nos translatæ, priusquam Batavicam depurationem (*raffiniren*) ſubiit; arcto enim adeo nexu terra cum phlogiſto nondum cohæret, ut libera eius actio impediatur, quo & referas id, quod crocus aromataque ſpirant, ſi nempe maxima copia per aliquod tempus in receptaculis aëri imperviis aſſervata, repagulis ſolutis ab hominibus ſubito & coacervatim inſpirantur; partes enim oleoſæ ſubtiliſſimæ tantummodo evaporant, ſicque phlogiſton ſatis liberatum continent.

Probationis loco notatu dignam celeberrimi BOERHAAVII (*c*) obſervationem allegaſſe ſuffecerit, quæ ſic ſe habet: *Narraverunt mihi Pharmacopolæ & Aromatarii, quando magnas ſarcinas validiorum aromatum recens ex Aſia acceperunt, camphoram, crocum, ſimilia, tunc, ſi ſubito eas ſarcinas reſignaverint, ſe non minus, quam famulos obrui ſomnolentia vix ſuperabili;* ibidemque Perilluſtr. *de* HALLER, not. f. ex Itinerario Orientali Batavico MERCKLINI refert: *Tres nautas ob fragrantem aromatum odorem in navi quadam Belgica extinctos, quartumque vix ac ne vix quidem vitæ reſtitutum fuiſſe.*

Quis denique eſt, quem fugiat, effluvia ſuaveolentium florum in conclavibus clauſis ſæpe ſæpius inſigni ſomnolentiæ anſam præbere.

Similis quoque reſponſio illis convenit, qui forſitan a ſanguine aliisque noſtri corporis humoribus, inſignem phlogiſti copiam monſtrantibus, continuæ ſomnolentiæ neceſſitatem in noſtro corpore deducere nituntur; phlogiſti enim

(*b*) Conſultat. & Reſponſ. med. Tom. IV. Caſ. XIX. p. 26.
(*c*) Prælection. Tom. IV. p. 120.

abundantia effectum hypnoticum non producit, ſed commercium cum aliis corpuſculis plenarie ſublatum, ſufficiensque rarefactio ſimul deſiderantur; durante vero vita hæc miſcela nullo modo deſtruitur, adeoque ſomniferus effectus omnino exulat.

Fruſtra certe pro liberatione phlogiſti adducitur, caloris perpetua in corpore animali vivo productio; motui enim verticillari & oſcillatorio, minime vero progreſſivo phlogiſti, hæc ſuam debet originem, notante Celeberr. STAHLIO (*d*), conſentientibus peritiſſimis Naturæ ſcrutatoribus.

§. VI.

Quanquam vero, ordine ut procedamus, cognita nunc materia actuoſa in regno minerali inveſtiganda eſſet, hæc quoque inventu proclivis foret, cum, metallis, ſemi-metallis, corporibusque bituminoſis haud parum eiusmodi phlogiſti ineſſe, neminem fugiat, his tamen omnibus ſuperſedere poſſumus, probatione a nobis iam facta (§. IV.), quod vapores ex hepate ſulphuris in auras abeuntes purum phlogiſton pro conſtituente agnoſcant, hacque ratione eiusmodi corpus a ſulphure nobis exhiberi queat, quod facilem phlogiſti puriſſimi ſeparationem admittat, adeoque veram medicaminis hypnotici materiam abunde ſuppeditet.

Secundo igitur requiſito ulterius immorari ſupervacaneum eſſet, quin eo potius nobis erit connitendum, ut ſulphur hoc minerale ad phlogiſti dimiſſionem eo caloris gradu, qui corpori noſtro æqualis, diſponamus; hepar enim ſulphuris maiorem paulo caloris gradum, eum ſcilicet, qui leni calcinationi inſervit, agitationemque haud interruptam expoſcit, hancque ob cauſam deſideriis noſtris minime reſpondet.

Negotii itaque huius cardo in conciliatione aptitudinis ad laudatam ſeparationem omnino vertitur. Quibus peractis, tunc

(*d*) Experim. obſervation. & animadverſion. §. 144. & 145.

tunc demum in mixtionem opio consimilem liberum phlogiston redigamus, id est, eiusmodi minerali illud associemus, quod paris indolis cum fixis gummosis resinosisque opii partibus existit, nimirum, quod, in se spectatum, quacunque sensibili activitate destituitur, cum phlogisto vero in mutuos ruit amplexus, leniissimo tamen calore maxima ex parte iterum illud dimittit.

§. VII.

Sulphuris ad levem phlogisti dimissionem præparatio nihil plane nobis faceret negotii. Filii enim artis coctione sulphuris cum aqua calcis vivæ salibusque alcalicis fixis, nec non præparatione spiritus sulphuris fumantis, qui e calce viva, sale ammoniaco, sulphureque crudo, destillationis beneficio, prodit, viam nobis monstrarunt. Laudata enim præparata cum aurum argentumque, longo satis licet intervallo remota, solutionemque lithargyrii cum aceto factam, si chartæ illinatur, fusco inficiant colore, non potest non phlogiston, ceu genuinum colorum omnium principium, effectum huncce producens, summe extenuatum perfecteque liberum in iisdem delitescere; cumque isti liquores, suffragante experientia, illud in aëre libero dimittant, adeoque atmosphæræ calor, utpote minor illo, quem nostrum fovet corpus, sufficiat, hinc scopo nostro omnino eiusmodi præparata egregie inserviunt. Aeque facili negotio substantiam reperiemus, quæ promtissime phlogiston ex sulphure liberatum arripit, cuique nihil plane actuosi competit. Paucis eloquar, mercurius crudus est, qui ad libram dimidiam absque effectu notabili intra corpus assumitur, semperque salia activitatem quandam prius eidem conciliant, sulphuri vero arctissime associatur, siquidem fortissimo sublimationis igne dimissionem huius respuit, & in cinnabarim sublimatur.

§. VIII.

Quod igitur ſupereſt negotium, eo unice redit, quo pacto quibusve ſubſidiis bina hæc corpora eo redigi queant, in unam ut coaleſcant materiam. Equidem hoc quodammodo obtineri poſſet, ſi decoctum ſulphuris cum calce viva, ſive ſpiritus fumans, mercurio affuſa, digeſtioni ſubiicerentur. Quoniam vero hoc in caſu multum phlogiſti calore continuo diſſipatur, partesque calcis vivæ in decocto, & ſalis volatilis Ammoniaci in ſpiritu fumante activitate ſua non privantur, ſed, digeſtione peracta, tunc demum edulcorationis ope hoc fine potiri poſſemus, quod iterum inſigni absque phlogiſti diſpendio fieri nequit; hinc celerioris utique unionis & alcalicarum partium ſeparationis ratio habenda erit.

Una vero fidelia duos illi dealbabunt parietes, qui, apta acidi appropriati commixtione, ſulphur, in liquoribus ſæpius commemoratis ſolutum, fundum petere cogunt, (qua operatione alcalinæ partes cum acido connubium ineunt, hinc ſui iuris amplius non exiſtunt, ſæpiusque affuſa aqua penitus elixivantur); ſed eodem momento, eiusdem acidi beneficio, mercurium ita aptum reddunt, ut, inſtituta ſulphuris præcipitatione a liberato phlogiſto ſtatim in punctis infinite multis minutiſſimisque contingatur, quo ipſo arcta adeo exoritur unio, ut, tentamine inſtituto, totum mixtum in auras haud prius evolet, quam notabili temporis ſpatio interiecto ignem apertum ſuſtinuerit.

§. IX.

Adductam §. præcedente medicamenti huius præparationem conſiderantibus variæ quæſtiones occurrunt, quarum ſolutio merito a nobis exigitur.

Prima omnium eſt, qui fieri poſſit, ut per calcem vivam alcalique ſalis ammoniaci volatile ſatis magna phlogiſti por-

portio a cohæſione cum ſulphuris acido liberetur, cum tamen non experimentis ſolum ſulphurificationis edoceamur, phlogiſton inter acidumque vitriolicum arctiorem intercedere affinitatem, quam acidum inter laudatum alcalique fixum, verum etiam a NEVMANNO (*e*) ſulphuris ſolutio in Spiritu ſalis Ammoniaci irrito ſucceſſu tentata fuerit? Huic vero quæſtioni ut ſatisfiat, maiorem hancce affinitatem generatim largimur, fundamentum enim præbet puriſſima ſubtiliſſimaque natura terrea phlogiſti, craſſiorque alcali fixi textura. Quoniam nempe omne acidum cum alcali ex latere terræ cohæret, (per principia Chym.) ſubtilior omnino terra phlogiſtica maiorem numerum punctorum contactus præ craſſiori alcalica præbet, hinc acidi cohæſionem maiorem cum priori produci debere, facile perſpicitur.

Negamus vero, acceſſu alcali nexum acidi ſulphuris cum phlogiſto eiusque affinitatem deſtrui; hoc enim ſi contingeret, ſulphur ex ſolutione alcali in ſubſtantia præcipitari non poſſet. Vera potius reſolutionis huius ſulphuris ſeparationisque phlogiſti cauſa huc redit, quod acidum in ſulphure copioſiſſimis undiquaque partibus phlogiſticis obductum ſit, ita ut omnes hæ partes ad immediatum cum acido contactum nullo modo perveniant, ſed e diverſo ſimilibus tantummodo phlogiſticis cohæreant, cuius rei manifeſtiſſimum documentum promtiſſima ſulphuris in alcalino liquore ſoluti ad fundum deiectio, debiliſſimo etiam acido applicato, ſufficienter præbet, quod fieri non poſſet, ſi alcali acidum ſulphuris immediate contingeret (per princip. Phyſ. & Chym.). Accedente igitur corpore alcalico, multæ partes phlogiſticæ ex uno latere ſe invicem, ex altero vero alcali, ceu corpus maiori denſitate præditum, contingunt, ideo cum alcali magis, quam mutuo, cohærent, ſicque ab inſigni ſalis alcalici, durante adhæſione exhibita reactione producitur reſolutio ſulphuris, cui

(*e*) Chym. pharmacevt. Edit. Zimmerman. p. 1796.

cui hepar eius ſolutioque in lixivio alcalico ſuos debent natales. Et licet diu continuata calcinatione hepatis & fortiori coctione cum lixivio laudato acidi cohæſio cum phlogiſto plenarie tollatur, nova cum alcalicis ſubſtantiis in eius locum ſuccedente, hæc tamen, quia ſeparatio novaque unio ſponte non contingunt, ſed trituratione, calore, aërisque appulſu, violento modo avulſis particulis phlogiſticis, in apricum producitur, theſin noſtram nullo modo feriunt. Solutio vero ſulphuris in alcali volatili Ammoniaci, calci vivæ admixtæ unice debetur, hinc ſimile quid in NEVMANNI experimentis effectui dari non poterat.

§. X.

Secunda iam quæſtio in promtiſſimæ Mercurii cum ſulphure attenuato unionis cauſa vertitur, in nexu adamantino terræ tertiæ ſive mercurialis cum phlogiſto, cuius fidum ſe præbet Achatem, unice omnino quærenda. Metalla enim ope phlogiſti e carbonibus aliisque volatiliſata, durante volatiliſationis actu ad naturam fluxumque mercurialem aptiora reddita, nihil plane dubii relinquunt. Cum igitur in Mercurio ſubſtantiam metallicam quandam, tertia terra luxuriantem, agnoſcamus, non poteſt non, quin illa phlogiſton, in ſulphure hocce attenuato reſidens, inſtantiſſime velut homogeneum arripiat, inque mutuos cum illo amplexus ruat.

Hunc vero nexum inſeparabilem certiſſime inde derivare licet, quod terra tertia proprie nil niſi phlogiſton, in ſummam ſubtilitatem redactum, exhibeat; iam dudum enim e multis experimentis ſagaciſſime coniecit Illuſtr. b. m. STAHLIVS (*f*), bina hæc non qualitate, ſed quantitate a ſe invicem differre, cui coniecturæ ſubſequens obſervatio, in quam forte fortuna incidi, ſplendidiorem conciliabit faciem.

Nem-

(*f*) *Einleitung zur Grund-mixtion der Metallen*, Sect. II. Membr. III. §. 29. p. 204.

Nempe cum libram dimidiam Mercurii vivi cum aqua pluviali recenti per integrum diem continuo terere curarem, is, qui hanc operationem peragebat naribusque ſæpius mortario incumbebat, de inſigni temulentia querelas fundebat, eademque triturâ poſtridie iterata, vehementiori temulentia denuo ſe correptum ſentiebat.

Oſcitantiæ is omnino foret arguendus, qui in avulſis aquæ pluvialis potius, quam tertiæ terræ in mercurio hoſpitantis particulis, cauſam huius phænomeni reponere vellet. Aqua enim pluvialis, licet diu ſatis eam agitaveris, id nunquam efficit, & in Mercurio nihil volatilitate præditum eſt, quam eiusmodi terra tertia; hæc enim ſubſtantiam metallicam Mercurii ad volatilitatem aptam reddit, hinc unice uniceque huic terræ effectus iſte erit aſſignandus.

Cum igitur ſimilem temulentiam phlogiſton quoque, per antea deducta, produxerit, eandem omnino naturam hoc arguit, eoque ipſo, quatenus ullo absque caloris adminiculo ſola trituratione evaporabilis redditur, maiorem præ phlogiſto ſubtilitatem extra dubium collocat. Accedit inſuper, ullo absque additamento, mediante ſola hac trituratione, Mercurium ita diſponi poſſe, ut pulverem exhibeat, qui liquorem leni igne plorat, ſomnum non ſolum naturalem, verum etiam ſoporem corpori noſtro inferentem. Simile quid Mercurii quoque metallorum efficere ſolent.

Hoc vero non obſtante, terra hæc mercurialis pro ſingulari ſubſtantia eſt reputanda, quia ex phlogiſto, uti ordinarie in carbonibus aliisque ſubſtantiis reperitur, puriſſimæ terræ vitreſcibili addito, nihil metallici efficere, neque nimis diu reverberatæ calci Saturni, Iovis & antimonii ſola phlogiſti additione, priſtinam ſuam formam metallicam plenarie reddere poſſumus, eodem plane modo, uti nullum alcali volatile cum fixo confundere licet, quia utrumque peculiaribus qualitatibus diſtinguitur, licet fixum eo perduci

poſſit, ut volatilis naturam induat. Inquirendum nunc reſtaret, unde fixitas huius medicamenti ortum trahat; quoniam vero terra ſubtiliſſima calcaria, effectu figente prædita, ei admixta eſt, hinc ulteriori explicatione id non indiget. De modo vero, qui fiat, quod, non obſtante hac fixitate, leviſſimo tamen phlogiſton corporis noſtri calore liberari queat, infra fuſius ediſſeremus.

§. XI.

Opere nunc pretium fuerit inveſtigare, quomodo hocce medicamentum ſomnum noſtro corpori inducat. Verum enim vero eius agendi modus cum illo, qui Opio competit, ob easdem partes ſimilemque mixtionem, coincidit. Age igitur, omnes ad hunc modum indagandum intendamus nervos. Conſpirant fere in eo omnes, quod, quia Opii ſolutio aquam non minus, quam ſerum animale paucis modo guttulis inſtillatis, potentiſſime reſolvit, uſumque etiam laudati Opii, pro varia doſi, hilaritas, ebrietas, ſudor, tumor ruborque faciei, inprimis oculorum, ſtimulus venereus, pluraque alia eius generis ſymptomata, excipiunt, partes opii, vi maxime reſolvente in fluida noſtri corporis agendo, ſomnum ſequenti modo inducant.

Fluida nempe reſoluta maius ſpatium occupant, vaſa hinc nimium quantum diſtendunt, cumque hæc, quamprimum ad cerebrum pertingunt, tunicas craſſiores deponant, illud etiam, ceu corpus molle, parum reſiſtat, fieri aliter non poſſe contendunt, quin vaſa eius præ ceteris in toto corpore inſignem extenſionem ſuſtineant, & quoniam immenſa vaſorum ſanguiferorum copia in viſcere commemorato continetur, per totam meningem piam ſe diffundens, eamque tunicam per omnes ſulcos interioresque cerebri anfractus comitans, variosque in cavitatibus ventriculorum cerebri plexus formans, vaſa hæc nimium quantum extenſa cerebrum undi-

undiquaque comprimere debere, tuto concludunt, & ex BOERHAAVII experimento cum homine Parisino, duram matrem denudatam gestante, instituto, qui leni cerebri compressione, somnolentiam, aucta sensim, profundum somnum fuit expertus (*g*), hypnoticum opii effectum declarant. His tamen non obstantibus, variæ gravissimæ rationes aliud omnino suadent. Notabili experimento in specubus, halitus narcoticos spirantibus, instituto, abunde perspicuum evadit, insignem humorum resolutionem, ullo absque sopore, existere posse; homines enim, observante KAEMPFERO (*h*), per quinque minuta prima ibidem sudore maxime diffluentes, salva vita vigiliisque minime perturbatis, commorantur, & exinde postea corpore animoque alacriores exeunt. Porro quoque in febribus ardentibus vehementissimis vigiliæ præ somno plus molestiæ ægris concitant, unde coma somnolentum rarum febrile symptoma deprehenditur, & tamen insignis resolutio ordinarie in iisdem præsto est. Sic etiam BOERHAAVIVS (*i*) observavit, in variolis, phrenitide, paraphrenitide, febre ardente, pleuritide, iuvenes per dies noctesque integris octo nychthemeris nullum plane cepisse somnum. Inprimis vero extractum opii, coctione diuturna omni effectu hypnotico orbatum, huic theoriæ pollicem premere vetat; aquæ enim molem æquali fere gradu, ac idem præparatum eadem vi adhuc instructum, auget.

Ad hoc demonstrandum, adhibui unciam unam aquæ simplicis, cui drachmam dimidiam extracti opii actuosi indidi, huiusque solutionis guttas 30. instillavi unciæ aquæ frigidæ, pondusque 100. guttularum mixti huius inveni æquale drachmæ uni, cum eiusdem aquæ 100. guttæ ante miscelam drachmas duas & grana octo ponderassent. Ad mediam ita-

 que

(*g*) Prælection. academ. Volum. II. §. 284. p. 583.
(*h*) Amœnitat. exotic. Fascic. II. pag. 422. sqq.
(*i*) Prælection. academ. Volum. IV. §. 599. p. 578.

que partem processit resolutio. Eidem deinceps quantitati aquæ commiscui drachmam dimidiam extracti opii omni activitate destituti, huiusque mixturæ guttas 30 instillavi unciæ uni aquæ puræ, peractaque unione, 100. guttarum pondus æquabat drachmam unam cum dimidia. Quoniam vero hæc aquæ extensio eum non attingebat resolutionis gradum, ad quem actuosum Opii extractum ascendebat, hinc infudi gtt. 100. huius extracti soluti unciæ uni aquæ pondusque gtt. 100. æquale deprehendebatur drachmæ uni cum granis xviij. Ad manus erat Extr. centaur. minor. vinos. commiscui drachmam dimidiam cum uncia una aquæ, totumque hoc mixtum in unciam unam novæ aquæ migrare permisi, & huius gutt. 100. æquabant drachm. j. & grana xij.

Sterile igitur opii non solum, sed etiam centaurii minoris extractum, maiori licet copia adhibitum, cum eodem fere gradu, quam alterum activum aquæ atomos in maius spatium extendat, & tamen somnum nullo modo efficiat, invicti inde roboris argumentum exsurgit, missa in resolvente, quæ tamen ambabus conceditur, aliam effectus hypnotici dari causam. Ad hanc indagandam experimenta D. Whytt (*k*) nobis inservient. Usus nimirum est laudatus Autor rana, cui solutio opii aquosa ἄνω καὶ κάτω fuerat ingesta; huius cor ad perfectam redactum quietem, nullo modo, adhibita irritatione, ad motum iterum sollicitari potuit, applicatoque medullæ spinali stimulo, alia membra simili modo commotionem renuebant. Musculi alius ranæ, horæ unius spatio, post sumtum opium, insignem virium prostrationem expertæ, stimulo sollicitati, nullum contractionis signum edebant, quo & experimentum Zimmermannianum collimat (*l*), ubi nempe

(*k*) An Essay on the vital and other involuntary motions of Animals, p. 370. 372.

(*l*) Diss. de Irritabilitate, sub Præsid. Illustr. *de* Haller Gottingæ 1752. ventilata, pag. 56.

pe cor muris exsectum vasi murrhino impositum, Laudano liquido Sydenhamii instillato, omni motu subito destitutum fuit.

Ex his igitur dilucide apparebit, effluvia narcotica solidarum nostri corporis partium irritabilitatem destruendo, actionem suam absolvere, cuius sententiæ, ni fallor, Exper. D. Oeder auctor est, peculiarique Dissertatione *de Irritabilitate*, Hafniæ 1752. habita, illam exposuit. Quoniam vero non omnes musculi æquali gradu sunt irritabiles, in illis, quibus minor irritabilitas inest, primario eiusmodi destructio existat necesse est. Iam vero sensationum motuumque voluntariorum nervos musculosque minus forti ditavit irritabilitate Creator sapientissimus, quam partes actionibus vitalibus inservientes. Ergo illæ citius his vivido statu non possunt non privari, eaque de causa tunc obiecta consueta in organis sensoriis æque minus, quam voluntas animæ in musculis voluntario motui dicatis, effectum gignere valent. Cum igitur ille corporis nostri status, quo organa sensoria actiones obiectorum externorum amplius haud persentiscunt, consuetique motus spontanei exspirant, *somni* nomine venire solet, hinc in his partibus, irritabilitate leviori gradu imminuta, somnolentia, fortiori vero, somnus naturalis, penitus tandem sublata, stupor & narcosis omnino provocantur; subitanea vero mors infertur, si effluvia narcotica corpori nostro tam copiose insinuantur, ut nervis vitalibus simul irritabilitatem demant.

§. XII.

Quam facili igitur negotio e destructa irritabilitate evincere potuimus, qua ratione effluvia pluries iam memorata somnum concilient, eo tamen majori difficultate laborat modi demonstratio, quem hæc, irritabilitatem destruendo, observant. Naturam hoc in casu eiusmodi involutam tenebris

conſpicimus, ut perſpicaciſſimus etiam HALLERVS l. c. publice fit profeſſus, ſibi eo usque pervenire nondum licuiſſe. Plura itaque hac de re proferre vetat arctis circumſcripta limitibus medica cognitio; lucidiorem explicationem tempus, rerum optimus magiſter, forſitan nobis ſuppeditabit: ulterius ergo nil adiiciam, modumque potius, quem medicamentum minerale noſtrum, effectus hypnoticos exhibendo, tenet, penitius luſtrare iuvabit.

§. XIII.

Cum iam evictum dederimus, præter perfectam phlogiſti ſeparationem promtamque in nervorum texturam penetrationem, nihil amplius ad phænomena hypnotica exhibenda deſiderari, medicamentumque noſtrum hac turgeat ſubſtantia, exponendum nobis reſtat, quibus legibus eiusmodi liberatio & penetratio in noſtro abſolvatur corpore. Eædem vero leges, quas alcali fixum terraque calcaria ex præmiſſis (§. IX.) ſervarunt, hic quoque valent. Nempe haud omnes phlogiſticæ partes immediate Mercurium, ſed permultæ tantummodo alias ſimiles contingunt, cumque illis cohærent. Quamdiu hoc compoſitum in ventriculo inteſtinisque continetur, ad contactum cum liquidis ibidem hærentibus pervenit; ſi itaque hæc pure aquoſis tantum accenſenda eſſent, denſiores tamen craſſioresque phlogiſticis exiſterent, adeoque his poſterioribus plura contactus puncta, quam quibus mutuo gaudent, communicare poſſunt. Ergo cum iisdem æque fortius, quam inter ſe, cohærebunt, cohæſioneque facta, ope continui de- & affluxus liquorum in primis viis hærentium, partes cohærentes abripiuntur, aliisque ſimul particulis anſa, ut denuo adhærere queant, ſubminiſtratur. Noſtri vero liquores, gaſtricus nempe, pancreaticus & ſaliva etiam ſal ammoniacale continent (per principia Phyſiol); ob ſalinarum igitur partium præſentiam maior adhuc punctorum contactus nu-

numerus, maiorque liquidorum noſtrorum cum partibus phlogiſticis cohæſio ſuppeditatur, unde liberatio maiores obtinet progreſſus. Eiusmodi hoc pacto liberatæ partes phlogiſticæ in halitus inſenſibilis forma inſigni cum celeritate poros vaſaque abſorbentia tunicarum ventriculi permeant, nervorumque ibidem diſtributorum irritabilitatem tollunt.

At enim vero quem fugit, arctiſſimus ille ventriculi cum reliquis corporis partibus, capite inprimis, conſenſus, isque adeo exquiſitus, ut vehementior eius irritatio haud exigui momenti motus toti imprimat corpori? Qua de re etiam Perilluſtr. L. B. *van* SWIETEN (*m*) ventriculi nervis haud exiguam in ſenſorium commune vim tribuit, narcoticam opii vim in eo potiſſimum conſiſtere ſtatuens, ut hiſce nervis mutationes quasdam inducat, quæ cerebri vim ſentientem obtundere valent, theſinque hanc ſequentibus adſtruit argumentis: Primo, quia unicum granum opii deglutitum dolori 8. horarum inducias attulit, licet poſtea illud integrum per vomitum reiectum fuerit. Deinde, quia morbi dantur complures, in quibus cerebri actiones peſſime turbatæ viſuntur, materiali ſcilicet cauſa omnium horum malorum in ventriculo tantum hærente. Trigam denique argumentorum WEPFERI obſervatione complet, quod nempe venenum cicutæ aquaticæ ſimplici interioris ſuperficiei ventriculi attactu actionem ſuam perfecerit. Ex quibus liquido convincimur, phlogiſticis partibus unice in ventriculi nervos agentibus, vividos ceterarum partium motus ſtatim inſignem in modum imminui, hacque ratione ſomnum prognaſci. Unicus vero hic agendi modus non eſt; per vaſa enim lactea & bibula M. S. quoque committuntur & per nervos ventriculi toti ſyſtemati nervoſo inſinuantur, ſicque ad cerebrum usque deferuntur. Ergo irritabilitatem quoque reliquorum nervorum imminuendo homines ad ſomnum pronos reddunt.

Inſu-

(*m*) Commentar. in Aphor. Boerhaav. Tom. I. pag. 370. ſq.

Insuper nostrum medicamentum aliis etiam compluribus radiat virtutibus. Iam enim irritabilitatem tantum cohibendo, efficacibus anodynis & antispasmodicis annumerandum foret, ideo vero in hisce locum iure meritoque tuetur, quoniam salia, ob maiorem copiam, dolores & contractiones p. n. fibrarum excitantia, cum liquoribus primarum viarum secreta, huic medicamento fortius præ liquoribus nostri corporis adhærent, hinc, illis relictis cum medicamine laudato unionem subeunt. Hoc modo omne salinum præternaturale reiterata dosi huius præparati ex magna lymphæ quantitate, singulis diebus in primis viis secernenda, absorbetur iterumque nunquam tam promte solvendo par est; adhæsionis enim huius ope salinarum partium gravitas aucta ineptitudinem ad solutionem ipsis conciliat, quam insignis lymphæ edulcoratio excipiat necesse est, quæ iterum deinceps sanguinis oceanum ingressa, denuo notabili salium quantitati, ibidem hærenti, sese associat, factaque nova eius in primis viis secretione denuo nova in se recepta salia promicondi more ibidem deponi, novamque edulcorationem sustinet, quid? quod sanguini per vasa absorbentia & lactea commixtum phlogiston salia præternaturali quantitate ibidem diffusa obducit, molemque salium augendo subtilitatem illorum insimulque actionem inde oriundam imminuit, saliumque superficiem una obducendo, impedit, quo minus a salibus fibræ immediate contingi possint. Ergo actionem quoque salium in fibras ex adhæsione minuit, eaque propter non solum laudibus egregii medicamenti antispasmodici, verum etiam antipodagrici sanguinemque purificantis condecorandum venit, cumque, ablatis spasmis, secretiones excretionesque omnes decenter fiant, denuo inter diaphoretica diureticaque locus ipsi non denegandus erit, ex quo haud difficulter coniicitur, medicamentum hocce in multis aliis occasionibus energia sua non destitui.

§. XIV.

§. XIV.

Quo vero tractationi nihil deſit, aſſertumque noſtrum per tentamina in corpore humano inſtituta ab omni dubio vindicemus, pulveris huius in corpore humano effectum eo ordine, quo experimenta facta ſunt, commemorare, haud abs re fore mihi perſuadeo.

Vir circiter 46. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, per menſis ſpatium hoc incommodi ſentiebat, ut ſingulis noctibus bihorio durante a 10. nempe ad 12. usque horam ſomno paſtus, evigilaret, reliquam noctem, inſigni cum moleſtia, inſomnis tranſigens. Sanguinis ebullitio, dolores, animi pathemata, alvi obſtructio aberant, ſueta venæſectio adminiſtrata, nihilque præternaturale animadvertere licebat. Hoc igitur ſymptoma e velociori humorum motu per vaſa cerebri tantummodo deducendum ſupererat, quo nempe vividior paullo nervorum oſcillatio non poterat non vigiliis potius, quam ſomno ſuppetias ferre.

Propinabam ſcrupulos duos huius pulveris terna vice ſingulis veſperis, primaque doſi ſumta ſuaviſſimus per totam noctem durans ſomnus ægrum reficiebat, aſſumtisque reliquis duabus, priſtinæ ſanitati reddebatur.

Vir quadragenarius, pleuritide vera ex voto defunctus de ſomni defectu conquerebatur, licetque alimenta probe appeteret, plenariæ tamen virium reſtitutionis particeps fieri non potuit.

Adſcripſi hunc affectum præternaturali partium irritabilitati e dicta pleuritide ſuperſtiti, hinc ſuaſor fui, ut drachmam unam tribus æger vicibus ſumeret, quo facto anxie deſideratus ſomnus redibat, ſimilemque huius medicamenti effectum in quamplurimis aliis, qui, exantlatis diverſis morbis, ſomni tantum defectum accuſabant, certiſſimum deprehendi. Nonnullis etiam aliis ſanitate & ſomno ex aſſe fruentibus, porrexi, præterque ſomnum ſolito profundiorem, ſomnolentiam

tiam quoque interdiu paſſi videbantur. Quid? quod inſignis plane præſentaneusque in morbis, graviſſimis doloribus ſtipatis, effectus obſervatus eſt. Mulier, quinquaginta, & quod excurrit, annos nata, malo hyſterico ſæpius vexata, ſubito, aſſumtis lacticiniis carneque ſuilla, choleræ humidæ, graviſſimis cruciatibus iunctæ, implicabatur, adeo ut intra unius horæ ſpatium 36. vomitus & 12. ſedes ſe invicem exciperent. Clyſteribus & cataplaſmatibus ex herbis nervinis, in vino generoſiori coctis, internisque medicamentis convenientibus, irrito ſemper ſucceſſu, morbus hicce oppugnabatur. De vita huius ægrotæ valde ſollicito varia menti obverſabantur, ſubiit tandem memoriam pulvis laudatus, dedique ſcrupulum unum pro doſi in vino, circiterque 10. minutorum ſpatio levis unius horæ ſomnus ſuccedebat, quo facto evigilans, hauſto potu Coffee binis vicibus ipſi neceſſitas vomendi imponebatur, tunc ſcrupulo uno huius pulveris in vino iterum exhibito, vomitus, ſomno trium horarum comite, evaneſcebat. Quibus peractis, cum nihilominus nauſeæ cuiusdam veſtigia adhuc ſupereſſent, ſcrupulum unum iterum cum vino hora circiter octava veſpertina porrigebam, qui multum nocturnæ quietis ægræ impertiebat, diarrhœa, colica, vomitu nauſeaque in umbram nebulasque reſolutis, adeo ut, lecto dimiſſo, deambulationi vacare poſſet.

Gravida quædam, cui ſpatium bimeſtre ad partum usque ſupererat, quamque, phantaſiæ corruptæ ope, larva patris defuncti agitabat, tanto terrore perculſam ſe ſentiebat, ut cruciatibus graviſſimis, ordinariis ad partum moliminibus, prodigaque hæmorrhagia uteri tentaretur. Huic ad præcavendum abortum hora IX. matutina gr. xv. huius pulveris obtuli, ſubſequente inſigni dolorum remiſſione. Hora tertia pomeridiana eodem remedio in uſum vocato doloribus motibusque fugam capeſſere coactis, nox ſomnum præbebat iucundiſſimum, horisque matutinis aſſumta tertia doſis cunctis ſymptomatibus finem imponebat. Eiusdem commatis remedium alii puerperæ,

ob

ob vehementes animi irati commotiones iisdem malis afflictæ, pereximio fuit adiumento.

Vir quinquagenarius intra tricennium, & quod excurrit, officinis chymicis, in quibus multi arsenicales labores peragebantur, ab hora 7. matutina ad vespertinam usque decimam continuo interesse coactus, variis pectoris membrorumque morbis infestabatur, e quibus vero, adhibitis congruis remediis, perfecte convaluit. Hunc subito, neglecta venæsectione, singulis anni quadrantibus alias administrari solita, arthriticis doloribus, iunctis febrilibus commotionibus, primæque notæ cephalalgia oppressum deprehendi, adeo ut capiti nec elevando, nec in latus reclinando par esset; phlebotome instituta adhibitaque decenti medela, febriles arthriticique insultus non amplius urgebant, excepta cephalalgia pervicaciſſima. Usus clysterum & vesicatoriorum erat frustraneus, linimentaque spirituosa sedativa animi deliquium provocabant. Drachma una huius pulveris quatuor vicibus mane vesperique sumta somno placido ægrum reficiebat, doloribus eo gradu remittentibus ut caput iterum attollere, & quaquaversum sine molestia movere posset. Tum drachma una in quatuor doses divisa & successive assumta, cephalalgiam a pristinæ scenæ reiteratione detinebat, ægro cum sanitate omni ex parte in gratiam redeunte.

Vir 65. annorum, temperamenti cholerici, cum in prandio multum carnis anserinæ assatæ pinguis, lactucæque cum acido confectæ comedisset recipiebat se in conclave frigidum, ibique, fenestris apertis, per unius horæ spatium laboribus suis vacans, statim notabili gravativo dolore in superiori ventriculi orificio tentabatur, qui illum, ut domum nulla mora interposita repeteret, compellebat; vix autem eam ingressus, cardialgia nimium quantum invaluerat, constrictaque per consensum aspera arteria, spiritum ægre adeo trahebat, ut, sudore frigido e genis manante, quovis momento suffocationem pertimesceret. Hos inter angores æger arcessendum me curabat, me vero tunc absente Chirurgus in auxilium vocatus in brachio V. Snem, frustraneo licet

effectu, administrabat. Dimidio horæ exacto, me illuc conferebam, utque irritantem corrodentemque acredinem, quæ, in ventriculo ab assumtis prædictis cibis generata, cardialgiæ huius causam constituebat, cito amoverem, ordinavi potionem ex aquis destillatis, cum Magnes. alb. pulv. antispasmod. lapid. cancror. & Tinct. rhabarb. aliquot vero vomitus absque levamine sequebantur, anxietatibus adeo auctis, ut de vita æger desperaret. Pulverem ergo nostrum adhibui, quo facto intra horæ quadrantis spatium dolores notabiliter remittebant, unde, ad saburram acidam eliminandam, denuo gr. xv. huius pulveris & gr. v. auri fulminantis pro una dosi exhibui, doloribusque cito sublatis & somno iucundo per bihorium succedente, alvus, post 4. horarum decursum, solvebatur, cumque sumto iusculo hæc cardialgia iterum novum minitaretur insultum, exhibitis huius pulveris duabus dosibus penitus conquievit, laxante rhabarbarino cum sale Sedlicensi & Essent. stomachica medicationi huic coronidem imponente.

En! Lector benevole, experimenta a medicamento nostro profecta, quæ de præsentia evidenter nondum adhuc demonstratæ virtutis hypnoticæ in regno minerali Te certiorem reddunt. Neque magni ponderis judicanda est obiectio, quod ab hisce ad effectum narcoticum & stupefacientem non valeat consequentia; eiusmodi enim efficacia non medicamentorum, sed venenorum est, dosesque largiores exhibendo experimenta per mortes instituere officii vetat ratio. In animalibus quidem periculum factum est, vomitu vero a canibus felibusque reiectum medicamentum observatorem elusit.

Suffecerit igitur demonstrasse, laudatum pharmacum ad instar modicæ doseos opii somnum naturali simillimum producere, parique passu cum papavere nostrate ambulare, cui etiam nulla tam insignis virulentaque vis narcotica inest, hocque nomine hypnoticorum classi non minori iure illud esse inserendum. Hisce, quos præsenti tractatione ob oculos posui, conatibus, plura quo minus subiungam, limites prohibent; pedem potius hic figo, reliqua, quæ clariorem huic materiæ lucem afferant, exercitatioribus lubentissime relinquens, certissime persuasus, exiguos etiam in re adhuc minus perspicua ausus, faciliorem veniam, quam totalem negligentiam promereri.

MERCV-

MERCVRII SOPHICI DELARVATI

EX

PHILALETHAE

INTROITV APERTO
AD OCCLVSVM REGIS PALATIVM
IN CONSPECTVM CHYMICORVM PRODEVNTIS,

SIVE

COMMENTARII

DECEM PRIMA OBSCVRISSIMA ILLIVS AVCTORIS

CAPITA

DE

MERCVRII SOPHICI PRAEPARATIONE

PERSPICVE PER IGNEM DILVCIDANTIS.

LIBER IV. ET VLTIMVS

AVCTORE

IOANNE HENRICO COHAVSEN

HILDESIO-SAXONE, MEDICINAE DOCTORE.

OPVSCVLI PROTOPHYSICI

LIBER QVARTVS

DE

MERCVRII SOPHICI PER AQVILAS VOLANTES PRAEPARATIONE, EIVSQVE LABORE ET TAEDIO.

PRAEFATIO.

Ingredimur nunc obſcuriſſimum HERMETIS lucum, veriſſimum potius labyrinthum, cuius quidem ingreſſus facilis & amœnus videtur, egreſſus autem longe tædioſiſſimus eſt & difficillimus. Prævolant geminæ Dianæ columbæ, & ad ipſa ſylvæ adyta argenteis pennis alliciunt amatores, ubi tamen præter opinionem mox ſeptem vel novem aquilas rapaces offendunt, illarum cum truculento leone conflictum conſpiciunt, imo etiam Draconem igneum cum Marte dimicantem & canem Coraſcenum rabidum & hydrophobum, pluraque alia monſtra (quid enim aliud eſt infans hermaphroditus ſtulteſcens?) non ſine metu & tremore ſpectare coguntur. Et certe quid aliud eſt ſeptimum Introitus aperti Caput, *de Mercurii Sophici præparatione*, quam umbroſiſſimum parabolarum griphis, imo potius gryphibus obſeſſum nemus, quod inhabitant Dianæ volucres, ſeu potius Harpyæ, quæ ingrediens ignarum Artiſtarum vulgus devorant, id eſt tot fruſtraneis laboribus & tentaminibus ſumtus & tempus nobiliſſimum conſumunt, dum quivis vel ex trivio Artiſta ſibi perſuadet, ſe intelligere PHILALETHAM, & nil reſtare, quam ut, parato per regulum martialem mercurio, ceu fidiſſimo comite, ad regii Palatii intima penetralia recta via audacter ingrediatur. Ubi tamen poſt immenſos exantlatos labores, poſt tot cum aquilis pugnas, cum Dracone igneo certamina, poſt tot præſtita Dianæ ſervitia, poſt implorata Saturni auxilia,

xilia, re ipſa experiuntur, ſe ab avibus iſtis ad avia peſſime ſeductos, ab aquilis in corpore & crumenis laceratos, a Dracone veneno infectos nil minus eſſe, quam Philoſophos, ſed meros carbonarios, ciniflones & antimonii fuſores. Ne igitur genuinos ſcientiæ filios idem fatum maneat, decrevi illis inſtar fidi Achatis præire, obſcuras patefacere vias, iſtas avium & belluarum parabolicas technas detegere, idque fundamentali doctrina, ex ipſis Sophorum ſententiis harmonice conſpirantibus deſumta, ut pateat, PHILALETHAM ſub novis parabolis non tamen nova & inaudita artis præcepta tradidiſſe. Tu lector crebrius hæc lege & rumina.

CAPVT I.

quod

Introitus aperti ſeptimum eſt,

de

Operatione primæ Mercurii Sophici præparationis per aquilas volantes.

Scias frater, quod exacta aquilarum philoſophicarum præparatio primus perfectionis gradus cenſetur, in quo cognoſcendo ingenium requiritur habile. Noli namque credere, quod alicui noſtrum caſu vel imaginatione fortuita provenerit hæc ſcientia, prout ſtupidum ignarum Vulgus credit. Verum diu multumque ſudavimus, multas noctes inſomnes duximus, multum laboris ac ſudoris ſumus perpeſſi, ut veritatem conſequeremur.

Ubi nunc tuus, PANTALEON, ſarcaſmus, ubi convitia, quibus PHILALETHAM obruis, & Lapidis furem, Theoriæ autem & praxeos plane ignarum exclamas, fidem penes veritatis phyſicæ gnaros invenient? Multus & diuturnus labor ſudorque & vigilatæ noctes, quocunque etiam tacente patrono, te calumniatorem reddunt: Scientia etenim hæc nulli caſu obvenit, dubito an furto, neque hic, ut dici ſolet, per ven-

ventos assa columba venit. Adynaton est, mercurium Philosophorum forte fortuna reperire, quia non nisi applicato ad debitum passivum agente proprio, & unico & adhuc laboriose & tædiose satis, acquiritur, quod magnam ingenii subtilitatem & manuum dexteritatem requirit. Quodsi autem tibi non sit exacta aquilarum philosophicarum notitia, amabo in quas ambages, ad quæ devia, inter tot millia subiecta ad opus plane inutilia, rapieris.

Ea propter Tyro studiose certo scias, quod absque sudore & labore nil efficies, puta in opere primo, licet in secundo natura sola opus exequatur absque ulla manuum impositione, solo igne moderato externe adhibito.

Opus prævium mercurii principiorum præparationi dicatum PHILALETHA singulari candore *primum* appellat, quod antiqui penitus subticuerunt, ab opere secundo, quod primum appellant, artis processum inchoantes. In opere itaque primo, in quo omnis cardo vertitur, scilicet in præparatione materiarum mercurii spermaticarum, labor & sudor est. Labor, ne pars subtilissima aufugiat; nam *mercurii menstruum*, inquit Clangor Buccinæ, *debet deleri & seponi, & solum semen debet servari & recipi, quod est eius media substantia, quæ perficit & ab ustione defendit, ne virtus seminalis castretur, ne halitus noxii Artistam inficiant.* Exprimit hic labor non raro sudorem. Arcanum in eo consistit, ut Draconis ignei volatilis colligatur sudor, ut eius sulphurea pinguedo separetur, ut secernatur lympha & terra superflua. In opere vero secundo, ipsa nempe principiorum naturæ in Mercurium Sophicum excoctione, nulli adsunt manuum labores, nisi quos solus ignis externus requirit. Animadvertite auctoris nostri laudabilem candorem.

Intellige ergo Frater Sophorum dicta. Cum scribunt, aquilas suas ad leonem vorandum esse ducendas, quarum quo parcior numerus, eo gravior lucta, tardior item victoria: præstantissime autem opus

perfici ſeptenario numero aut noveno. Eſt puta mercurius Sophicus avis Hermetis, qui nunc anſer vocatur, nunc phaſianus, nunc hic, nunc ille. Ubi vero loquuntur Magi de aquilis ſuis, plurali numero loquuntur, numerumque aſſignant a tribus usque ad decem. Non tamen ſic volunt intelligi, ac ſi totidem aquæ pondera ad unum terræ vellent. Verum de intrinſeco pondere dicta ſua interpretari opportunum eſt, nimirum capiendam eſſe aquam toties acuatam, quot illi numerant aquilas, quæ acuatio fit per ſublimationem.

Quod hic de conflictu aquilarum & leonis illarumque numero adfert PHILALETHA, deſumſit ex arcano Hermeticæ Philoſophiæ opere ESPAGNETI, Canon. CVIII. & CXIX. ubi quod hic obſcurius propoſuit, ſincere filiis artis propalatur. Nempe ſeptem vel novem aquilas non deſignare pondus externum & proportionem ſpiritus ſeu aquæ ad terram, ſed ſublimationem duntaxat illius toties repetitam, ut infra latius ex concordantibus Philoſophorum parabolis patebit. Incorrigibilis profecto error foret, etiamſi quis in veris laboraret materiis, unum terræ pondus decem aquæ coniungere. Nam hoc compoſitum vix per artem, niſi forte intra decem annos, ut quidam ſupputat Philoſophus, poſſet congelari. Duæ igitur aut ad ſummum tres ſufficiunt aquilæ, quæ ſi ſepteno aut noveno volatu exercitatæ ſint, iuxta ESPAGNETVM ſat roboris & generoſitatis habent ad debellandum & dilacerandum Leonem in opere primo, & ad vincendum Draconem rufum, animoſum, bellicoſum in opere ſecundo. Quælibet enim ſublimatio novum addit robur, unde mox PHILALETHA:

Eſt ergo ſingula ſublimatio Mercurii Philoſophorum aquila una; ſeptimaque ſublimatio Mercurium tuum ſic exaltabit, ut balneum regis tui fiat convenientiſſimum.

Artiſtarum vulgus poſtquam regulum martis ſtellatum cum Dianæ binis columbis ſeu duabus partibus argenti, in igne colliquando in maſſam redegit, cumque hac mercurium vulgi amalgamando coniunxit, hunc rurſus per alembicum chalybeatum aut vitreum in igne aperto vel arena abſtrahit & aqui-

la

la una parata eſt. Separatum hunc mercurium de novo cum regulo martiato-lunari exacte miſcendo coniungit, & iterum iterumque, ad ſeptimam usque vicem volare facit, & tunc ex illius voto mercurius Philoſophorum paratus eſt.

Verum triumphus canitur ante victoriam. Deducitur hæc pſeudo-aquila in ſolis conſpectum, & illi acies oculorum mox penitus hebeſcit; nimium quoque infirmus eſt, quam ut poſſit Leonem dilaniare. Neſciunt ſane iſti, quid ſit ſublimatio philoſophica, quæ rei exaltatæ duntaxat dicit gradum ſublimiorem. Vulgaris ſublimatio in aqua locum non habet, in qua nil vaſi adhæreſcit. Nolite autem vobis perſuadere, quod ſicca & arida hic tractentur. Regis enim balneum paratur, & per plures quidem abſtractiones ſeu deſtillationes proprie dictas, quarum proceſſum Basilivs Valentinvs Clavi 2. indicavit hac ſimilitudine: *Nonnullæ præparationes tuarum aquarum deſtillando ſæpius repeti debent, ut id, quod a terra abſtractum eſt, ipſi ſæpiſſime reddas, ac iterum abſtrahas, velut maris Euripus terram ſæpe relinquit ac rurſum obtegit, donec ad certam metam perveniat.* En! veram Philalethinam aquæ acuitionem per novem aquilas ſeu totidem deſtillationes philoſophicas.

Quare ut probe nodum hunc explicatum habeas, arrige aures attentiſſime (& Vos quoque Sophiſtæ veſtras auriculas)! *Sumantur Draconis noſtri ignei, qui in ventre ſuo chalybem occultat magicum, partes IV. magnetis noſtri partes IX. miſce ſimul per vulcanum torridum in forma mineralis aquæ, cui ſupernatabit ſpuma reiicienda. Teſtam repudia, nucleumque ſelige, purga tertia vice per ignem ac ſolem, quod facile fiet, ſi Saturnus in ſpeculo Martis ſuam formam aſpexerit, fiet inde Chamæleon ſive Chaos noſtrum, in quo latent omnia arcana virtute, non actu.*

Tripudiant hic ſecum adhuc tacito Artiſtæ. Nunquid ineptum eſt, aiunt, proceſſum hunc Draconis ignei & magnetis de aliis ſubiectis, quam de Regulo martis intelligere? Quis

enim, niſi cœcus, non videat ibi expreſſe & antimonii & martis mixturam indicari, & ſcorias quoque, quæ in illius fuſione emergunt, ſeparandas? Numquid antimonium & ferrum in forma mineralis aquæ liquantur? Numquid tum ſpuma reiicienda ſupernatat? Numquid nucleus ſive Regulus ſeparatus repetita fuſione depuratur? Numquid tum Saturnus, ſive antimonium, in ſpeculo Martis, id eſt regulo martiali, inſtar ſpeculi puriſſimi ſuam formam, id eſt ſtellam, adſpicit? Ita ſane eſt amici, rem acu tetigiſtis. Adſtipulatur vobis PANTALEON, polymorpha iſta Philoſophorum ſimia, & hunc proceſſum ſua auctoritate confirmat in *Bifolio metallico*, imo addit, aliquid ex charitate chriſtiana ſe hic debuiſſe monere, quod PHILALETHA non ſine prægnanti ratione omiſit, *cavendum nempe eſſe omni ſolertia, ne in iſta ſeparatione puri ab impuro totus mercurius in ſcorias terreſtres nigras abeat, & regulus martialis per crebram ſalium admixtionem & fuſionem, vel etiam nimiæ copiæ ferri candentis adiectionem in impuriſſimas ſcorias arſenicales totaliter convertatur.*

O miſeras & ſcorioſas columbas, Dianam atque Venerem! ô leproſum mercurium! ô martem lue plus quam Cypria infectum! an tales ſocii ad regium thalamum aſpirent? ite nunc, fundite, liquate, depurate regulum. Non invideo vobis veſtrum Chamæleonem, veſtrum chaos, in quo ſcilicet omnia veſtra latent arcana virtute, ſi tantum ea in actum poſſetis redigere. Non opus erat hac admonitione; ſapientiores iam pridem iſtum regulum extra artis pomæria ablegarunt.

Sed ecce! alius adhuc ſocius hic prodit, qui, ut corporis ſui pulchritudine oculos faſcinet, totus comparet nudus, iudicium quaſi Paridis ſubiturus, ut pomum Eridos ſibi vendicet. Iactitat ſe Draconem igneum, aquam mineralem, & verum Chamæleonem, & corpus lucidiſſimum, ceu genuinum Dianæ ſpeculum, præ ſe fert. Quis vero ille? talaria & cadu-

caduceus ſervum fugitivum produnt. Verſatilis ille eſt nepos Atlantis Mercurius, ſed nunc pennis aquilinis ad humeros affixis & ſepteno a terra volatu ſuperbus, ſe ſpeculum ratus, in quo innubis Phœbi & Dianæ facies queat repræſentari, puriſſimum iam ſe putat, & ab omnibus maculis, a matre menſtruata originaliter contractis, liberum; verum qui Sophus eſt, eum nec ſic ſuperficialiter, non centraliter, mundatum admittit: quantumcunque enim in ſuis moleculis reflectat lucem, nunquam tamen fiet pellucidus ut Mercurius Philoſophorum, qui inſtar magnetis lucem imbibit, concentrat, retinet, & ſecundum naturæ Myſteriarchas ſpeculum eſt, in quo totum mundi maioris ſyſtema ſecundum præcipuas rerum naturalium actiones & mutationes conſpicitur.

Verum non acquieſcunt hiſce Mercurii patroni, etiam viri alias inter modernos ſpagyros celebratiſſimi, & ad RVPECISSAM prouocant, cuius iuſſu eundem cum vitriolo & ſale ſepties ſublimatum abiicere omnes impuritates, & a vitriolo attrahere verum ignem naturæ & ſulphur, ſicque evadere ſophicum, profitentur. Adeſt autor anonymus Tractatus, cui titulus: *Radix Chymiæ*, & ſic ſane intelligendas eſſe PHILALETHAE aquilas publice aſſerere non veretur. Et ecce! mercurius putatitio hoc igne & ſale naturæ circumveſtitus proſilit in medium; ſed forte abeſt Carbonarius aut Gebri lixa, qui mercurium ſic larvatum in caldarium aquæ ferventis vicinum protrudit. Incidit mercurius, præcipitatur in fundum vivus, neque ex eo redit intrinſece mutatus. Rident pueri fatum mercurii, ex quibus forte naſutior: En! inquit, Mercuri veſtem tuam, unde iam redis nudus? Regalem togam, quam Sophorum mercurius a ſulphure & ſale naturæ induit, exuit nunquam. Hæc enim illius eſt perfectio, quæ nunquam ab eo ſeparatur.

Sed quo delabimur amici! an ſcenam ludimus? Mercurius vulgi certe nobis fecit non inficetum interludium. Et ipſe

PHILALETHA videtur in hoc Capite potius egiſſe Comicum, quam Philoſophum, tam variis ludens ſcenis, quas nunc ſingulas oculo philoſophico inſpiciemus. Dixi ſupra, duo eſſe mercurii principia conſtituentia, nempe Draconem igneum, ſive chalybem, quem Capite tertio excuſſimus, id eſt ſpiritum volatilem & ſubtiliſſimum, & magnetem, ſal centrale fixum, quem Capite quarto itidem ſufficienter deteximus. Hæc duo quando proportione debita miſcentur, revera induunt formam aquæ mineralis, quæ tamen partem aliquam reiiciendam, nempe excrementum illud triplex iam ſuperius indigitatum, & nucleum ſeligendum, quem ſubſtantiam mediam Mercurii vocant, habet, ſiquidem & ſpuma & teſta, id eſt, & pars prima & ultima operi cenſentur inutilia, unde paſſim Philoſophi: *Cave ne accipias de primis, nec de ultimis, ſed quod ex ipſis eſt, quia prima ſunt nimis ſimplicia, & ultima nimis groſſa.* PHILALETHA in *Enarr. Method. trium Gebr. Med. pag. 12.* Purgatione horum rite facta, habes verum Saturni ſpeculum; rogas quale? audi Fr. BASILIVM Clavi 5. *Cum homo ſpeculum inſpicit, reflexio ipſius imaginem cauſatur, quæ ſi manibus attingatur, nihil palpabile ibidem invenitur, niſi ſpeculum, in quod homo reſpexit. Ita etiam ex hac materia ſpiritus viſibilis educendus eſt, qui tamen impalpabilis eſt. Ille idem ſpiritus, inquam, eſt radix vitæ noſtrorum corporum, & mercurius Philoſophorum, unde liquoroſa aqua paratur in noſtra arte.* Ille ipſe igitur ſpiritus eſt, cuius præparationem ex allegoria PHILALETHAE intelligere poſſumus, & quidem operis primi ſimplex mercurialis, non autem ipſe duplicatus Sophorum mercurius; hunc enim ſi ſubinnuiſſet frater, non ſubiunxiſſet: *ex quo liquoroſa aqua paratur*, per quam tamen hic intelligitur.

Iam porro in ſpeculo formam ſuam conſpicere, eſt imaginem ſui duplicare & reddere ſpeciem ſibi ſimilem. Sic & Saturnus Philoſophorum in ſpeculo Martis formam ſuam aſpicit,

cit, id est fit duplicatus, & mercurius in speculo Martis sulphureo fit sulphur, & sulphur in speculo mercurii lucido fit mercurius, id est compositum homogeneum. Ex quibus duobus tandem rursus fit speculum, in quo Sol & Luna formam suam indefinite multiplicatam amant conspicere. Nam metallorum perfectorum aperta sulphura vera sunt specula, uti quoque ab Adeptis appellantur. Conferatur HELMONTIVS.

Restat explicandus *Chamæleon*, in quem Saturnus convertitur, de quo satis est audire verba Fr. BASILII Clavi 9. Ex Saturno multiplices colores proveniunt, qui per præparationem & artem conficiuntur, ut niger, cineritius, albus, flavus & rubeus, & præter hos, qui mixti hinc oriuntur, colores. Ita & materia omnium sapientum varios colores pertransibit, antequam magnus ille lapis ad certam perfectionis metam exaltetur. *Hic est Chamæleon, & hic natus est Draco,* inquit HERMES: *Domus eius tenebræ sunt, & nigredo suas alas comedens & diversos emittens colores.*

Hic est infans hermaphroditus, qui a primis suis incunabulis per canem Corascenum rabidum morsu infectus est, unde perpetua hydrophobia stulteſcit, insanitque, imo licet aqua sit sibi quavis re naturali propinquior, tamen illam horret ac fugit. ô fata!

Pandit se rursus PHILALETHAE theatrum, & nova appareret scena satis heteroclita, infans nempe hermaphroditus, stulteſcens & insaniens, a cane rabido demorsus. An potuisset ipse PLAVTVS excogitare quid festivius? Quid vero sapientibus cum mero stulto commercii? Adverto. Remedium hydrophobiæ postulat. Videamus rei exitum, & in antimonii regulo martiali præludium. Putatur hic constare ex mercurio antimonii & martis. Est igitur hermaphrodita. Sed ab arsenico ceu cane Corasceno infectus est, unde aquam id est mercurium vulgi, horret & aversatur. Sulphur enim arsenicale reguli omnem amalgamationem & unionem cum mercu-

curio impedit, quo minus cum eodem mercurificetur. Faciendus namque eſt mercurius per mercurium. Quod vero regulus martialis ſit Philoſophorum infans, volunt exinde patere, quia 1) in eius mercurio vis eſt ignea ſolutiva, dum ſummo calore aurum ſoluit; 2) quia cum tartaro in occluſo fuſus, poſtea pulveriſatus, ignem ex aëre concipit & incenditur; 3) quia ſtellam gerit, ſignum omnipotentis. Ita ſcenam hanc explicant, qui figuram ſumunt pro figurato, & ſtellam pro ſignato. Et ad literam quidem hæc optime explicata eſſe nemo poſſet dubitare, niſi eventus toties totiesque, diverſis in locis, proceſſus vanitatem & nulliratem docuiſſet. Senſus igitur philoſophicus, licet multo ſubtilior, verior tamen hic eſt.

Inprimis elegans eſt allegoria a cane rabido deſumpta. Sicuti enim hic aquam horret, & vi nulla cogi poteſt ut illam intret, licet eſſet canis alias aquaticus, quod etiam fatum patitur ab eo demorſus: ita corpus ſophicum aquam fugit, id eſt, renuit eam ingredi ſive in ea ſolvi, licet ipſum nil aliud ſit originaliter, quam aqua congelata. Hic igitur merito artis filii, quando corpus detrectat ſolvi in aquam primordialem, cum PHILALETHA exclamant: *ô fata!* Poſſet hac ſolutione mutari in ſapientum mercurium, & elevari ad dignitatem, qualis enti creato poſſibilis eſt, ſupremam; ſed ſtulteſcit inſanitque, ſuamque quaſi horret & fugit fortunam. Non vero ipſe duntaxat eſt infans hermaphroditus, ſed, ut ESPAGNETVS Can. XLVI. ait: *illa pretioſiſſima Venus priſcorum hermaphrodita, utroque ſexu pollens.* Audiviſtis iam ſupra ſubiectum illud ſulphure arſenicali eſſe infectum, unde aquam centralem, cui nupturum eſt, horret, licet eidem natura ſit propinquiſſimum. Hydrophobia ſane eſt nolle perſiſtere in forma aquea & fluida, ſed perpetuo feſtinare ad coagulationem. Quantus ſit huius infantis horror ab aqua, ex ſequentibus meis experimentis pateſcit.

Cor-

Corporis et ſpiritus centra ſunt diuerſa, unde in prima coniunctione terra mea erat inferius, et ſupra illam ſpiritus. Intra tres dies corpus mutabat centrum, et ad horizontem ſpiritus usque elevabatur, ut chaos ante clarum iam amplius non eſſet perſpicuum. Incidebat mihi illud pro bono omine ex ARNOLDI *Villanouani* Teſtamento: *Bufo noſter intra viginti quatuor horas notabiliter intumeſcit.* Videbam rarefieri corpus & inſpiſſari aquam. Sed corpus extra ipſam aquarum ſuperficiem inſtar turrium elevari incipiebat; ſpiritum enim volantem aſſequi conabatur, quod intra dies triginta penitus a fundo elatum & ſublimatum cernebatur. Decidere rurſum incipiebant turres. Superior liquoris pars, antea turbida, penitus clara evadebat; ſupra enim & infra corpus in aquam viſcoſam ſolvi videbatur. Sed o hydrophobiam! ad meditullium chaos fugiebat corpus, & in medio aquarum fornices et columnas curioſo ſpectaculo inter cavernas & vortices conſtituebat. Nolebat infans hic inſanus aquam penitus ingredi. O fata! tanti laboris eſt corporis & ſpiritus unum idemque conſtituere centrum.

Alio tentamine corpus iungebam ſpiritui, & ſubito in chao noſtro, veluti mari, oriebatur tempeſtas, arenas quaſi a fundo emovens. Colligebam id ex aquarum bullulis, unde corporis hydrophobia ſtatim patebat. Interim magna tamen ex parte ſolvebatur, ut de utraque natura, & ſua, et ſpiritus, participans evaderet hermaphrodita. Verum o fata! brevi tempore rurſum in corpus abibat non ſine magno meo ſtupore. In qua forma enixa diu perſiſtens proximas ſibi aquas penitus reſpuebat. O miſerandam hydrophobiam! Attenuebatur corpus ſpongioſum, rarumque evadebat, & iam penitus evaneſcere videbatur; perpetuus namque columbarum aſcendentium deſcendentiumque erat volatus. Deſtillabatur aqua ſpiſſa, intermixtis olei incombuſtibilis globulis veluti mercurialibus. Hi deſcendentes corpus paulatim emolliebant, et,

teſte oculo, quaſi perforabant. Renuebat tamen totum aquis immergi ac ſolvi. Separabatur eius aliqua unctuoſitas ad aquarum ſuperficiem, & iam ſperabam videre ad eam nigricantem canem ſuffocatum aſcendere. Verum quid diſſimulem? ingeminanda erat eadem exclamatio: o fata! Nolebat canis conſtanter & radicaliter intrare aquam. Volebam auctis imbribus & igne veluti fuſte cogere. Inſanus fiebat, imo vere rabidus. Aquilae in furorem concitabantur, & aëris incluſi elater nimium intentus vitrum cum ſclopeti fragore in mille fruſta rumpebat, hac ſaltem (æternæ Deo ſint grates) fortuna, ut, me aliquot iam paſſibus ab Anhanore retrocedente, caſus hic, ſanitati ac vitæ meæ alias facile fatalis, accideret. Quicunque ſapit, meo cautus ſit periculo. Modum fiendi huiusce hydrophobiae infra ex principiis CARTESII clare detegam. Videamus igitur nunc illius remedia.

Sunt tamen in ſylva Dianæ binæ columbæ, quæ rabiem ſuam inſanam mulcent.

Laborat infans hermaphroditus rabie, quod illi remedium? Columbas Dianæ duas comedat ex conſilio PHILALETHAE, & mulcebitur inſania. Remedium leve eſt, modo ſit probatum. Imo probatum eſt, replicant Mercurialiſtæ; ſi enim duas partes argenti, quas pro Dianæ columbis habemus, cum regulo martiali fundimus, hic mercurio non difficulter miſcetur, & ſic infans noſter rabiem deponit, ut aquam prompte ingrediatur. Verum eſt, Viri boni, experimentum veſtrum ſuccedit. Sed qua tandem utilitate, hic nolo diſputare. *Ioachimus* tamen BECCHERVS, vir ſi quis alius, in ſylva Dianæ exercitatus venator, per geminas columbas intelligit duo ſalia, urinoſum nempe & alcalicum, quibus prætendit arſenicale ſulphur in regulo emolliri, & liberari mercurium. Experientia ſit penes autorem; ſaltem ſalia ingreſſum mercurii in regulum impediunt ex aliorum facto tentamine. Neque

mer-

mercurius iſte antimonialis eſt ſponſa quæſita. Si ſimplicem reguli & mercurii miſcelam intenditis, affundite utrique aquam ſimplicem, & conterendo habebitis effectum, ſi fundata eſt Chymici expertiſſimi experientia, qui hanc enchireſin in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum prodidit.

Nulli autem horum ſcopum ultimum attigerunt. Admodum curioſi, fateor, iſti ſunt mercurii amalgamationum & a regulo abſtractionum labores, vel ob ſolam phænomenorum elegantiam & raritatem, quæ in ECCARDI (ETTNERI) *Chymico profugo*, Editionis germanicæ p. 89. ſqq. exacte recenſentur. Indicavi aliquando hunc locum magno cuidam Chymiatro, quem paſſim mundus pro ſuæ artis idolo habuit, qui pro magno hoc agnovit beneficio. In iis tamen præter varias colorum mutationes, a ſulphure reguli & argento admixto oriundas, nihil rari inuenitur; unde ad ſenſum pergo philoſophicum, & quia prolixiorem de columbis expoſitionem inferius dabo, hic pauca duntaxat ſubnectam.

Materiam primam Sophorum Philoſophi Græci appellant *Hyle*, id eſt ſylvam immenſam; LVLLIVS *Foreſtum* nominat, & non eſt, niſi compoſitum illud phyſicum, in quo duplicatus latitat ſpiritus, qui ſulphur arſenicale temperat. Cum enim duo duntaxat ſint mercurii Sophici ingredientia, nemo quid ab iis diverſum per columbas ſignificari ſibi imaginetur. Variæ rei denominationes, vel ab effectibus, vel phænomenis deſumtæ, diverſitatem ſubiectorum non inducunt. PHILALETHA pro curanda hermaphroditi ſui inſania duas exhibet columbas. Fr. BASILIVS vero Cygnum candidum duplici maſculo igneo in pabulum deſtinat, quæ duæ diverſæ allegoriæ in rei fundamento conſentiunt. Debuiſſet hic cognitum eſſe neoterico cuidam in Philoſophia Hermetica adhuc nimium coecutienti ſcriptori, L. H. dari reuera, ſecus ut ille putat, in præparatione Mercurii ſophici duas naturas, fixam & volatilem. Cuius fixæ ſubſtantiæ anima, dum in ventre venti,

in mercuriali inquam volatili ſubſtantia, ceu a pennis columbæ in altum evehitur, columba quoque dicitur, ut ſic ſint geminæ columbæ. Quod ut probem, ſufficit ipſius PHILALETHAE teſtimonium in *Expoſitione Epiſt.* RIPLAEI *ad* EDVARDVM *IV. Angliæ Regem*, ubi ait: *In hac ſylva ſunt binæ columbæ Dianæ, una cum alis, altera ſine alis, quas* FLAMMELLVS *etiam ſuos Dracones appellat, & ſignificant tantum animam mercurii, quæ cum ſpiritibus mercurialibus aſcendit.* Hi itaque ſpiritus ſulphuris ferociam & rabiem compeſcunt, adeoque hydrophobiam perſanant, cuius felix curatio ex ſequenti phænomeno colligitur:

Tum ne hydrophobiæ recidiuam patiatur, aquis ſubmergas, in iisque pereat, quarum impatiens nigricans canis rabidus ad aquarum ſuperficiem fere ſuffocatus aſcendit. Tu imbre ac verberibus illum fuga ac procul arce, ſic tenebræ diſparebunt.

Notum eſt, ſubmerſionem in aqua marina hydrophobiæ expeditum eſſe remedium. Non ſolæ ſufficiunt infanti hermaphroditico columbæ, etiam in mare ſalſum præcipitandus ac ſuffocandus eſt, in ſenſu quidem literali, quando reguli mercuriique mixtura cum ſalibus variis & aceto crebrius lauatur, ſicque feces, ad amalgamatis ſuperficiem aſcendentes, ſeparantur & nigredo omnis ad lunæ usque candorem abluitur; in ſenſu autem Sophico, quando iuxta parabolam Fr. BASILII in *Præfat. ad XII. Claves*, terra in mare rubrum præceps decidit, ibique ſuffocatur, & igne exſiccatur aqua, ut inde iterum terra fiat, & ſic habeantur omnia in omnibus, ſiquidem, eodem teſte *Clavi III.* Sulphur incombuſtibile ſapientum præparari nequit, niſi mare ſalſum corpus abſorpſerit, ac iterum ex ſe reiecerit. &c.

Eximia ſane hæc canis nigri, ad aquarum ſuperficiem aſcendentis ac rurſum imbre & verberibus fugati, parabola eſt. Corpore namque in aqua ſoluto nigredo eius ſuperficiei imminet. De qua eleganter DAVSTENVS Cap. 7. *Eſto aſſiduus ope-*

operator in omnibus ſtatibus ſuis, patienter continuando decoctionem, quousque tota egrediatur tinctura ſuper aquam in colore picis liquidæ, & cum videris nigredinem aquæ illi ſupereminere, ſcias tunc corpus liquefactum eſſe. En canem nigrum! quid autem ſit hunc fugare, ex eiusdem verbis Cap. 8. intelliges: *Tunc oportet ignem lenem continuare ſuper ipſum, donec concepit nebulam tenebroſam. Intentio quippe Philoſophorum eſt, ut corpus iam ſolutum in puluerem nigrum, ſuam ingrediatur aquam & fiat totum unum.* Quo quid dici poteſt clarius aut elegantius? omnes enim Adepti conſentiunt, primo nigredinem in aquæ ſuperficie apparere, ut dicit ARISTOTELES *Alchymiſta*, & deſignare pro certo lapidem in parte eſſe diſſolutum, poſtea vero reconiungi ſuæ aquæ fierique aquam in aqua & totum fieri aquam unam, ut inquit in *Roſario Philoſophorum* TAVLADANVS. Quod alii exprimunt hac allegoria: *Redde carbonem ſuæ aquæ, ut in ea extinguatur & rerum conceptio fiat in fundo vaſis.* ALBERTVS M. inquit: *Philoſophi, videntes iſtam materiam inſpiſſari, & ad terram nigram converti, & iſta inſpiſſatio ſtabat in initio ſuper aquam,* (en! canis niger aſcendens) *& ſic dimittendo paullatim inſpiſſando videntes terram ſubmergi in aquam & ſtare in profundo ſub aqua,* (en! canis rurſum fugatus) *quæ terra erat nigra & fœculenta, æſtimarunt in cordibus eorum, quod iſta operatio vocaretur putrefactio.* Quid autem ſit, cane hoc nigro fugato tenebras diſparere, ex verbis, quæ mox ſubiungit magnus hic Doctor, eluceſcit: *Item adhuc paulo plus uidentes terram nigram & fœculentam ſtando ſub aqua per longum tempus dimittere in ſole noſtro colorem nigrum, & fœtorem malum, vocarunt ablutionem.* Hæc omnia paucis indicat *Roſarium Philoſophorum*, dum ſcribit, Libr. 6. Tabulæ ſcientiæ maioris tradi: qualiter terra nigra in principio ſtabat ſuper aquam, & paulative ſubmerſa eſt in fundo vaſis, quæ poſtea mundatur totaliter a nigredine.

Sexcenta alia mihi ſuppeterent Philoſophorum teſtimonia, niſi hæc pauca pro explicatione Griphi Philalethini ſufficerent. Conferte tamen etiam RIPLAEVM, in quo *Porta 5. et 8.* ſatis clare deductum inuenietis, quomodo omnia inſtar piciſ turgeſiant & ebulliant; quomodo dum in aquam Dracones venenum exſpuerint, appareat nigredo; quomodo hæc iterum diſpareat, & lux paradiſi in albedine acquiratur. Quid autem ſit canis fere ſuffocatus, hoc nos docet LVLLIVS *Codicill. Cap. 54.* his verbis: *Humidum per primam reductionem induratur commiſcendo vaporabiliter cum vapore terreo & præfocatur, ut fiat ſulphur ſimile terræ, quæ eſt matrix ſua vel nutrix;* quibus verbis nihil elegantius dici potuiſſet.

Ite nunc vos Reguli mancipia, abluite Canem veſtrum nigrum impatientem patientiſſime, laterem tamen & æthiopem lauabitis. Percutite, fugate, immo ſuffocate, non exuet ſquallidam veſtem infans philoſophicus, neque in lucem prodibit lunæ ſplendorem referens. Quod enim per gyros ſeu reuolutiones elementorum, per circulos, reductiones & rotationes in genuinis materiis in vaſe unico ſola operatur natura, hoc vos mechanice, manuum veſtrarum operationibus, in ſuppoſititiis materiis nunquam efficietis. Sequamur PHILALETHAM:

> *Fulgente luna in ſuo plenilunio pennas ſuppedita, & avolabit aquila relictis pone ſe mortuis Dianæ columbis, quæ ſi prima acceptatione fuerint mortuæ, prodeſſe nequeunt.*

Amalgama regulino-mercuriale probe lotum deſtillant Artiſtæ antimoniales. Avolat aquila, & redit mercurius vivus, relicto in vaſe capite mortuo, ipſisque Dianæ columbis enecatis, id eſt argento ab antimonii & mercurii vaporibus calcinato, quod, ſi hac forma prima acceptione regulo mixtum fuiſſet, non potuiſſet ingreſſum conciliare adeoque nec prodeſſe.

Et hæc ad ſenſum literalem clara ſunt, in philoſophico non ſtatim pateſcunt.

MEMO-

D. ABRAHAMVS VATERVS
Medic. Profess. Publ. Primar. Imperial. Societ.
Natur. Curios. et Societat. Regiar. Londin.
atque Berolin. Sodal. Faculs.
Medicor. Sen. in Academ. Wittebergensi
Nat. d. IX Decembr. MDCLXXXIV. Den. d. XIX. Novembr.
MDCCLI.

IM Seligmann sculp.

MEMORIA

VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

DOMINI

ABRAMI VATERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS EIVSDEMQVE IN WITTEBERGENSI ACADEMIA PROFESSORIS PVBLICI PRIMARII, ACADEMIARVM CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM, REGIARVMQVE BRITANNICAE ET PRVSSICAE SCIENTIARVM SODALIS, ET MVSEI REGII ANATOMICI PRAEFECTI,

d. XVIII. Decemb. A. S. R. MDCCLI.

PLACIDA MORTE EXTINCTI

EX

PROGRAMMATE FVNEBRI

DEPROMTA.

Invidioſe plerique ſolent adcuſare fatum noſtrum, quod, paullatim abolitis maiorum decoribus, omnia peiora nunc fiant, neque nobis ad ea adſpirare contingat, quæ præteriti temporis memoria ad laudem & felicitatem ſæculi eximia habuerit. Vnde Flaccvs, Romanæ virtutis damna deplorans, non dubitavit conqueri:

Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Si enim verum eſt, quod nemo dubitat, animi in homine vires, id eſt, ſapientiam, ætate augeri atque perfici; ætatis autem decurſus eo propius a morte abeſt, quo magis proceſſit: conſequitur, ut plus virtutum & perfectionis ultimæ neceſſitates mortalibus auferant, quam ſpes novi generis, in laudabilia maiorum inſtituta atque exempla ſucceſſuri, addat. Fuit eius hæc perſuaſio, qui vitam hominum convivio comparabat, ex quo meliores fere priores recedant. Quidquid vero ſit, quod huic opinioni obſtare videatur, hoc ſane inde conficitur, non per incuriam noſtram debitos virtuti, quam magna merita conſecrarunt, honores omittendos eſſe; & quoties decreſcere numerum bonorum videamus, eo acrius in nobis ſtudium requiri, ut æmulando excellentes homines maiorum gloriam & decus noſtræ ætati repræſentemus.

Vixit, qui Academiæ noſtræ multiplicia ornamenta contulerat, *Abrahamus* Vater, Philoſ. ac Medic. D. eiusdemque Prof. Primar. Academiarum Imperatoriæ, regiarumque Anglicanæ atque Pruſſicæ Sodalis. Vixit, & reliquit eam famam, quæ nominato illo inter peritos artis ſuæ intelligitur; reliquit monumenta ingenii, quibus tempora noſtra patriamque illuſtravit; reliquit artis & diligentiæ opera, quæ non eius memoriam modo in omnia tempora & per totius Europæ gentes

propagent colendam, sed spectandam quoque curiosæ sollertiæ imaginem his præbeant, qui litterarum profectus atque incrementa contemplari, curamque in his notandis ponere volent; reliquit denique nobis desiderium sui & dolorem, cui ut medicinam dies fero adferat, ita adferre non abolendo aut obscurando, sed mortalitatis & conditionis nostræ admonendo, poterit. Genuit hunc Viteberga nobilium ingeniorum fertilis terræ umbilicus, anno P. C. N. cIↃ IↃ C LXXXIIII. a. d. VII. Id. Dec. Vtque magnæ felicitatis fuit, habuisse patriam, tot religionis & litterarum bonis florentissimam: ita patre nasci, qui eam doctrina, ingenio, fama ac meritis clarissimis ornaret, numerandum in summis fuit, quæ futuræ celebritati a fortunæ splendore lumen quoddam porrigant. *Christianum* enim VATERVM, artis medicæ apud nos Professorem, aularumque Cothenienſis ac Serueſtinæ archiatrum, & alterius consiliarium aulicum, qui hunc e *Regina Dorothea*, *Io.* DEVTSCHMANNI, D. Theologi celeberrimi, filia, & *Abrahami* CALOVII, tot meritis in puriorem evangelii doctrinam nostram clarissimi, nepte suscepit, nemo ignorat eorum, qui novit, per quos viros medicinæ apud nos studia exculta atque provecta sint. Indoles pueri spem patri primis statim ab annis fecit, ingenium eius esse, quale ea vota caperet, quæ pro caritate paterna & erudiendi eum cupiditate conciperet, &, cui olim senis, ac lampada veluti nato sua in arte tradituri, spes incumberet, laturo, quicquid inædificare vellet. Sed tam inconsideratus non erat *Christianus*, ut ad vota properando tenera in ætate filium, neglectis his, quæ minora quidem credi solent, sed sine quibus tamen maioribus non sit locus, grauiores iam penes se tractare disciplinas & domi suæ tantum proficere vellet. Hinc Martisburgum hunc misit, ubi tum HÜBNERVS in formanda & bonis artibus imbuenda adolescentia famam peculiaris peritiæ sibi paraverat. Inde quum ad patrem talis rediret, ut recte collocati temporis, diligentiæque adhibitæ,

ratio

ratio adpareret, academicæ inſtitutionis cauſſa in numerum Studioſorum relatus eſt. Ipſa primordia eorum præclaro augurio auſpicatus, eum ambitum diſciplinæ eſt complexus, quem vix alii percurrunt, quam qui ſeuera lege proficere, & magis lautum doctrinæ inſtrumentum comparare, quam, neceſſaria vitæ, qualiacunque artis quæſtuoſæ ſubſidia, cupiunt. Neque enim philoſophiæ & matheſeos initia neglexit, antequam ad alia ſe adplicaret; neque hiſtoriam ſprevit, cuius qui ſit expers, licet aliis in rebus ſit doctior, multum ſibi ornamenti ipſe neget; neque naturalem ſcientiam non fundamenti inſtar medicis ſtudiis ſuppoſuit; & poſt hæc demum ita percepta, ut in omnibus cultu maiore, quam quem feſtinantes capiunt, poliretur, ad ea tranſiit, quæ ex deſtinatione & veluti hæreditate quadam patris pro domeſticis opibus obtineret. Magiſtris autem uſus adſiduis & peritis, florentiſſimiſque; in mathematica diſciplina, ROESCHELIO, SCHOENINGIO, & DASCHIZCCIO; in hiſtoria, SCHVRZFLEISCHIO; in phyſica & medicina, parente ſuo & BERGERO. Iam altero ſpatii, in academia exacti, anno ſpecimen ingenii & ſtudiorum dedit, quum panegyricum diceret *Immanueli* LEBRECHTO, Principi Anhaltino-Cothonienſi, BECCMANNI annalibus Anhaltinis ob floridum dicendi genus inſertum. Biennio poſt, quum, in cathedra philoſophica bis diſputatione habita, ſolemnibus explorandorum ingeniorum ſatis feciſſet, a Profeſſore *Chriſtiano* ROEHRENSEEO, ordinis Philoſophorum decurione, inſignia magiſterii, quod uocant, accepit. Prima in diſſertatione, moderatore *Ioanne Erdmanno* DASCHIZCCIO, ordinis Philoſophorum adſeſſore, *Mechaniſmum corporum naturalium* explicauit: Magiſtri vero dignitatem adeptus, præceptore ſuo, ROESCHELIO Profeſſore præſidente, τὸ Θεῖον in phyſicis docta commentatione conſiderauit. A. P. C. N. CIↃ IↃ CC IX. explorandos Medicorum ordini ſuos profectus obtulit, locumque inter eos conſequutus, qui ſe artis candidatos profitentur, oſtendit,

quid paternæ celebritatis exemplum ſtudii & contentionis ſimilem ad laudem ſibi imperet. Neque enim dubitavit a ſinu complexuque cariſſimorum parentum diſcedere, & amplificandi ſuam doctrinam cauſſa Lipſiam demigrare, ubi medicinam BOHNIVS, RIVINVS, PAVLI, SCHACHER, ETTMÜLLER, magna frequentia auditorum & fama profitebantur. Quibus tum incrementis eius ſtudia adoleverint, cum hominibus eruditiſſimis ſemper verſando, differendoque ea, quæ alumnum tam ſeveræ diſciplinæ decerent, oſtendit, & cum diſputantibus publice ſæpe adverſarii inſtar conſtitit. Vt tamen ſummæ in medicina dignitatis inſignia caperet, domum ante finem anni rediit &, Anno cIↃ IↃ ccx. præſide BERGERO, Archiatro & Conſiliario aulico, commentationem *de Peſtilentia vera* in cathedra tuitus, Doctor medicæ artis publice eſt creatus.

Suffeciſſent hæc forte alii, ut & dignitati, & ſtudiorum progreſſibus, & famæ, ſatisfactum crederet! ſed VATERO eo minus ſufficere potuere, quia noſſet, eam demum veram litterarum ſtudia perficiendi rationem eſſe, quæ ex ſolertius continuanda, quam acriter inchoanda, induſtria plus maturitatis atque fructus ſperet. Non erat ignarus, quam late naturæ cognitio pateat, quæ medendi artis ſtudioſo ex variarum regionum ingenio, & plurimorum doctorum hominum paſſim inventis, inſtitutis, & collectis ex omni genere inſtrumentis, perſequenda ſit. Si de PLATONE non nemo veterum memorat, eum ſibi alias terras peragrandas putaſſe, *ut, qui Athenis magiſter erat, & potens, cuiusque doctrinam academiæ, gymnaſia, perſonabant, fieret peregrinus, atque diſcipulus, malens aliena verecunde diſcere, quam ſua impudenter ingerere;* agnoſcamus licet *Abrahami* noſtri modeſtiam, qui patriam, tot claris viris, inque his parente ſuo, & innumeris litterarum ornamentis nobilitatam, relinquere tantiſper, & mutare cœlum, ad paranda alibi ampliora ſuæ doctrinæ præſidia, voluerit. Hinc eodem anno per mediam Germaniam excur-

excurrit, Lipſiamque delatus, præceptores ſuos, Bohnivm, Rivinvm, Schachervm, ſalutat; neque Menckenivm, Conſiliarium aulicum, cuius tum domus tanquam commune eruditorum muſeum celebrabatur, præteriit: inde Halam petens, maiorem Stryckivm, *Chriſt.* Thomasivm, & Stahlivm, inviſit; Hofmannvs enim forte tum aberat. Ienam ubi pervenit, Wedelivm patrem & Slevogtivm; Noribergæ, Thomasivm & Volckamervm; Altorfii Hofmannvm, Baiervm, Schwarzivm; Auguſtæ Vindelicorum, *Lucam* Schroekivm; Tubingæ, Camerarivm; Stutgardiæ, Lentilivm; Gieſſæ, Valentinvm, & Duſſeldorpi, Brvnnervm ſibi conciliavit, omnesque ſic morum ſuavitate ingeniique & doctrinæ dotibus cepit, ut ſatis intelligi poſſet, præter translatitiæ humanitatis reſpectum multa alia & propria, quæ ipſi inerant, bona valuiſſe. Quo maiore tot præclarorum in Germania virorum humanitate exceptus erat, eo acrior illum cupido inceſſit, externorum mores, ingenia, & inſtituta, noſcendi. Vicinitas & litterarum gloria monſtrabat Belgium, quo primum ſe conferret. Id ingreſſus, Traiecti ad Rhenum Levsdenivm, Mvnniccenivm & Barchhvysenvm; Leidæ, maiorem Albinvm, & Boerhaavivm; Amſtelædami, Rvyschivm & Rittmeiervm offendit, quorum notitiam poſtmodum ad ſtudiorum rationem & ad ſuæ peregrinationis felicitatem referret. Amſtelædamo digreſſus, per Belgiam inferiorem continuabat iter & prope Oſtendam caſtra exercitus, qui ſocia arma iunxerat, inſpexit, ne vel ea omitteret, propter quæ ſola nonnulli multas terras & maria tranſire ſolent. Inde in Britanniam traiecit, non eo quidem animo, ut a noſtro orbe disiunctam gentem mutus & elinguis tantum conſpexiſſe contentus, idem, qui acceſſiſſet, diſcederet. Quia enim ſciret, quem medica res proceſſum huic genti debeat, quantum naturæ artisque divitiarum miraculorumque in hac inſula, tanquam religioſiſſimo in ſacrario, ſervaretur, nullius non moræ illic exi-

gendæ ſibi abunde cõnſtare rationem exiſtimavit. Norat in primis nihil ibi ad voluntates hominum ſibi adiungendas æque valere, ac linguæ Anglicanæ uſum: unde, ne Anglorum inventa atque inſtituta peregrino negarentur, magna diligentia & celeritate hunc ſermonem percepit. Cum autem a menſe Auguſto clɔIɔccx. anni ad Februarium ſequentis Londini ſubſtitiſſet, illuſtris viri, equitis *Io. a* Sloane, & Woodwardi, cuius nomine nullum ob hoc ſtudium celebratius, muſea inſtructiſſima ſic luſtravit, ut conſpecta in illis tot naturæ opera ſedulo notaret, in uſus artis, quæ non aliunde maiora aut præſidia, aut ornamenta habet. Chirurgicarum quoque ἐγχειρήσεων in noſocomiis ſpectator adſiduus ea ipſa inde retulit, quibus huius gentis Medici maxime excellere creduntur. Magiſtro quoque *Abrahamo du* Moirre ad arithmeticam univerſalem, & Havcsbeeo ad phyſicen, quæ ab experimentis confirmatur, uſus, ne ea quidem neglexit, quæ, ut adiuvare ſuæ artis diſciplinam culta potuere, ita neglecta non omnino periti cultoris exiſtimationem detraxiſſent. Sed erat noſter eo ingenio, ut ſumma in arte adpetere, nulli impendio temporis, ſumtus, atque operæ, parcens, in animum facile induceret. Id ipſum continuando itinere ubique oſtendit. Quum enim hinc Oxonium ſe contuliſſet, Theatrum Sheldonianum, bibliothecam Bodleianam, & alia illic, quæ vocantur, collegia frequens hoſpes intravit, & paſcendo animo, atque ſtudiorum ſeveritati, elegantiæ dotibus locupletandæ, largam materiem invenit. Hoc ſane ipſe poſtea magnis adparatibus & peritiſſime inſtructis ſuis copiis patefecit, quam ſalubre totius peregrinationis conſilium ſit ſecutus. Rvyschii autem ſubinde memoria animo recurſabat, ut An. clɔIɔccxi. repetito Belgio, humanæ induſtriæ miracula contemplaretur maius per otium in operibus artis, quibus fabricam totam corporum animalium recluſam curioſus artifex hic monſtrare ſolebat. Non ſatiari noſter ſolo adſpectu poterat, ſed ab ipſo celeberrimo

viro

viro impetraverat, ut ſibi omnes ſuos adparatus differendo explicaret. Doctori quoque SERMESIO, diſſectis corporibus, fabricam eorum & partes enarranti, prætereaque RAVIO medico, eidemque rurſus RVYSCHIO, quoties chirurgiam in noſocomiis factitarent, adſiduam operam dedit. Vix tandem patriæ & parentum caritas avellere *Abrahamum* a ſuis deliciis potuere, ut ſuis civibus, tot paratis egregiis opibus felix, impertire operam, quam diutius mirari externa tantum, mallet. Inde per Belgii & inferioris Germaniæ urbes celebriores regreſſus, multa inſuper vidit; plures tanto amicorum numero homines doctos adiecit; & ubique, qua tranſiſſet, invenit, quod eius futuram claritatem ab impreſſis ſuæ admirationis late veſtigiis adiuvaret.

Mirum ergo haud erat, quod redux exſpectationem, quam concitaverat, non impleret modo florentibus in annis, ſed creſcente in dies fama & tota vita ad exactæ ætatis terminos usque ſuſtineret. Primum imperatoria naturæ curioſorum Academia quaſi ſignum quoddam ad honoranda eius merita extulit, quum anno clɔ Iɔ CCXII. nomine *Antipatri* impertitum, in ſuam ſocietatem recepiſſet. Et ne in patria honorem, quem exteri ſuſpicerent, deſideraret, profeſſionem medicam extra ordinem An. clɔ Iɔ CCXVII. accepit, quam cum munere profeſſoris anatomiæ & botanicæ poſt biennium, vicarius illuſtri quondam viro, HEVCHERO, datus, permutavit. An. clɔ Iɔ CCXXXIII. ordinariam eiusdem muneris dignitatem obtinuit, & quadriennio poſt vacantem, illuſtris BERGERI morte, locum ſecundum in ordine medicorum, præmium meritorum, accepit; beneficio quoque regio id conſecutus, ut docendi munus priſtinum ei relinqueretur, pathologiæ autem docendæ officium tertio profeſſori, STENZELIO, mandaretur. Anno vero clɔ Iɔ CCXLVI. profeſſor primarius & ordinis medicorum ſenior conſtitutus, therapiæ docendæ reliquum tempus impendit. Sed nec inter ea ab exteris coli ac magni fieri deſie-

deſierat, inter quos amicitiis & nominis celebritate abſens ſtudia omnium, quæ præſens expertus erat, retinebat. Hinc regiæ Londinenſi Societati ſcientiarum, quam dicunt, Anno cIↃ IↃ ccxxi. & cIↃ IↃ ccxxix. regiæ Pruſſicæ, adſcriptus eſt. Vix longo ſermone enarrari poſſet, quæ eius in itineribus induſtria fuerit, ne quid æſtimatione dignum præteriret; quæ cura, in virorum celebrium familiaritate amplectenda; quæ in colendis, quas ſibi conciliaverat, amicitiis fides, integritas, ſollicitudo. Religione in muneribus, quibus præfuit, adminiſtrandis, tanta verſatus eſt, ut admirationi omnibus eius diligentia & ardor eſſet. Laboris patientiam multitudo lucubrationum, quas inter tot ſtatas & quotidianas curas abſolvit, oſtendit. Diſcipulorum, quos a diſciplina ſua quotannis, in omnes Germaniæ partes dimiſit, incredibilis eſt numerus, & omnibus ornamento eſt, VATERVS præceptor. Studium quoque egregii publici, & erga collegas benignitas, candor, facilitas, ſingularis. In curationibus peritia & vigilantia cum felicitate mira, ut ad opem ferendam undique rogaretur, effecerant; & in illo nemo ab uſu & experientia deſtitui doctrinam, quæ in confeſſo erat, ſenſit.

Omnia eius decora perſequi, quum hic nequeamus; pauciſſima non præteribimus. In peregrinatione comitem perpetuum habuit WALTHERVM, Lipſiæ poſtea decus, archiatrum & conſiliarium in aula regia: unde illorum poſtea coniunctio magno Germaniæ ornamento fuit. In academia noſtra quanta eius auctoritas exiſtimatioque fuerit, tot legationes eius ad aulam regiam oſtendunt. Inprimis ingens eius academia beneficium agnoſcit, quod theatrum anatomicum non adcurato ſolum inſtructu prorſus inſtauravit, ſed a Rege Potentiſſimo, Clementiſſimo Principe ac Domino noſtro, impetratum nobis muſeum anatomicum pulcherrimum diſponendo, egregie his ſtudiis conſuluit. Id ille anno cIↃ Ic ccxxxvi. ſummi academici magiſtratus officio decedens, habita publice oratione, dedi-

dedicavit. Quantum ardore & exemplo ſuo omnium apud nos ſtudia commoverit, præter multitudinem tot alumnorum ſuæ diſciplinæ multa alia ſunt argumento, & vel hoc indicabit, quod ne ingraveſcente quidem valetudine unquam morem, tribus per diem horis docendi, intermiſit. Quæ in litteris præſtiterit, & quibus in rebus nominis ipſius commemorationem inter omnes gentes omnique in ætate verſari ſit neceſſe, lucubrationes ipſius & tot eruditorum de illis iudicia oſtendunt. Neque enim noſtræ ſolum impertire academiæ, quæ præclarius inveniſſet, contentus, commercio epiſtolarum inter cultas quasque gentes plures coluit, cultuſque eſt. Eminent tamen ex his, quæ communibus litterarum in ſtudiis ad eum ſemper referenda auctorem erunt, novus ductus ſalivalis e foramine quodam linguæ detectus; ratio naturalis actionis, qua foramen ovale occluditur, deprehenſa; & novum bilis in duodeno diverticulum notatum; præter ea, quæ ad *Phyſiologiam experimentalem* patris ſui *Chriſtiani* tam docte obſervata addidit, ut inde multam inter ſpectatiſſimos ſuæ artis laudem ſemper tulerit, laturusque in poſterum ſit. Ingens quoque Germaniæ noſtræ, Saxoniæque inprimis, lumen primus intulit, quod imitator Ruyschii ſollertiſſimus egregium artificium, quo partes & vaſa corporum animalium a ſectione impleri, formaque, ſitu, & ſpecie, vivis ſimilia ſervari poſſunt, apud nos docuit, tanta quidem elegantia & ſubtilitate, ut admirationem non imperitis modo, ſed doctis quoque, eorum contemplatio exprimat. Inprimis proprium, quod inſtituerat, muſeum huius modi divitiis inſtruxit, eo diſpoſitu exornavit, ut monumentum eius artis & ſollertiæ illud unicum, noſcendi noſtra decora cupidis, peregrinatoribus ſæpe iam ſpectaculo iucundo fuerit.

Sed ne in his ſolis enumerandis occupemur, quæ nemo paullo eruditior ignorat, præſertim quum ingenii eius monumenta, dudum fama celebrata, ubique legantur, alia quædam

exſequenda ſunt, quæ aliter, quam præſentium teſtimonio, innoteſcere non poſſunt. Matrimonium anno cIↃ IↃ ccxvi. a. d. III. Id. Ian. contraxerat cum ſpectatiſſima femina, gentis Zimmermanniæ, *Sophia Magdalena*, vidua tunc ab obitu prioris mariti *Samuelis* Franccii, præfecturæ Vitebergenſis procuratoris, viarum publicarum cuſtodiæ & curſus publici præfecti; cum qua viceſimum tertium in annum, nullis ſuſceptis liberis, vixit concors & ſine querela. Hac erepta, quum in orbitate perſtare decreuiſſet, accidit nihilo minus, ut conſilium mutaret. Quum enim Anno cIↃ IↃ ccxl. ob privata negotia Dreſdam profectus, apud Virum ſumme reverendum & Magnificum, Marpergervm, D. Theol. Sacrorum in aula regia antiſtitem ſupremum, & in Senatu eccleſiaſtico conſiliarium, cui, quamdiu vixit, commendatiſſimus fuit, conſpexiſſet ſororem eius natu minimam, *Chriſtinam Mariam*, ſtatuit eam coniugio petere, quæ vitæ, annis & valetudine adgravatæ, aliquando incommoda levaret. Hanc *Paulli Iacobi* Marpergeri, Conſiliarii aulici regii, filiam natu minimam, a. d. VI. Cal. Mart. cIↃ IↃ ccxl. Sacerdote aulico Hillero ſacro ritu id coniugium inaugurante, duxit, & ad finem vitæ uſque iucunditatem tam dulcis conſortii prædicare ſolitus, haud alia in re, quàm in cura & fidelitate ſuæ uxoris, ſolatia ſe infirmitatum curarumque reperire dictitavit. Valetudinem, ad ſenectutem usque ſatis proſperam, temperantia inprimis & laborum adſuetudine, quo utroque animi corporisque vigorem excitari ſtatuebat, ſuſtentavit. Quum autem ipſe acceſſus ætatis, quæ vergere incipit, minueret vires, & morborum ſemina proderet, an. cIↃ IↃ ccxliii. ad thermas Carolinas profectus eſt, ut obrependi infirmitati opportunum remedium præſtrueret. Inde Noribergam divertit, ad fratrem uxoris, Virum illuſtrem, *Paullum Iacobum de* Marperger, Equitem Sacri Romani Imperii, dynaſtam Schibelibergi, S. Cæſar. Maieſtatis Conſiliarium, & in interiori conſilio reip.

No-

Noricæ antiſtitem, Franconicæque & Rhenanæ regionis delegatum: cuius in hoſpitio quantum delectationis animi poſt recentem corporis curationem ceperit, ſæpiſſime teſtatus eſt, & humanitatem elegantiamque viri primarii, & tanta cum laude in graviſſima reip. tractatione verſantis, prædicare nunquam intermiſit. Poſſemus plura memorare de Abrahamo noſtro, & teſtes eius meritorum RVYSCHIOS, HEISTEROS, SPRENGELIOS, locupletiſſimos nominare, & e litterarum, quas ad eum undique docti homines miſſitare conſueverant, magna copia multa in lucem proferre, ſi opus eſſet eius laudes ſollicite exſequi, cuius ſolo nomine audito, quid celebraturi eſſemus, eruditiores iam prævideret.

Vnum omittendum minime eſt. Scrutator naturæ adſiduus, qui hoc unum agere videretur, auctorem eius, ut multi ſolent, nunquam oblitus eſt. Tanta enim religione Deum revereri inde a primis annis inſtituerat, ut totam vitam ad eius venerationem cultumque conformaret. Et quum multa documenta ſanctitatis & chriſtianæ virtutis ſæpe dederit; nullum neque clarius, neque illuſtrius ipſo vitæ fine exſtat. Supplicatio apud nos prid. Id. Novemb. facta eſt, paci immortalis Dei precibus & ieiunio expoſcendæ, quum is mane in templum properaret, & cœtui precantum mature accederet. Finito autem matutino ſacro domum ſe æger recepit, correptus horrore, & vomitu inſecuto, ut morbi regii mox ſigna notarentur. Non erat ea vis morbi, ut periculum maius metuendum videretur; niſi ipſe ſtatim præmonuiſſet, fati diem ſibi adeſſe. Addebat vir pius admirandam profecto huius præſagii cauſſam: *ſe a Deo ſemper facilem mortem & mentem victricem terroris, quem tanta mutatio naturæ adferre queat, precatum, ab ipſa animi ſui tranquillitate, quæ iam ſolito maior contingat, coniecturam liquidam capere,* εὐθανασίας *toties optatæ momentum adeſſe.* Hinc a. d. xv. Cal. Dec. clariſſimæ uxori claves ſuas omnes tradens: *ſe quotidianis,* ait,

precibus, quibus se ad ultimam necessitatem, pie & ex divinæ promissionis fiducia excipiendam, confirmarit, semper poposcisse hanc ipsam serenitatem mentis, qua nunc perfruatur, ut certissimum beati obitus omen capiat. Adiecit mandatum, ut vir summe venerandus atque magnificus, *Carolus Gottlob* HOFMANNVS, D. Theol. & Prof. Prim. Superint. General. ad se arcesseretur. Vbi autem responsum esset: *quatenus nondum adeo viribus deficeretur, ut crastinum exspectaret;* subiecit: *cras serum fore.* Huic autem vocato & interroganti: *ecquid ex spiritus sancti testificantis adflatu ipsi constet de iure filii, quod apud reconciliatum teneat Deum?* plenus cœlesti gaudio, & Dei clementiæ gratiis actis, respondit: *se, iam omni moriendi metu liberum, unice ad Christum & æterna illius bona adspirare:* testatusque indubiam fidem reconciliati sibi Dei & pignora salutaris fiduciæ, miserias eorum deploravit, qui divinæ veritati credere recusent. Hinc proposito S. Pauli effato: *Quis erit condemnator?* Christum *pro nobis mortuum, & rursus excitatum, sedentem ad dextram patris, & sese, suscepta caussa nostra, interponentem,* ex adcurato viri summe venerandi sermone & pia consolatione, sibi ob oculos posuit, & venerabundus adoravit. Relictus mox cum clarissima uxore solus, ad eam versus: *divina nunc oblectatione recreatus,* inquit, *ad discessum me paro.* Oppressus demum levi sopore signa quædam alienatæ mentis dedit; subinde tamen leniter arridens, & hilari ore, aliquoties has voces protulit: *migremus, Iesu bene advocato.* Quum post mediæ noctis horam paullatim deficeret, iacuit sopitus, donec sub lucem, a viro plurimum reverendo, D. CLVGIO, cui confiteri peccata solebat, & summe venerando, quem nominavimus, HOFMANNO, solitis precibus Deo commendatus, placide exspiravit. En! VATERVM vita praeclare meritum; en! sancto obitu fortunatissimum.

INDEX

INDEX
SCRIPTORVM
B. D. VATERI.

Anno 1707.

Diſp. phyſiologic. de Mechaniſmo actionum vitalium prior, de principio vitali. Reſp. *A. Wöldicke*, Harttersleb. Cimbr. (qua locum inter magiſtros legentes ſibi vindicavit.)

1708.

Epiſtola Problematica, ad *Fr.* RVYSCHIVM, de viis abſconditis pûlmonum, quibus aër reſpirando receptus in ſanguinem penetrat, nec non de vaſorum ſecretoriorum ſtructura mechanica, & de fibrillarum nervearum in cerebro principiis, cum reſponſione RVYSCHII, Amſtelod. 1714. recuſa, quæ in ordine Epp. anat. probl. eſt XVI.

1709.

Diſp. altera et ultima, de Actionibus vitalibus. Reſp. *C. I. Scheffler.*

1711.

Diſp. medica, de Succi neruei ſecretione mechanica. Reſp. *T. W. Marburg*, in cathedra ſuperiori medica, ad libert. publ. legendi obtinend. habita.

1713.

Diſp. de Theoria chymiæ mechanica. Reſp. fratre germano, *G. Fr. Vatero.*

1717.

Diſp. de Oeconomia ſenſuum ex ſpeciali organorum ſenſoriorum, et ſigillatim ex papillarum nervearum textura mechanica demonſtrata. Reſp. *I. G. Klepperbein.*

1720.

Diſp. de novo bilis diverticulo, circa orificium ductus cholidochi, ut & valvuloſa colli felleæ veſicæ conſtructione atque ſingularis utriusque ſtructuræ eximia utilitate in via bilis determinanda. Reſp. *P. G. Berger.* Ileburg.

- - de Methodo nova transplantandi variolas per inſitionem. *Von Blatterbelzen.* pro Licent. Reſpp. *Io. H. Vlrici,* Torg. & *C. H. Stolle*, Schmideb.

- - de Vulnerum in inteſtinis lethalitate, occaſione caſus rariſſimi, quo colon vulneratione inverſum per XIV. annos ex abdomine propendens exhibetur; pro Licent. Reſp. *I. R. Tieffenbach*, Magdeb.

1721.

Catalogus plantarum inprimis exoticarum horti academici Vitebergenſis.

1722.

Diſp. de Calculi in veſica fellea generatione; pro Licentia. Reſp. *I. Fr. Schimmer*, Viteb.

- - de Vulnere cerebri ſclopetario, ſeptima demum hebdomade abſolute lethali; pro Licent. Reſp. *I. A. Seyfferth.*

- - de Graviditate apparente, ex tumore ovarii dextri enormi orta, per tres annos cum dimidio durante, tandemque in aſcitem terminata; pro Lic. Reſp. *P. G. Berger*, Ileb.

Io. Curui Semmedi Pugillus rerum Indicarum, quo comprehenditur Hiſtoria variorum ſimplicium ex India orientali, America, aliisque terrarum partibus allatorum, ante hac lingua Luſitanica exaratus, nunc in gratiam Curioſorum latinitati donatus cura *Abrah.* Vateri. Viteb. 1722. 4.

1723.

Diſp. de Vitiis viſus duobus rariſſimis, altero duplicati, altero dimidiati, phyſiologice & pathologice conſideratis; pro Licent. Reſp. *I. C. Heinecke.*

Diſp.

Diſp. de Scirrhis viſcerum, occaſione viri tympanite defuncti, in quo praeter alia notatu digna ſcirrhus lienis ſingularis carnoſus obſervatus fuit; pro Lic. Reſp. *C. S. Ezler*, Dobriluc.

- - de Affectu magno mortique proximo, ſyncope, eiusque cauſſis & cura; pro Lic. Reſp. Auctor. *B. Schicht.*

1724.

Diſp. de Arce podagræ armis chymicis expugnabili. Reſp. auctore I. *F. C. Gerken*, Palaeo-Brandenb. pro Lic.

- - de Igne incendii febrilis cauſſa; pro Lic. Reſp. auctore, *Io. C. Otto*, & *C. S. Otto*, fratr. german.

- - de Senectutis præſidiis, pro Gradu Doct. Reſp. auct. *M. A. G. Richter*, Annæberg.

- - de Ingravidatione diſſimulata, ac diſſimulandi mediis pro Lic. Reſpond. auctore *L. M. Chalybæo*, Görl. Luſ.

1725.

Diſp. de Specificorum antepilepticorum, ſigillatim olei animalis virtutibus, huiusque virtute & efficacia in curanda epilepſia, rationibus & experimentis confirmata; pro Gradu Doct. Reſp. auctore *H. I. Burchardi*, Hamb.

- - de Vtero gravido, phyſiologice et pathologice conſiderato, expoſita ſimul eius ſtructura ſinuoſa, & orificiorum menſes & lochia fundentium fabrica; pro Lic. Reſp. *Benj. Müller*, Gedanenſ.

1726.

Diſp. de Obſervationibus rariſſimis calculorum in corpore humano generationem illuſtrantibus; pro Lic. Reſp. *C. A. Ziegenhorn*, Mietavia Curono.

Catalogus Variorum exoticorum rariſſimorum, maximam partem incognitorum, & nullibi deſcriptorum, partim medicinæ,

cinæ, partim curiosítati inservientium, quæ in museo suo possidet. 4.

1727.

Disp. de Analepsi rationali; pro Gradu Doct. Resp. auct. *I. Thielen*, Moeno-Fr.

Epistola gratulatoria ad *Fr.* Ruyschivm, in qua ipsi de musculo orbiculari in fundo uteri detecto gratulatur, simulque communicationem eorum, quæ noviter in Anatomia plantarum detexit, perquam officiose sibi expetit, insuperque dubium exponit circa lacunas uteri gravidi, c. responsione Ruyschii Amst. 4.

1728.

Disp. de Casu oppido raro, sarcomatis e pudendo muliebri sectione sublati historiam continente; pro gradu Doct. Resp. *I. D. Behrens*, Torg.

1729.

Disp. de Mola prægnante abortus caussa, examinatis simul abortionis causis singularibus in embryonibus abortivis notatis, itemque origine & natura molarum; pro gradu Doct. Resp. Patruele, *I. G. Vatero*, Torg.

- - de Prudentia & circumspectione in vroscopiæ administratione a medico rationali adhibenda; pro gradu Doct. Resp. *I. G. Fischer*, Colditio-Misn.

- - de Casu singulari asthmatis, a depressione sterni ex febre purpurata cum orthopnœa affligente reportati, sola thoracis artificiali constrictione curati; pro gradu Doct. Resp. *I. O. Arnoldt*, Seebach-Thuring.

1731.

Disp. de Febre tertiana ob empyema e vomica pulmonis rupta in cavitatem pectoris dextram effusum, indeque pulmonem huius lateris compressum penitusque ab officio remo-

remotum, mortem poſt ſe relinquente; pro Licent. Reſp. *I. G. Mutilet*, Caſſel-Haſſo.

1732.

Diſp. de Tincturæ antimonii varia præparatione & inde pendente indole & efficacia, & ſimul de indole & præſtantia genuinæ modo inventæ; pro gradu Doct. Reſp. *S. G. Wenzel*, Maxena-Miſn.

- - de Morbo ſpasmodico a variolis male curatis; pro gradu Doct. Reſp. auct. *C. F. Hundertmarck*, Cizenſ. Miſn.
- - de Hæmoptyſi; pro gradu Doct. Reſp. auctore *D. F. Michaelis*, Sizenroda-Miſn.
- - de Potus in febribus neceſſitate; pro Licent. Reſp. auctore *I. F. Thär*, Liebenwerda Saxo.
- - de Ipecacuanhæ virtute febrifuga atque antidyſenterica; Reſp. auctore *I. G. Fritſchio*, Pirnenſi.

1733.

Diſp. de Cholera humida; pro Lic. Reſp. *I. G. Nicolai*, Viteb. Sax.

- - de Inflammationis ſanguineæ theoria mechanica; pro gradu Doct. auctore *P. H. G. Möhring*, Ievera-Friſo.
- - de Oſteogenia naturali & præternaturali, ſuccinctis theſibus adumbrata, ſingularibus obſervationibus oſſiculorum, in diverſis corporis partibus præternaturaliter generatorum, illuſtrata; pro Licent. Reſp. Dav. *Vlmann*, Aſchersleb. Halberſt.

1734.

Diſp. de Efficacia admiranda Chin-Chinæ ad Gangrænam ſiſtendam in Anglia obſervata; pro gradu Doct. Reſp. *I. T. Niederſtadt*, Harrihuſa-Hannov.

1735.

Diſp. de Valore & ſufficientia ſignorum, infantem recens natum aut vivum aut mortuum editum arguentium, ad diiudi-

candum infanticidium; pro Lic. Resp. I. A. *Süssemilch*, Cosuiga-Anhalt.

Disp. de Ruta eiusdemque virtutibus; pro Lic. Resp. auct. *I. A. Kettner*, Vitemb. Sax.

1736.

Disp. de Antidoto novo adversus viperarum morsum praesentissimo in Anglia detecto; pro gradu Doct. Resp. *F. Gensler*, Gedan.

Regii in Academia ad albim Musei Anatomici Augustei Catalogus universalis cum Oratione de Museis, qua conclave novum, ad condendum thesaurum regium, sub consulatu suo exstructum, Rector valedicens inauguravit.

1737.

Disp. de Laurocerasi indole venenata, exemplis hominum & brutorum, eius aqua enecatorum, confirmata; pro gradu Doct. Resp. *I. A. S. Boettiger*, Seru. Anhalt.

Syllabus plantarum potissimum exoticarum, quae in horto medico academiae Vitebergensis aluntur.

1738.

Disp. de Chordapso Celsi, occasione ventris enormiter contracti, in homine subita morte extincto observati, proposito; pro gradu Doct. Resp. *I. L. Weidner*, Neostad. Baruth.

1739.

Disp. de Casu singulari Polypi post febrem epidemicam ex utero egressi, physiolog. & pathol. considerato; pro Lic. Resp. *C. Schunckio*, Flensb. Cimb.

1741.

Disp. de Calculis in locis insuitatis generatis & per vias insolitas exclusis, occasione observationis singularis, calculorum lenticularium ex abscessu inguinali excretorum; pro Lic. Resp. *I. A. Schulze*, Freyb. Hermund.

Disp.

Diſp. de Conſenſu partium corp. hum. occaſione ſpaſmi ſingularis in manu eiusque digitis ex hernia obſervati, expoſito ſimul nervorum brachialium & cruralium coalitu peculiari atque papillarum nervearum in digitis diſpoſitione; pro gradu Doct. Reſp. *I. G. Lehmann*, Eckersw. Miſn.

1742.

Diſp. de Veſicatoriorum ad domandas febres malignas virtute & efficacia confirmata; pro Lic. Reſp. *I. C. Hoffmann*, Iüterb.

1743.

Diſp. de Polypo naſi ex faucibus feliciter extracto eiusque generatione, varietate, & cura, variis auctorum obſervationibus illuſtrata; pro Lic. Reſp. *I. G. Süſſio*, Neukirch. Miſn.

1744.

Diſp. Quid in iudicio & prognoſi de morbis magnis ex parvis initiis & levioribus cauſis oriundis obſervari debet, exemplo viri, antegreſſo lapſu in genua febre lenta extincti, expoſitum; pro Lic. Reſp. *I. C. F. Rupp*, Seyda-Miſn.

1746.

Diſp. de Curatione morborum, quæ peragitur exſpectatione, ubi ſimul natura criſium cauſa & morborum medica examinatur; pro Licent. Reſp. *I. G. Schönwald*, Vckera-March.

- - de Lienis prolapſione ad illuſtrandum vexatum Hippocratis ἐπιδημιων. Libr. VI. Sect. II. Aph. 30. locum; pro Licent. Reſp. *I. D. Kreyſig*, auctore.

Regii in Academia ad albim Muſei anatomici catalogi appendix. 4.

1747.

Diſp. de Dyſenteria epidemia maxime contagioſa & maligna,

ſuperiori anno patriam devaſtante; pro Licent. Reſp. auct. *I. G. Vogel*, Groſſrœhrsd. Miſn.

1748.

Diſp. de Fonte medicato Vitembergenſi; pro Lic. Reſp. auctore *I. C. Riedelio*, Vitembergenſi.

1750.

Diſp. de Deglutitionis difficilis & impeditæ cauſis abditis; Reſp. auct. *F. A. Im. Zinckernagel.*

1751.

Diſp. de Phosphori loco medicinæ aſſumti medicina, aliquot caſibus ſingularibus confirmata; Reſp. *I. G. Mentzio.*

- - de Cauſis & effectis Plethoræ; Reſp. auctore *Chriſt. Pœcken*, Roſnav. Hungar.

MEMORIA

VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI ET AMPLISSIMI

DOMINI

CHRIST. GOTTLIB SCHWARZII

COMITIS PALATINI CAESAREI,

MORAL. HISTOR. ATQVE ELOQVENTIAE IN ACAD. ALTORFINA PROF. PVBL. ORDIN. AC SENIORIS, BIBLIOTHEC. ET BENEFICIARIOR. NORICOR. INSPECTORIS, ACADEM. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. NAT. CVRIOS. ET REG. BORVSS. SOCIETAT. SCIENT. COLLEGAE, AC SOCIETATIS FLORIGERAE AD PEGNESVM PRAESIDIS CELEBERRIMI LONGEQVE MERITISSIMI,

Die XXIV. Februar. A. S. R. MDCCLI.

PLACIDA MORTE EXTINCTI,

EX

FVNEBRI RECTORIS VNIVERSITATIS ALTORFINAE

PROGRAMMATE

DEPROMTA.

Ingens hanc eruditionis ſedem horror & ſilentium ſubito pervaſit, quod communem aliquam calamitatem oſtendit, & ad cunctos, ſive Patres, ſive Cives eius, pertinere ſentitur, neminemque triſtitia vacare patitur. Poſtquam vero ſilentii cauſſa, dolor, intus in medullis graſſatus eſt, iam in gemitus erumpit publicos, & omnes, funus VIRO MAGNO opinione citius parandum eſſe, quiritantur. Nec mirum ab initio ſingulos in communi hac Academiæ noſtræ orbitate examinatos vocem defeciſſe; quod os eloquentiſſimum MAGNI SCHWARZII noſtri, & totius huius ſtudiorum Vniverſitatis Senioris, obmutuit; quove Orator Academiæ huius loqui deſiit, quem non ſolum docti, quum diceret aut aliquid ſcriberet, mirati ſunt, ſed etiam alii, qui eum unquam concionantem audiverunt & ſpectarunt, oratorem eſſe, quem non omnis videt ætas, communi certoque ſenſu agnoverunt. Bone DEVS! quanta hæc eſt viciſſitudo & inconſtantia rerum humanarum! Ante SCHWARZIVS noſter ſilet, & in æternum ſilebit, quam vel fando accepimus, eum ægrius quam antehac decubuiſſe! Quod ſi vel ex nuntiis, vel experimentis rite præſagire aut diſcere potuiſſemus, mortem eius inſtare: vulgari illo ſolatio: ſenectutem propius a morte abeſſe; nos diu TANTI VIRI uſu & eruditione fruitos eſſe, nos ad patientiam, tanquam ad lenimentum vulneris noſtri, præparaſſemus. Sed, licet SCHWARZIVS ſenex fuerit, licet ægrotaverit; recte tamen, quod non cum vehementi morbo & periculoſo conflictari videbatur, poſt DEVM in inveterato valetudinis & naturæ eius robore magnam fiduciam ponebamus, & gratulationes, quibus eum in medium prodeuntem excepturi eramus, conceptiſſimis formulis meditatas habebamus. At ſpes has proh dolor! fallaces mœſtus inopinatusque nuntius exſtinxit: *occidiſſe* SCHWARZIVM. Quemadmodum vero tota hæc litterata civitas ſenſu mœſtitiæ move-

movetur, quod canum ſuum venerandum, multisque meritis grave, Caput amiſit: ita inprimis ego Vobis, Optimi Cives, funus eius totus luctui ſqualorique immerſus edico; quod me hoc tempus, in quod ante aliquot annos luctuoſiſſima mors cariſſimæ Coniugis, meæ, ortu *Schwarziæ*, incidit, vel ſponte ſua & ſine calamitatum incrementis peracerba memoria convellit: & mihi iam inſuper circa iſtud triſte recordationis officium unus dies mane æſtumatiſſimum ex matre Fratrem, & veſpera Venerandum Socerum eripuit.

Lucem vidit doctus & omni eruditæ poſteritati memorandus SCHWARZIVS Leiſnigæ in Miſnia, d. IIII. Septembris A. S. R. CIↃ IↃ CLXXV; cuius patriæ ſuæ SCHWARZIVS crebro inter familiares ſuos mentionem facere ſolebat, eiusque dira fata, clades bellicas, & incendia, ex quibus & ipſi & ſuis multa damna oborta ſunt, gemebundus commemorabat; ac ſæpe mirabatur fieri potuiſſe, ut tam duris temporibus ſibi in adoleſcentia ſua tantum animi fuerit, ut in litterarum ſtudiis eorumque amore perſtaret. Sed providet ſummum Numen eruditioni, tamque egregio veræ puræque religionis remedio, ſi ea recte utamur, & magnos viros etiam in rebus adverſis poſteritati naſcituræ excitat, qui doctrinam capeſſant, aliisque tradant, inter quos nomen SCHWARZII permagnum eſt. Patrem nactus eſt virum integerrimum *Paullum Matthiam* SCHWARZIVM, ſcholæ patriæ moderatorem doctum & aſſiduum, quive in pulvere ſcholaſtico ultra dimidium ſæculum ſumma cum fide verſatus eſt. Cuius memoriam tanti fecit beatus noſter SCHWARZIVS, ut, licet eximia omnis generis rarorum bonorum & pretioſorum librorum copia frueretur, nullos tamen ex inſigni pietate præferret iis paucis libellis, quos a patre ſuo manu eius notatos poſſidebat & magno ſtudio ac religioſe conſervabat. Hos amicis ſuis, data opportunitate, tamquam theſauros oſtentabat, & dum eos evolvebat, plenus pietatis et grati animi de patris ſui manſuetudine & bonitate in ſe diſſe-

rebat.

rebat. Matrem coluit *Elisabetham*, Consulis Leisnigensis, *Abrahami* KVNZII filiam, & laudatissimæ vitæ feminam, quæ *Gottlibium* suum inprimis carum habuit, eumque etiam posthac vidua, quantum poterat, adiuvabat; qui hanc maternam bonitatem tam grato pioque animo repensabat, ut, quum iam studiorum caussa in Academiis viveret, etiamsi forte opis indigebat, nihil tamen a pia matre postularet, sed a se consilia & auxilia petebat, probe gnarus, optimam matrem suam sibi favere & sponte benefacere, quotiescunque poterat.

Quemadmodum itaque bene natus erat SCHWARZIVS: ita quoque cura parentum suorum & christianorum testium, cœtui Sancto DEI insertus est; & quamprimum id ætas permitteret, ab ipso parente suo erudiri cœpit. Quum autem pater *Gottlibii* nostri mature in ipso singulare ingenium raraque mentis bona agnosceret; ipse vero partim scholæ dirigendæ curis, partim a præcipitante senecta præpediretur, quo minus illum magnum virum, qui SCHWARZIVS evasurus erat, in tenero *Gottlibio* suo recte conformare posset, eum ætatis suæ anno XI, id est, post salutem restauratam CIↃ IↃ CLXXXVI, Lipsiam, tamquam omnis eruditionis fœcundissimam matrem, dimisit; ubi in ædibus & conspectu *Henrici Wilhelmi* MEYERI, tamquam bene providi cognati sui, vixit, & cum egregiis laudabiliter æmulantibus condiscipulis, OLEARIIS, a M. *Iohanne Gideone* GELLIO, posthac ad D. *Crucis* Scholæ Dresdensis & erudito & optime merito Rectore, ad bonos mores literasque inductus est. Anno deinde CIↃ IↃ CLXXXXI. optimo patre suo morte est privatus, & sic sibi suisque consiliis, sed & incommodis, magis permissus est. Recreabatur tamen mox, providente DEO, quodammodo ex hoc luctu, dum inter alumnos in splendido *Gymnasio Grimmensi Potentissimi Poloniarum Regis*, & *Principis Electoris Saxoniæ* clementer receptus est, ubi in orbem eruditionis ingressus, mox pectus suum sempiterno doctrinæ & virtutis ardore inflammatum sensit. Viam

ipſi in hoc genere monſtrabant, & ardui itineris duces erant viri, quorum nomina b. SCHWARZIVS numquam ſine veneratione grataque mente extulit: *Tobias* PETERMANNVS, *Ioh. Wolfgangus* SCHOENBACHIVS, *Georgius* ERMELIVS, & *Samuel* IACOBI; quorum quisque ſuæ profeſſionis peritiſſimi erant, & ex certis ſignis diligentiæ & docilitatis SCHWARZII, eum olim eruditionis gloria conſpicuum fore, augurabantur. Viciſſim vero SCHWARZIVS iam tunc bona doctorum ſuorum diſtincte noverat, & quas ſinguli ſingulares docendi dotes viasque habuerant, adhuc in ſenectute ſua recordabatur. Poſtquam hic omni ſtudio & diligentia ad bonas literas ita incubuerat, ut multos condiſcipulorum ſuorum facile antecelleret, Academias inviſere, orbemque ſcientiarum latius pervagari in animo habuit. Sed accidit, ut, rem gerente fratre M. *Paullo Henrico* SCHWARZIO, pædagogus & moderator SCHLEINITZII, adoleſcentis ex Illuſtri domo orti, conſtitueretur, atque hoc modo in notitiam gratiamque ac ipſam domum Cognati SCHLEINITZII, Perilluſtris Domini *Hermanni de* WOLFRAMSDORF, nonnullarum Clientelarum Heredis & Dynaſtæ, ac in *Aula Saxonica* Miniſtri primarii & Summi Mareſchalli penetraret. Quæ res SCHWARZIO poſtea magnæ felicitatis & multorum commodorum cauſſa facta eſt. Non enim leve & vulgare eſt, tam Excellenti prudentique Domino ſuas vivendi rationes, & ipſius cognatum inſtituendi modum, probare; aditum ad Eum ſæpe habere; Eum ſibi obvium experiri, & conſiliis ac valente auxilio Eius uti poſſe fruique. Sæpe aſſeveravit SCHWARZIVS, hoc inſtituendi Generoſi SCHLEINITZII munus ſibi ſcholam diſcendæ prudentiæ, & Viris elatæ dignitatis decenter ſe commendandi fuiſſe. Vſu hac exoptata occaſione ſe didiciſſe aiebat, quis ordo eſſe poſſet & deberet in Domo nobili magnaque, & quæ lauta nec inutilis eſſet magnificentia. Magnam quoque munificentiam Excellentiſſimi WOLFRAMSDORFII adverſus ſe, & dum apud eum vixit, & poſtea, fuiſſe, crebro & vehe-

vehementer prædicavit; ac nihil unquam reliquum fecit, ut sibi gratiam tanti Mæcenatis perpetuo conservaret, quod etiam feliciter obtinuit.

Tandem Ann. cIↃ IↃ CLXXXXVIII. alacer, & quasi passis spei & lætitiæ velis Lipsiam devectus est, ubi iam votis & genio suo, id est, literarum studio largiter indulsit. Inprimis autem humaniorum literarum amore invitatus ad *Gottfridum* OLEARIVM, singularis famæ & doctrinæ virum, se applicuit, eiusque & consiliis & laudabili ductu permotus est, ut elegantes scientias sibi potissimum excolendas legeret. Et quanto non affectus est gaudio OLEARIVS, quum SCHWARZIVM non solum spem suam explere, sed & superare, videret; qui lætitia exsiliit, ubi tandem SCHWARZIVS Altorfium, tamquam designatus Professor, petiturus ipsum valere iussit; quem tunc egregio *Demetrii Phalerii* exemplo, tamquam munere viatorio, donavit; quod SCHWARZIVS, nam gratus memorque erat, usque ad finem vitæ suæ quam maxime carum & acceptum habuit. Præterea sectatus est *Adamum* RECHENBERGIVM, immortalis nominis Doctorem, a cuius commentationibus numquam non doctior discessit. Audivit quoque *Iohannem Gottlibium* HARDTIVM, a quo veræ sanæque philosophiæ rationes animo imbibit; & *Christianum* LVDOVICVM, qui tunc auditoribus suis disputandi artem regulasque docte tradidit, eosque in eruditis pugnis citra ineptias obeundis usu & exercitio confirmavit. Quumque certum ipsi esset & exploratum, neminem sine Græci sermonis cognitione viri eruditi nomen legitime tueri posse: celeberrimi in hoc genere *Ioh. Gottfridii* HERRICHII scholis diligentissime interfuit, & in iis sibi egregium cumulum congestumque eruditionis Græcæ comparavit: qui SCHWARZII elegantiam doctrinamque eximiam etiam nitido epigrammate Græco honoravit. Quum vero ii, quibus adversari noluit, a SCHWARZIO poscerent, ut etiam sacris scientiis studeret; laudabili & prospero nisu se iis dedit, & Doctores

munerum sanctitate & meritorum gloria venerandos, *Iohannem* CYPRIANVM, & *Ioh.* SCHMIDIVM, divinas veritates explicantes frequentavit, & de iis cum aliis quibusdam sanctæ scientiæ cultoribus destinatis privatisque horis domi horum Doctorum disseruit, & sic se solida rerum divinarum & sanctæ fidei nostræ ab obiectionibus defendendæ sufficiente scientia munivit. Porro *Gottlobium Frider.* SELIGMANNVM, & *Henricum* PIPPINGIVM, oratores sacros eloquentes & pios, exemplorum loco habuit, & ab ipsis sive in cœtu sacro, sive in scholis suis proposita, tamquam rectissimas regulas animo pectorique infixit. Quia vero manca censetur scientia sacra sine linguæ Hebrææ notitia, & hanc apud *Gottfridum* OLEARIVM & M. *Ludovicum Christoph.* BLOSSIVM sedulo tractavit & recte percepit.

Iam ea instructus erat rerum scientia & cognitionis copia, ut iure suo aliquam dignitatem mereretur, quam etiam adeptus est, dum hoc Ann. cIↃ IↃ CLXXXXVIII. ab *Adamo* RECHENBERGIO, tamquam Ordinis Philosophici Præside, primum honorum philosophicorum gradum cum laude accepit, & sic *Baccalaureus* bonarum artium creatus est. Paullo autem post dignæ illius artis, qua tandem adeo eminuit, specimina dedit, & in templo Paullino duas egregias Orationes, spiritu oratorio refertas, habuit. Deinde etiam cathedram Academicam conscendit, &, duce ac præside M. *Sam.* BARTHELIO, viro admodum docto, pro argumento ex historia sacra desumto propugnavit, & in hoc certamine egregie stetit. Inter hæc Perillustris Dominus *de* WOLFRAMSDORF, beneficentissimus SCHWARZII omniumque eruditorum Mæcenas, in florentissima Academia Wittenbergensi beneficium victus, a XII. dignis literarum cultoribus gratis fruendum, constituit, inter quos SCHWARZIVM suum expresse & inprimis denominavit, qui ad id accederet. Sic Lipsia excitus Wittenbergam, felicem illam purorum sacrorum & eruditionis promam discessit. Hic se statim

in

in favorem doctorum virorum insinuavit, & maxime a *Iohanne* Deutschmanno, Theologo gravi & docto, multa insigniaque benignitatis documenta acceptavit; qui eum monitis, consiliis & commendatione ita firmavit, ut ea numquam ex Schwarzii nostri mente exciderint. Quemadmodum vero ibi & alios Viros praestantes veneratus est, & in augmentum cognitionis suae sedulo adiit: ita sigillatim oculos animumque in singulare illud Wittenbergae & totius Germaniae decus *Conradum Samuelem* Schvrzfleischivm convertit, & sibi vehementer gratulatus est, quod eius commentationes frequentare potuit, & is Panegyricum suum ante perlegit, ac se de quibusdam monuit, quam eum LXXIII. natali Maecenatis sui Wolframsdorfii communi nomine in magno audientium circulo, & inter publica vota pro incolumitate tam munifici scientiarum Vindicis ac Tutoris, habuit. Quo facto laus eruditionis Schwarzii nova cepit incrementa; quam iudicium Schvrzfleischii de hac solemni oratione non parum provexit.

Anno cIↃIↃ CCI. ad summum, quem Philosophia dat, gradum ascendit, & a *Georgio Friderico* Schroeero, philosophiae & theologiae scientissimo, Magistri artium & Doctoris philosophiae titulos ac honores publice cum aliis, inter multas congratulationes, impetravit. Anno sequenti, eoque Academiae Wittenbergensi laetissimo, quod ea tunc saeculum condebat, novumque ordiebatur, cum Praeside *Georgio Guilielmo* Kirchmaiero, qui Graecas litteras cum magno plausu docebat, et Schwarzii caussa valde cupiebat, de *dialecto Novi Foederis* sic disputavit, ut nemo non, qui Schwarzivm tunc audivit, honorifice de eo sentiret. Brevi deinde nova atque praeclara eruditionis suae monumenta protulit, dum e Praesidum sede, ac munere suo quam optime defunctus, de *caussis dialectorum, speciatim Graecarum*, differuit. Porro quum isto tempore in Belgio inter doctos de modo, quo Iudas, sacratissimi *Servatoris* nostri proditor, infelicem suam vitam finiverit, acris pugna exarsisset, Schwarzivs pro eruditione sua ad hanc

rem disceptandam intentus fuit; &, ut suam scientiam rite constitueret, validisque firmaret principiis, omnia altius repetere statuit; ideoque de *morte Achitophelis*, pessimi illius desertoris ac transfugæ, duas doctissimas dissertationes cum uno eodemque Respondente fortiter tutatus est; quod Græci Veteris Codicis interpretes in historia *Achitophelis* eodem vocabulo usi sunt, quod in Novo Fœdere de morte Iudæ exstat, indeque rationes suæ sententiæ colligere voluit. Magna observatis Schwarzii laus comitata est, & eruditos desiderium tenuit commentationis & sententiæ suæ transitum exitumque videndi; qui vero, quod Schwarzivs mox aliis rebus implicitus fuit, numquam emersit.

Iam discessum parabat, Wittenbergam relicturus, ubi eruditionem famamque suam valde auxerat. Quod ubi Schvrz-fleischivs rescivit, eum non nisi excellenti laudis testimonio impertitum a se dimisit, in quo testatus est, Schwarzivm *in sapientiæ studio diligenter versatum esse, humanitatis insigniter peritum, & dignum, qui docentis partes capessat.* Hæc felix gloriæ sementis mox crevit, & bonos tulit fructus. Vix enim Schwarzivs Lipsiam, quo tetendit, reversus erat: & a *Christophoro* Pfavtzio, certæ illius solidæque dimetiendi scientiæ callentissimo, moribus studiisque unici filii sui præfectus est; quas partes quinque fere annis, ut cæteras res suas, quam optime egit, & non sine commodo suo gessit; licet mox, postquam Lipsiam Wittenberga redierat, a *Splendido Lipsiensi Senatu* locum & munus Collegæ III. in schola Senatoria ad D. Nicolai adeptus sit, & sic suam docendi facultatem publice explicare cœperit. In quo negotioso munere se non solum invictum a labore præstitit, sed etiam alia simul pro insigni sua præstantia & virtute bene recteque exsequutus est. Sic in celebrem Societatem *Anthologorum* receptus, quam tunc *Christianus Fridericus* Boernervs, scientia rerum sacrarum & humanarum valde nobilitatus, direxit, eius conventibus frequenter

tei interfuit, & de rebus ad eruditionem pertinentibus sermocinantes auscultavit, ac ipse disseruit. Vt vero arctius cum Academia coniunctus esset, quod se vitæ Academicæ natum esse intellexit, & Magistris Lipsiensibus adscriberetur, impetrata in hoc ab Amplissimo Philosophorum Ordine facultate, Ann. cIↃ IↃ ccv. de *ornamentis librorum apud veteres usitatis* exquisitam disputationem scripsit, &, prouti Lipsiæ moris est, bis eodem die, ante meridiem solus, & post eam cum comite respondente fortiter a contra dictis vindicavit. Quod argumentum anno, qui secutus est, nova disquisitione collustravit, & hoc pacto sibi dignitatem & ius Assessoris Philosophi acquisivit.

Hæc docta Schwarzii monumenta iam palam nota erant, & celebrabantur: unde in varias vacuefactas docentium sedes expetitus est, ac eodem tempore plures bonas amplasque fortunæ & honoris conditiones oblatas habuit, inter quas & ea fuit, qua huc evocatus est. Dum quid agat, perpendit animoque circumvolvit, quum res magni momenti sit novam experiri fortunam, memor Morhofivm, Virum usu & ubertate scientiarum valentem, perhonorificam de Academia Altorfina mentionem feciſſe, bono animo & auspicato nutum ac voluntatem *Illustrium* huius Academiæ *Dominorum Curatorum* sequutus est, ac Lipsiæ Patronis & Amicis cum veneratione & debito cultu aditis, ultimumque compellatis, bonis votis cumulatus viæ se dedit, & primum Norimbergam ac deinde huc magna meritaque exspectatione venit. Cui statim non solum exacte respondere, sed eam quoque vincere, cœpit, quum, ut professionem suam Oratoriæ & Poeseos, cui e vestigio (tantus favor erat eruditionis Schwarzianæ) etiam munus tradendæ doctrinæ moralis accessit, rite auspicaretur, d. XVI. Augusti solenniter, & elegantissime *de Oratore in republica*, oraret; quem actum etiam antea insigni prolusione indicavit. Anno altero post, ob obitum *Georgii Paulli* Roetenbecii,

Phi-

Philoſophi optime morati & acutiſſimi, ad munia Schwarzii a *Splendidis* Academiæ huius *Curatoribus* inſpectionis cura Beneficiariorum Norimbergenſium clementer addita eſt. Anno clɔ Iɔ ccx. ſocius laudatiſſimæ & antiquæ Societatis Florigeræ ad Pegneſum factus eſt, in qua ex voluntate & optione ſua dictus eſt Melander. Ann. clɔ Iɔ ccxxiii. ingentia honorum incrementa habuit, quod eum Divvs Carolvs VI, *Glorioſiſſimus Romanorum Imperator*, per *Eminentiſſimum* quondam & glorioſæ memoriæ *Principem*, Lotharivm Franciscvm, Archiepiſcopum Moguntinum, & S. R. I. per Germaniam Archicancellarium, ac Principem Electorem, natalibus S. R. I. Comitem *de* Schoenborn, conſpicua & nobili Comitis Palatini Cæſarei dignitate clementiſſime affecit; qua noſter per omnem vitam ſæpe quidem, ſed rectiſſime uſus eſt, nec prece, nec alio modo eo perduci potuit, ut aliquid iurium ſuorum in indignos derivaſſe videretur. Quumque deſideratiſſimus *Iohannes David* Koehlervs, vir perpetuæ gloriæ, hinc Gœttingam commigraſſet: Schwarzivs, profeſſione Poëtices dimiſſa, volentibus ſic *Illuſtribus* Academiæ *Curatoribus*, hiſtoriæ docendæ munus ſuſcepit. Ann. clɔ Iɔ ccxxxiii. inſignis æris incidendi, & ipſius *Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris* in hac re Norimbergæ artifex, Vestnervs, Schwarzivm nummo repræſentavit; cuius altera pars ſummam vitæ *Schwarzianæ* continet. Anno vero ſuperiori a *Glorioſiſſimo Invictiſſimoque* Francisco, *Romanorum Imperatore Auguſtiſſimo*, pretioſo aureo torque, ex quo magnus nummus, imaginem Imperatoriæ Maieſtatis ferens, dependet, clementiſſime donatus eſt; quem *Perilluſtris & Excellentiſſimus Liber Baro Iohannes Wenceslaus de* Widmann, Auguſti Auguſtæque ad Præcelſum *Circulum Franconicum* Ablegatus, tamquam ſingulare clementiæ Cæſareæ documentum, Schwarzio, hoc factum demiſſiſſime veneranti eoque ſtupenti, Vienna rediens attulit. Ante breve tempus Præſes Societatis Florigeræ ad Pegneſum, cuius

cuius antehac collega fuerat, electus est, etsi ipse hoc agi audiens, mortis instantis quasi praesagus, alium annis florentiorem creandum censuit & suasit. Quum vero Celeberrima haec Societas in votis suis perstaret; SCHWARZIVS indignum esse ratus, ei diutius obniti, Praeses factus est. Adscriptus quoque fuit Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum & Regiae Borussicae Societati scientiarum, quarum honos nomenque perpetuo manebit. Praeterea ter consulatum Academicum cum eximio decore & gravitate gessit, ac quarti iam Candidatus erat. Ordini quoque suo duodecies praesedit, multosque hac occasione laude dignos adolescentes virosque gradibus Academicis ornavit.

Quum autem plenos XXXXI, et quod excurrit, annos, tamquam Doctor Academiae nostrae, dies noctesque meditando, legendo, scribendo, & assidue docendo confecerit, difficile intellectu haud est, etiamsi id aliunde non constaret, quot acroases habuerit, quam auditorum turbam collegerit, & ad quod eruditionis culmen tandem ascenderit; quum praesertim fere semper prospera valetudine usus sit. Sed aeternitate dignissima prostant SCHWARZII monumenta, quae, quod diximus, luculentissime confirmant. Et quis eruditorum SCHWARZII scripta ignorat, eaque sine admiratione legit? Quidquid in publicum emisit, doctrina repletum est, cultissimeque exaratum. Vbique, si latine scripsit, adsunt uerba antiqua, & ex ipso Latio petita. Nihil est barbarum, nihilque obscurum, sed omnia lucidissima & dignissima. Selecta verba optimas complectuntur res, et solis vocabulis enitescere, SCHWARZII non erat. Sic ubique et semper egit; ac quando ingentis Demosthenis arma concussit, & indomiti Ciceronis ignes et grandia pondera devoluit, eo dixit modo, qui quidem oculis auribusque hauriri poterat, sed verbis describi nequit. Omnia natura in eum abunde contulit, quae excellentem Oratorem efficere possunt. Sic eum audientibus iam forma commendavit, quae fuit dignissima, & ingenua; ac vultus flore & rubore pene iuvenili perpetuo viguit.

Nec prægrandis gigantis ſtaturam aut deducti pumilionis habuit, ſed in mediocris menſuræ corpore ſuada eius reſedit. Corpus ipſum ſucco & bonæ valetudinis ſignis ſplenduit. Latera fuerunt valida oratorique convenientia, & magnum conatum ſpiritumque ſuſtinere valuerunt. Vbi verba facere cœpit, imperterritus eſt orſus, & nihil offenſionis in pronuntiando animadverſum eſt. Fluminis inſtar omnia proruperunt, nullaque linguæ audita ſunt vitia. Omnia expreſſiſſime extulit; nullae ſibi interciderunt ſyllabæ, par fuit ubique ſermo. In arduo dicendi genere SCHWARZIVM maxime excelluiſſe HEINECCIVS, iurium & elegantioris literaturæ ſcientia celebratiſſimus auctor, aliique ſcientiſſime iudicarunt. In primis vero & rebus & dictione Ciceronem, maximum quem Latium tulit oratorem, feliciſſime imitatus eſt. Quod vero huic eloquentiæ Romanæ fonti defuit, SCHWARZIVM potuiſſe res certa eſt & confeſſa. Tullii enim carmina numquam approbata ſunt; at SCHWARZIVS præclara & blandiſſima confecit carmina. Quodſi Lyrica compoſuit, Horatium, ſed omiſſis turpibus, retulit; ſi elegias ſcripſit, Ovidium ſine obſcenis nugis expreſſit. Aliis quoque monumentis poeticis ſatis oſtendit, ſibi facultatem fuiſſe Virgilium, Gratiumque imitandi. Fudit quoque elegantes Græcos & Latinos verſus, & in omni etiam quo uſus eſt carminis genere admirandam ſectatus eſt perſpicuitatem. Vti vero præſtantiſſimis & imitandis ſcriptoribus dudum accenſus eſt: ita quoque egregius fuit doctor. Vnde, ſive morum ſcientiam traderet, ſive fata rerum publicarum, & Auguſtorum Imperatorum res geſtas exponeret, ſive oratoriam ſuam doceret, ſive carminum conficiendorum rationes redderet, ſive veterum ritus illuſtraret, ſive emendate ſcribendi modum oſtenderet, ſive critices ſtudium duceret, ſive veteres ſcriptores interpretaretur: eum auditores ſui mirati ſunt, & ab eo numquam niſi doctrina egregiaque inſtitutione locupletati diſceſſerunt. Critices & philologiæ ſummum dedit exemplum, quum Plinii, oratoris incomparabilis, Panegyricum optimis circumdatus ſubſidiis publicaret;

quod

quod opus eruditi maxima & communi approbatione extulerunt; ac quod caput rei est, ipsi *Invictissimo Romanorum Imperatori*, FRANCISCO, magnopere placuit. Reliqua quoque SCHWARZII scripta eaque permulta, quæque ad omnis generis doctrinas spectant, ac partim etiam graues publicæque Deductiones sunt, ubique honorantur et laudantur. Neque tacendum est, eum multorum nummorum figuras & inscriptiones excogitasse, qui percussi, & apud omnes æquos rerum æstimatores in maxima laude sunt. Publice quoque multi eruditione celeberrimi viri testatum fecerunt, quanti SCHWARZII eruditionem facerent, eamque librorum dedicatorum honore prosequuti sunt, ac frequens litterarum commercium, inter quos & Purpurati quidam erant, cum eo habuerunt. Vt vero libros bonos, illa cara & necessaria eruditionis instrumenta, nancisceretur, nullis pepercit sumtibus, & aliquando destinata opera eiusmodi voluminum conquirendorum caussa iter fecit; nec quod optavit non consequutus est. Vnde etiam tot annorum collectione dignam reliquit literariam suppellectilem. Sic possedit priscos libros Græcos, Latinos & Germanicos manu partim in membrana, partim in charta exaratos, itemque haud exiguam copiam librorum sæculo XV. sub incunabula artis typographicæ excusorum, & vix in multis aliis Bibliothecis reperiundam.

Dilatata autem ubique viri fama & gloria, sæpe in alias eruditionis sedes docendi caussa invitatus est; sæpe qua optione, quibus conditionibus ire vellet, est interrogatus. Sed soli Altorfinæ Academiæ a DEO destinatum erat servatumque hoc eruditionis ornamentum. Retentus vero vir optimus etiam hic est ex caussa deuoti sui cultus erga *Perillustrem Rempublicam Norimbergensem*, quæ eum prima in Professoris publici dignitatem evexit, & benigne complexa est; & propter rem familiarem hic constitutam. Hi labores, hæc merita SCHWARZII dignissima erant, quæ a lectissima vitæ torique socia recrearentur, & in rebus domesticis administrandis relevarentur. Hanc etiam desideratam feliciter reperit, dum Norimbergæ versabatur, & ab *Illustri-*

bus Academiæ *Curatoribus* veniam petere volebat Italiam peragrandi, & veteris Romæ Latiique rudera ac monumenta visitandi. Fuit ea, quæ eum ab obstinato itinere abstraxit, *Barbara, Danielis* Wellerı honestissimi ciuis & spectati mercatoris Norimbergensis ætate & virtutibus florentissima filia. Quam sibi solemni nuptiarum ritu d. xxx. Sept. Ann. cIↃ IↃ ccx. accepit, & cum ea, sed duos dumtaxat annos, quam maxime concorditer vixit. Nam, unica superstite filiola *Barbara*, d. xx. Novembr. Ann. cIↃ IↃ ccxii. naturæ debito liberata, fatigatisque morbo membris desertis, per se vigere coepit. Magno solatio filia *Barbara* Schwarzio fuit, & postea, ubi adoleverat, optimo patri suo, domesticas res curatissime tractando, unicum gaudium & auxilium, omniumque virtutibus suis oculos in se convertit. Quibus bonis incitatus D. *Iohannes Nicolaus* Weissivs, Anatomes & Chirurgiæ Prof. publ. Poliatrus & Academiæ Imperial. Naturæ Curiosorum Collega celeberrimus, Vir doctrinæ amplitudine & medendi arte valde excellens, eam coniugem sibi cupiit. Quam etiam cum sollennibus votis & publicis gratulationibus d. xxviii. Aprilis Ann. cIↃ IↃ ccxxxiii. hic domum duxit. Ex quo fortunato coniugio Schwarzivs hæc lætus vidit cariſſima amoris pignora: *Barbaram, Annam Margarethan, Catharinam Henricam Sophiam, Iulianam Dorotheam*; quæ adhuc, Deo favente, salva sunt, feliciterque ætate & virtutibus procedunt, & uti, dum viveret, avi, ita adhuc parentum, omniumque bonorum sunt deliciæ; itemque, quæ autem mortalitatem iam exuerunt: *Margarethan Barbaram, Rosinam Sophiam*, & *Christianum Gottlibium*. Vnum vero filiolum Weissia enixa est inanimum. Pertæsus Schwarzivs viduitatis suæ aliam maritam quæsivit & habuit *Dorotheam Mariam*, Viri spectatissimi, iuriumque peritissimi, *Iohannis* Hagenii, *Perillustris Senatus Norimbergensis* a commentariis opificum. Quæ altera Schwarzii coniux & ipsa virtutibus condecorata fuit, quam etiam semper in oculis tulit, & quæ ei hos quinque peperit liberos: *Iulianam Dorotheam, Iohannem Gottlibium, Iulianam Mariam*,

Mariam, Catharinam Charlottam, & Catharinam Margaretam, qui, præter *Iulianam Dorotheam,* non ad maturam ætatem pervenerunt. *Iohannes Gottlibius* anno octavo ætatis ex hac vita discessit, & sic SCHWARZIO per totam vitam insanabilem attulit dolorem, quod iam flores & deformatos futuræ eruditionis fructus ostenderit, & ad percipiendas literas præstans fuerit. *Catharina* vero *Margareta* annos vixit XIIII. & omni virtute, quæ in virginem cadit, functa Ann. clo Io ccxxxxii. decessit. *Iuliana Dorothea* cum D. *Ioanne Iacobo* KIRSTENIO, Chimiæ, & Physiologiæ Professore publ. ordinar. & Cæsar. Academ. Nat. Curiosor. Collega, consociata fuit, femina omnem laudem supergressa, quam anno clo Io ccxxxxviii. gravidam amisit. Hæc cara SCHWARZII filia eum sex liberis his hilarum fecit avum: *Barbara Elisabetha, Barbara Elisabetha* altera, *Susanna Margareta, Christiano Gottlibio, Andrea Iacobo,* & *Christiano Gottlibio* altero. Ex quibus *Susanna Margareta,* & *Christianus Gottlibius* alter, adhuc supersunt, & ut semper supersint, precamur. Tertium Coniux factus est SCHWARZIVS, quum tertium Rector Academiæ esset, & nuptiæ Ann. clo Ic ccxxxv. d. XIII. Octobris Norimbergæ coniunctæ sunt. Vltima hæc marita fuit laudatissima matrona, *Barbara,* natalibus STARCKIA, & tunc *Stephani* OEDERI, egregii mercatoris Norimbergensis, vidua, quæ sine prole decem annos cum SCHWARZIO peramanter vixit, & Ann. cloloccxxxxv. servitutis humanæ claustra perrupit.

Felix itaque quidem fuit SCHWARZIVS, non tamen illa METELLI indulgentia fortunæ gavisus est. Licet enim SCHWARZIVS amplos honores gesserit, & non quidem filios, sed generos consulares viderit, ac licet duas filias suas illis nuptum dederit, earumque sobolem sinu suo exceperit, vidit tamen & multa suorum funera, & sæpe tristitiæ gravissimas habuit causas. Quum vero sapientiæ & humanitatis studium mentes molliat, & adversa fortuna eas firmare possit: & SCHWARZIVM eruditio & usus durarum rerum virum reddiderunt humanissimum. Hinc non solum erga suos bonus fuit & indulgens, sed etiam cum collegis

ſuis coniunctiſſime verſatus eſt, & conglutinatas amicitias diligenter conſervavit. Pauperes multis beneficiorum generibus affecit, & neminem opis ſuæ indigentem, ſi ea dignus erat, ſine auxilio a ſe abire, paſſus eſt. Ac quamvis pro doctrina ſua lubentiſſime & potiſſimum cum amicis ſuis de rebus literatis & publicis colloqueretur, tamen neminem, nec tenuiſſimæ fortunæ hominem ſe compellantem averſatus eſt. Poterat & hilaris eſſe & facetus, ſi id occaſio ferebat. In primis ad morum eius laudem ſpectat, quod Numen æternum reverentiſſime coluit, cœtibus ſacris etiam ſenex & frigidiſſima hyeme, ac vel incommoda tempeſtate, aſſidue interfuit, & ſæpe conſcientiam exoneravit ac noxas ſuas expiavit. Et huius quoque boni viri fores pulſavit mors. Hæc ei, alioquin bene valenti, niſi quod aliquoties, ſed tamen raro & leviter, podagra tentatus eſt, & noctes crebro inſomnes habuit, in initio huius, quem agimus, anni, inſidiari cœpit. Signa enim venturæ apoplexiæ in eo obſervata ſunt; qui ſe pro ſua pietate, ingenti ultimæ, ſi inſtaret, mutationi recte & convenienter præparavit, iam antea haud raro vaticinatus, fore, ut aliquando repente mortuus deprehendatur. Deinde ante aliquot hebdomadas vaga arthritide, quæ mox caput, mox genua, mox pedes infeſtavit, vexatus eſt. Sed huius mali vis præſentibus remediis a generis eius ita fuit fracta, ut magna ſpes eſſet, brevi futurum, ut ſecundum communia vota ſe iterum ad conſuetos labores referre poſſit. Die autem elapſo XXIIII. Februarii, qui feſtus erat, quum ſolus eſſe vellet, ut piis meditationibus ſuis eo melius ſtudere poſſet, dum horologio adſtat, hora ultimumque vitæ momentum ipſi ruit, & ſanguine ictus collabitur. Sic proſtratus a ſuis illico advolantibus inventus eſt, & omnis quidem data fuit opera, ut refocillaretur; ſed iam transactum fuit de Schwarzio. Rebus humanis LXXV. annos interfuit, & iam in cœlo cum ſenioribus habitat, qui Agnum mactatum adorant, resque fragiles & caducas tutus contemnit.

MEMO-

MEMORIA

VIRI, DVM VIVERET, ILLVSTRIS ET

EXCELLENTISSIMI

D O M I N I

IOANNIS DAVIDIS KOELERI

HISTORIARVM IN REGIA GOETTINGENSI MVSARVM SEDE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, ET CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ITEMQVE REGIAE BEROLINENSIS ACADEMIAE SCIENTIARVM, AC SOCIETATIS INCOGNITORVM LITERARIORVM SODALIS,

A. D. X. MART. ANN. cIↃIↃ ccLV.

SVBITA MORTE REBVS HVMANIS EREPTI

EX

PROGRAMMATE FVNEBRI

PRO-RECTORIS ET SENATVS ACADEMIAE

GEORGIAE AVGVSTAE

DEPROMTA.

Quamquam non interitura est secunda & felix, sparsa per omnes populos, qui literis culti sunt, KOELERI memoria, dum aliquis historiæ honos habebitur: tamen iuvat brevi quasi fasce comprehensa viri merita proponere, ut huius scriptionis opera possint lectores velut uno obtutu, quis & quantus fuerit KOELERVS, intelligere. Incipiamus a brevi vitæ cum laude ab ipso actæ curriculo. Natus est anno superioris sæculi LXXXIV, die XVIII. Ianuarii, Colditii, haud ignobili Misniæ oppido ad Muldam, Rochlitium inter & Grimmam, quod, Lipsiensi circulo adscriptum, dedit inter alios cives nobiles *Wenceslaum* LINCKIVM, de fidis B. LVTHERI adiutoribus unum, & Io. STRAVCHIVM, ICtum celeberrimum: patre *Io. Christophoro n*), Diacono ecclesiæ oppidanæ, matre *Rosina, Christiani* NÆVII, stannariarum circa Eibenstockium Inspectoris, filia. Avus paternus M. *David*, A. S. LXXXVIII. mortuus, Schwarzenbergæ rem sacram fecit; proavus M. *Blasius*, magisterio civium Colditii functus est. Noster prima pietatis & literarum elementa tum in schola Colditiensi, tum præsertim ab ipso patre accepit, qui geographiæ & historiarum amorem ac scientiam in comitatu nobilium adolescentium, LOESERI & ARNIMI, Lipsiæ hauserat. Sed illo mature sibi, nempe anno sæculi XCV. una cum matre erepto, translatus est Annæbergam, ad amitæ suæ maritum, M. *Christ.* LEHMANNVM, primarium eius oppidi Pastorem, qui postea Doctoris

n) Virum doctum et ingeniosum loquuntur libelli isti: *de Matrimonio illustri ex ratione status* Diss. Lipsi. 1676. 4. Concio, occasione Pareliorum 26. Febr. 1692. viforum habita Colditii, minime superstitiosa. *Curiöse Nachrichten von der Burg Colditz als einem uralten Churfürstl. Sächs. Leibgedinge*, alieno nomine sub titulo, *der Burg zu Colditz Bau und Zier, stellt dieser Blätter Inhalt für.* Lipsi. 1710. 4.

ctoris Theologi & Superintendentis honore auctus, anno sæculi noſtri XXII. Freibergæ diem ſuum obiit, tum vero KOELERVM noſtrum ſuis cum liberis erudiendum curavit. Hinc liberalitate Senatus Freibergenſis anno ſæculi XCVII. in Miſenenſem ſcholam provincialem miſſus, ſex deinceps annis ad legem ſcholæ in optimis literis vixit. Præceptores habuit ſua in arte nobiles, *Iuſtum Gottfried* RABNERVM, *Andr.* KIRSTENIVM, *Io. David* SCHREBERVM: præter ceteros autem profuit illi familiaris amor *Io. Iac.* STIEBELII, quem in Annæbergenſi iam ludo Rectorem habuerat. Anno ſæculi noſtri tertio Vitebergam adiit & poſt philoſophicam polymathian ad Theologos ſe contulit, cui ſe ſtudio velut conſecratum dedicatumque a ſuo patre meminiſſet, audiitque non negligenter LOESCHERVM, HANNEKENIVM, NEVMANNVM, WERNSDORFIVM, Hebraica etiam DEYLINGIO duce arripuit: ſed quod ea tempeſtate omnes cathedræ perſonarent SPENERI reprehenſionibus, quem adverſus omnia Confeſſionis Auguſtanæ capita impingere dicerent, cuius tamen viri catechetica inſtitutione non ſine laude auctoris a patre ſuo imbutus tinctusque fuerat: movit ea res KOELERO noſtro dubitationes, uti tum affectus erat animo, inexplicabiles, propter quas mallet, dimiſſa Theologorum arte, totum ſe humanioribus literis tradere. Manſit tamen religioſa cultus publici & ad exemplum accurata obſervatio, manſit veneratio librorum noſtrorum, amor præſertim novi fœderis, quod ſenex etiam in ſinu geſtare, in templa ſecum ferre, & conferre cum his, quæ prælegerentur, ſolebat.

Ceterum ut inſignes in iis literis, quas ſibi peculiariter colendas deſumſerat, progreſſiones faceret, ad hoc profuit ipſi familiaris conſuetudo & bibliotheca ſemper illi patens *Conr. Sam.* SCHVRZFLEISCHII, cui tum viro, cui bibliothecæ, principatum quendam in eo genere tribuebat Germania. Huius etiam fratrem, *Henr. Leonhardum*, familiaritate ſibi devinctum

ctum cum haberet o), in chronologica de Periodo Græco-Romana disputatione illum adiuvit. Inter hæc Magistri honores accepit anno sæculi quarto. Quam totum se literis immergere Græcis & Romanis tum destinaverit, testis est charta typis expressa, in qua promittebantur Thesaurus Inscriptionum Græcarum, THVCYDIDIS, Oratorum plerorumque veterum, tum Germanicorum Rhetorumque Græcorum editio, & multa alia, quæ ille, & ingenii ac doctrinæ suæ, & Schurzfleischianæ bibliothecæ atque amicitiæ fiducia poterat non vano promissor hiatu polliceri. Nec vero nihil utilitatis habent tales conatuum iuvenilium significationes, cum possint earum beneficio excitari homines ad symbolas promissis id genus epulis conferendas. In KOELERO illud commemoratione dignum nobis visum est, ut intelligatur, quibus radicibus nixa & alita fuerit viri eruditio. Frustra, nisi vehementer fallimur, magnum & durabile in historia nomen sperat, nisi qui totam capaci mente complectitur; frustra totam studet complecti, non memoria tantum qualicunque, sed iudicio etiam sano complecti, nisi qui ipsos fontes antiquos potest consulere. Ceterum multa illa ac præclara minantem KOELERVM nostrum ad alia omnia traduxit cœlestis providentia.

A Suecorum in Saxoniam irruptione cum periculum Musis suis metueret, Argentoratum petiturus, obiter Noribergam lustrat, & inde excurrit Altorfium: invenit utroque in loco amicos & fautores studiorum suorum. Factis legitimis, defenso *Archæologiæ Romanæ* specimine, prælectiones habet, quibus & historiam literariam enarrat, & dominicarum perpessionum historiam e Romana antiquitate illustrat. Vtitur convictu, amicitiaque, & commendatione præsertim insignis Theologi

o) Memoriam huius amicitiae servat Diatribe *Io. Bapt.* BELLI de Pharsalici conflictus mense et die, quam prelo redditam dedicavit SCHVRZFLEISCHIVS nostro, Viteb. 1705. 4.

logi *Io. Mich.* Langii, tum Zeltneri, & qui tum Philoſophorum ordinem implebant, Molleri, Omeisii, Roetenbeccii, *Io. Wilh.* Baieri: quo factum eſt, ut iam tum de retinendo illo conſilia agitarentur: at ipſe reditum parabat in patriam, & ſperabat locum inter Miſenenſis ſcholæ provincialis doctores, qui ſolerent ex his fere eligi, qui diſcipuli egregii in eo ludo fuiſſent. Cum vero nollet ex illa vicinia domum redire, niſi viſa antea Ratisbona, invitatus præſertim ab amico, quem Altorfii pararat, hic fortuna, h. e. divino numine factum eſt, ut quæreretur vir iuvenis, qui *Henningo* Baroni de Strahlenheim, Caroli XII. ad Vratiſlavienſem conventum, de implendis Pacti Alteranſtadienſis (anno 1707, $\frac{11}{22}$ Aug. initi) legibus cum poteſtate legato, commentariis Latinis atque epiſtolis ſcribendis daret operam. Obtulit noſter operam ſuam, & a menſe inde Martio anni MDCCVIII, multa in illo reſtituendæ religioſæ Sileſiorum libertatis negotio, ſcripſit, vidit, didicit, poſtea ſibi & per ipſum aliis profutura. Prætulit itaque hanc conditionem ſuam oblatæ ſibi ſub finem eius anni cathedræ Altorfinæ, quam morte reliquerat b. Omeisivs, manſitque apud Strahlenhemivm etiam cum ille, depoſita illa Legatione, Bipontinum regere Ducatum vice ſacra Suecorum Regis iuſſus eſſet. Si quid ibi otii contingeret, illud Senealogiæ præſertim colendæ impendebat, duces & adiutores nactus Cancellarium Bipontinum *Chriſtoph. Nicolaum a* Greiffencranz, & *Chriſtian.* Ioannis, Gymnaſii Profeſſorem, nobilem Hiſtoricum. Deberi videbatur Koelervs noſter Altorfio: itaque ſub finem anni decimi oblatum ſibi locum b. Roetenbeccii, qui rationalem & civilem Philoſophiam docuerat, nequidquam retinente illum Strahlenhemio, accepit, adiitque ineunte Februario anni noni. Mox anno duodecimo cura Bibliothecæ a Molleri morte acceſſit, & cum hiſtorica profeſſione illa prior commutata. Ab hoc inde tempore plenis velis in illum hiſtoriarum oceanum invectus

ctus eſt, adiuvante ſtudium ipſius etiam amicitia & bibliotheca Rinckiana, & quam nactus erat ſpartam, ita ornavit, ut non doctor modo bonus adoleſcentium eſſet, qui in ipſius ſe diſciplinam ac fidem conferrent, ſed doctos etiam homines multa in libris ſuis ac diſputationibus, ante ipſum ignorata doceret, familias præſertim Imperatorum Auguſtas expeditas daret & illuſtratas, ut, ſi nihil aliud præſtitiſſet, æternam ab hiſtoricis poſterioribus gratiam inire debuerit. In his ſi ſint quædam, ad quæ Roſcio tali non videatur opus fuiſſe: cogitemus, hoc ipſum quoque eſſe humanitatis, demittere ſe publicæ utilitatis cauſa ad ea, in quibus non opus ſit ſumma contentione magni viri, ſed in quibus tamen magnum artificem, etiam ubi ſe remiſit, agnoſcas. Hic modo unius adhuc operis velut extraordinariam faciemus mentionem, hebdomadicis intervallis ſermone patrio editi, quo Numiſmaticas delicias (*Münzbeluſtigungen*) lectoribus præbuit exquiſitiſſimas, cum ſingulis chartis & expreſſam ſumma arte numismatis alicuius, aut plurium, ex ætate recentiori, faciem utramque, & hiſtoricam declarationem, quam ſumma viri eruditio atque diligentia efficere poterant, exhibuit, quo opere nihil poteſt ad omnem hiſtoriarum varietatem, & ſingularium hominum, quacunque ratione memorabilium vitas aut facta ſingularia, ad omne item genus eventuum, quos numis vel auctores, vel alii celebrarunt, cum quadam erecti animi ſuavitate cognoſcendum, accommodatius eſſe.

Tanto maiorem conſilium illud laudem meretur, quod undique velut in ſinum Koeleri confluereret, quicquid humani & eruditi poſſeſſores talium cimeliorum haberent, qui gauderent nempe, illo obſtetricante, ſuas opes protrahi, &, ſalva ſibi illarum ſubſtantia, publicari. Perierant ſane multa illorum monimentorum, cum vel cælatorem iam ſpectarent, ſeu vaſcularium, vel certe cum ſitu & ærugine luctari inciperent: niſi vitam recidivam, & multo iam, quam ab ipſis metallis

durabiliorem, una cum facultate uberius & clarius docendi posteros, a KOELERO accepissent. Porro horum numismatum omnium, & præter ea infinitæ pene aliorum multitudinis, ectypa stannea vel plumbea viri sibi industria comparuit, thesaurum minime contemnendum. Quemadmodum chartas quoque & libellos quam plurimos fortuna quædam bona, attentæ illius diligentiæ, & pendenti ubique, etiam in scrutariis angulis, hamo, favens, ipsi obiecit, unde Bibliotheca ipsius ad speciem mediocris, plena rerum vel utilitate, vel raritate & singulari quadam dote pretiosarum paullatim collecta est *p*). Sed redimus ad rationem vitæ viri, quæ non modo docendi pro cathedra, & scribendorum librorum laboribus occupatissima erat & utilissima; sed literis etiam privatis bona sui parte impendebatur, quum interrogantibus de historia & iure publico principibus viris responderet, quo genere devinctos sibi habuit per Germaniam, Italiam, Galliam viros summos: eaque res præmio etiam & honori viro nonnunquam fuit. Iuvat, quod in hoc genere summum est, commemorare. Anno sæculi XXV. Augustissimus, dum viveret, Imperator CAROLVS *VI*, commendatione Illustrissimi WVRMBRANDII, qui a consiliis intimis Imperatoris in Consilio Imperii aulico vicem Præsidis gerebat, torque, sive catena aurea cum numo inde pendente, donavit KOELERVM, tradente illi munus Imperatorium *Christophoro* FÜRERO, primo rei tributariæ Noribergensis Præfecto & Sculteto imperii. Habuit etiam epistolam manu Sacratissimi Imperatoris ad se scriptam, in qua cum Iuris Doctorem illum appellaverit, solebant amici gratulari viro, qui non e rivo aliquo, sed ab ipso fonte Academicæ etiam nobilita-

p) Exemplo sit Imhofianæ Notitiæ Procerum Imperii exemplar, cuius margines magnam vim habebant adnotationum ab ipso auctore adscriptarum, floreno forte uno redemtum, ne tus & piper vestiret, cuius deinde operis nova cura edendi consilium arripuit.

litatis eum gradum accepiſſet. Hæc illi iocantes. At fuerit forte, qui ſerio etiam diſputet, an non licuerit eo titulo uti KOELERO, ſi voluiſſet? Quorum præterea Principum in republica, in eccleſia, in literis, virorum epiſtolis, amicitia, familiaritate, honoratus fuerit, exponendi curam relinquimus filio magnæ ſpei *Io. Tobiæ*, qui etiam de aliis, quæ vel affecta opera a patre, vel alioquin ἀξιομνημόνευτα in ſcriniis reperiuntur, explicabit.

Annum iam viceſimum magno hoc ſuo decore fruebatur Altorfium: Rectorem iterum, Decanum autem Philoſophici ordinis aliquoties viderat, muneribus ſuis omnibus cum laude fungentem. Iam incluta viri virtus alio vocabatur. Mortuus erat in Academia Fridericiana Halenſium GVNDLINGIVS: ter diverſis velut viis petitus eſt KOELERVS, qui illi ſuccederet, anno XXX. & XXXI. hoc eodem anno invitatus ad cathedram hiſtoricam apud Vitebergenſes: anno XXXIV. ad hiſtoricam & iuris publici, quam Helmſtadio ad nos diſcedens TREVERVS reliquerat. Nec ſine dubitatione ac deliberatione factum eſt, ut, agnito tandem Dei huc ipſum vocantis nutu, huc ad nos concederet anno ſequenti XXXV, & auctumno huius anni prælectiones qua publicas qua privatas in omni genere hiſtoriarum inciperet habere, reliquisque Academicis muneribus fideliter, alacriter, fortiter fungi: Prorectoratu quidem per æſtatem anni XLI. ita quieto, ut ipſe in commentario de vita ſua ne unum quidem nocturnæ quietis turbatorem in illo magiſtratu coërcendum fuiſſe, gratus prædicarit. Non defuerunt etiam hic variæ invitationes ad munera, in quibus doctrina tot præclaris monimentis probata opus eſſe videretur, ut anno XLV. HEVCHERO fatis functo ad curam ſupremam theſaurorum omnium, qui eruditionis aliquid habent, Dresdenſium, ſuſcipiendam: & cum proximo anno KVCHENBECKERVS e vita diſceſſiſſet, Caſſellanorum; Brunſuicenſium autem anno XLVII. Sed noluit ille hoc ætatis flexu mutare genus vitæ, in quo

adhuc

adhuc probatus esset, ac delatos sibi honores & commoda modeste deprecatus est. Recepit tamen eodem anno eum, quo condita nuper Societas Incognitorum literariorum Olmucensis inter primos illum sodales sibi adscivit, quod a Berolinensi Regia Societate iam anno XXVI. & a Cæsarea Naturæ Curiosorum Academia anno XXXVII. factum fuerat. Ad societates etiam ac sodalitates alias, ipsamque adeo amicitiam & prudentem familiaritatem, cum a natura factus esset, & a fortuna studiis, & vitæ genere formatus; appetebatur ab his, qui humanitatem amarent, quos multiplex rerum cognitio, quos hilaris convictus, quos libera & aperta confabulatio iuvaret, quo fiebat, ut quocunque ipse adveniret, humanitatem & liberalem hilaritatem adferre videretur. Hæc velut condimenta erant candoris & liberæ cuiusdam fiduciæ, quam ex longa illa historiarum tractatione videbatur collegisse, quæ ipsum docuerat, vim eam veritatis esse, ut diu licet repressa eluctetur tandem, vincat, placeat.

Habebat alia etiam, quæ solent hilarem fiduciam conciliare. Quid enim metuat vir Dei metuens, a conscientia nulla vel sua vel aliena debilitatus, nemini inimicus, civis GEORGII, præterea integræ sanitatis, sanguinis copiosi, dulcis, agilis, plenus, qui iuventutis quendam colorem etiam præstaret seni, & manu etiam, sicubi opus esset, fortem faceret. Hinc illa mentis serenitas, quæ subitis etiam rebus, quid verum esset, quid agendum esset, facile animadverteret; hinc in sententia dicenda libertas, hinc robur, quod vires sumeret a labore, hinc somni mediocritas, hinc etiam ira, subito illa quidem exardescens nonnunquam, & non magna de causa, sed cito eadem, sine ulla ipsius vel aliorum noxa, deflagrans. Fidem, historiæ illam animam & gubernatricem, etiam vitæ & negotiorum omnium, amicitiarum præsertim, sibi comitem ac ducem adsciverat, cuius inter alia hoc documentum habemus, quod certatim ad illum omnibus ex locis mitterentur gemmæ, nummi,

nummi, libri, membranæ, ſigilla, notitiæ arcanæ, pretioſa literarum ſupellex, quam ſcilicet non minus recte apud KOELERVM, quam ſuis in penetralibus aſſervari homines privati, principes, amici principum, putarent. Firmabat ſanciebatque iſtam fidem, ſanctior illa, quam Chriſtiani fidem vocamus, quæ a teneris inde unguiculis cum ipſis literarum elementis hauſta, & diligenter cuſtodita, ſuis tanquam radicibus ſuſtinebat alebatque, & Deo gratas faciebat virtutes, quæ a natura, & inſtitutione atque inductione animi viro contigerant.

Qualem igitur ille ſe collegam, doctorem, rectorem, maritum, patrem, præſtiterit, ex his ipſis facile eſt ad intelligendum. Hic locus eſt ponendi nomina neceſſitudinum. Anno CIↃ IↃ CCXI. coniugium iniit cum *Anna Maria, Iohannis* BRAVNII F. civis Norimbergenſis, & in Senatu ampliore conſcripti: quam cum in primo puerperio anno ſæculi XIV. amiſiſſet, una cum filiola, ad altera vota tranſiit cum *Sophia Chriſtiana, Io. Tobiæ* LEONHARTI F. Conſiliarii, & Feudalis curiæ Wolfſteinenſium Comitum Præpoſiti, atque Sulzburgæ ſuperioris Præfecti, quæ ad reliquas matrimonii ſuavitates felix etiam uteri, XIV. liberorum patrem fecit, de quibus ſuperſunt filii quinque, *Gottlieb Tobias*, mercaturam Roterodami faciens; M. *Io. Tobias*, qui patrem nobis ſuum debet, & iam reddere felicibus auſpiciis incipit: M. *Iacobus David*, qui vicinis noſtris Lengelernæ & Holtenſæ rem ſacram facit, & ex *Chriſtiana Louiſa* HELMCAMPFIA tres nepotes patri oſtendit: *Chriſtianus Fridericus*, & *Carolus Salomo*, qui publice apud Lennepenſes (ea antiqua in Ducatu Montium urbs eſt) Medicinam facit: filiæ autem tres, *Magdalena Eſther*, *Barbara Margareta Catharina*, *Io. Michaeli* MÜLLERO, ædificiorum Cœnobialium & Academicorum Commiſſario & Inſpectori nupta, quæ duos & ipſa nepotes avo dedit: denique *Sophia Lucretia*; mortem tam boni mariti, tam indulgentis patris, tam iucundi ſoceri, tam dulcis avi, inſolabiliter mœrentes: quibus evenire,

quæ pater & in ſcripto paucis ante mortem diebus vitæ ſuæ curriculo, quod in eccleſia iuſſu illius prælegi nuper audivimus, & apud animum ſuum ultimis vitæ momentis precatus eſt, Deus immortalis propitio numine ſuo iubeat.

Quod tandem KOELERI noſtri ultimum morbum, mortisque hunc inſecutæ cauſam attinet, hæc Illuſtris *Georg. Gottlob* RICHTERVS, Academiæ Georgiæ Auguſtæ t. t. Prorector, ſequentibus expoſuit ac funebri Programmati ſubiecit verbis:

„ Quid Virum perenniori vita digniſſimum fato tam præ„ cipiti *q*) merſerit, ne dolor nimis interpellet, paucis expe„ diam. Habita quidem ætatis ratione fatum Viri ſeptuage„ nario maioris præceps videri nequit; at cum vix horula in„ ter valetudinem ſpecie integram & ipſam mortem interceſ„ ſerit, cumque ipſe poſtremus dies inter conſueta, immo „ auctiora, negotia placide & ſine novis incommodis tranſie„ rit, non poteſt non illa res aliquid terroris in animis eorum „ relinquere, qui improviſa hac celeritate non minus quam „ ipſa communis iacturæ magnitudine moventur. Neque ve„ ro pie defunctus in homine mortalitatis ad ſuum exemplum „ memore, & ad æterna tacitis votis adſpirante, alium vitæ „ exitum optabiliorem cenſuit. Velut ſingulari providentiæ „ beneficio ſolidum animi robur, ita ſtabilis & tot rebus ſtre„ nue gerendis par valetudo ipſi contigerat. Toto illo tem„ pore, quod in hac muſarum ſede ſub ſinceræ amicitiæ, quam „ inter inſigniora vitæ meæ decora & ſolatia refero, arctiori „ indies vinculo ſuaviter exegimus, raro illi opus fuit, col-

luctari

q) Nuper admodum amico de ſubita patris ſui morte referenti ita ſcripſit KOELERVS, *ſe in magnis Dei beneficiis ponere talem* εὐθανασίαν, *et ſperare, eam ſibi quoque tributum iri.* SVETON. *Aug. 99. Fere quoties audiſſet, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, ſibi et ſuis* εὐθανασίαν *ſimilem* (*hoc enim* ἐυ *verbo uti ſolebat*) *precabatur.*

„ luctari cum valetudine ſua, vel cum ea redire in gratiam.
„ Anno tamen ſeculi quadrageſimo ex itinere, quod primo
„ vere ſuſceperat, redeuntem acuta & fere funeſta cardialgia
„ adflixit, ex cuius tamen præſenti periculo eluctari ipſum di-
„ vina gratia, adiectis quindecim vitæ annis, voluit, meisque
„ tunc conſiliis & tot aliorum pro ſalute eius votis clementer
„ annuit. Poſt id temporis creſcente annorum onere de ca-
„ tarrhis, aſthmate & tuſſi, illis fere indivulſis ſenum ſatelli-
„ tibus, conqueſtus ſubinde eſt: vitæ autem ſobrietate & ſe-
„ renæ mentis quiete ſenſit moleſtiarum illarum, tamquam
„ ultro fugientis nubeculæ, facilem ſatis tranſitum eſſe. Ille
„ tamen eſt horum malorum in ſenili corpore ſenſim invaleſ-
„ centium genius, ut ſeroſa colluvies ſub quiete hiemis ma-
„ gis collecta, pleniori ad primi veris teporem rivo, verſus
„ pectus redundans, triſtem clanculum catarrhi ſuffocativi
„ ſcenam inſtruat. Huc faciunt tuſſes tempeſtive primum
„ obortæ, mox mala fide, quaſi poſt exhauſtam ſaburram,
„ remittentes, quæ auctis paullo poſt viribus, noctu imprimis
„ ſub calore lecti & decliviori corporis ſitu, humorum huc
„ ruentium novo & graviori impetu vias aëreas opplent &
„ animam elidunt. Illa omnino eximii viri erat conditio.
„ Solebat poſtremis diebus ſub moderato etiam ſed protra-
„ ctiori motu, maxime ſub adſcenſu, anguſtias ſtatim pecto-
„ ris ſentire, et ſæpe medio in progreſſu interquieſcere. La-
„ borabat tuſſi, ſed ab illa, quaſi iam deſæviiſſet, nihil ſiniſtri
„ metuebat, non ſatis memor, violentiores ex induciis eſſe
„ inſidias. Neque vero inter hæc fulciendi corporis curam
„ neglexit: ea vero, quæ in præſidium ſuaſeram, moram fer-
„ re cenſuit, donec ſemeſtrium laborum propediem finien-
„ dorum terminus plus otii indulgeret. Biduo ante obitum
„ vidi ipſum in ædibus meis pro more comem, affabilem &
„ ex penu illo multiplicis eruditionis, quæ tam delectarent,
„ quam inſtruerent, plurima promentem, inter hæc etiam

„ hauſtas ex libris ſacri argumenti, crebro & avide ſub inter-
„ vallo laborum lectis, conſolationes religioſe enarrantem.
„ Paucis, antequam rebus humanis ereptus eſt, horis ad me
„ remiſit, quæ ex Senatus academici arctioris decreto eius
„ examini tradideram, in quo omnis adhuc ingenii attentio
„ & ſolertia eluxit. Coenatus veſperi & cum ſuis blande
„ collocutus decima, tanquam ſtata capiendæ quietis hora,
„ in lectulum ſe recepit, aliquid adhuc operæ legendo libello
„ etiam tunc impendens. Quo iam ſepoſito & exſtincta can-
„ dela, dum commodiorem ſitum ſub aliqua corporis agita-
„ tione quærit, aſperrima illa & ſuffocante tuſſi correptus exi-
„ lit e lecto, & in vicino muſeo auram captat magis magisque
„ interceptam inter mucoſas & ſubcruentas oppreſſi pectoris
„ deiectiones. Ita ſubito elangueſcens recubuit in ſellam, &
„ vena licet protinus ſecta paratisque veſicantibus, nec me
„ accurrentem agnovit amplius, nec ego meantis adhuc ani-
„ mæ vel pulſantis venæ veſtigium in ultimo illo virium de-
„ liquio deprehendi. Tam celeriter die decimo Martii, ho-
„ ra, quæ ad noctem vergit, undecima, orbis eruditus virum
„ conſummatæ doctrinæ, Academia noſtra præcipuum decus
„ ſuum, familia amantiſſimum parentem & maritum, omnes,
„ quibus virtus in pretio eſt, exemplum pietatis & candoris,
„ amiſerunt, ego amicum, cuius memoria, etiam ſub re-
„ crudeſcente luctu, grata ſemper mihi erit,
„ ſancta & inviolabilis.„

MEMO-

MEMORIA

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ATQVE DOCTISSIMI

D O M I N I

FRIDER. CHRISTIANI LESSERI

MINISTERII EVANGELICI NORDHVSANI SENIORIS, AEDIS DIV. IACOBI ET MARTINI IBIDEM PASTORIS, ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE BEROLINENS. SCIENTIAR. SODALIS, ITEMQVE SOCIETATVM TEVTONICAR. GOETTINGENS. ET BREMENSIS MEMBRI HONORARII,

D. XVII. SEPTEMBR. ANN. MDCCLIV.

PLACIDA MORTE EXTINCTI,

CONSCRIPTA

A

LVDOV. CHRISTIANO PEZOLT,
ISLEBIENSI,
MEDICIN. DOCTORE ET PRACTICO NORDHVSANO,
ACADEM. CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. COLLEGA, ET SOCIET. REG. TEVTON. GOETTINGENS. ITEMQVE DVCAL. IENENS. MEMB. HONORAR.

Non a vero prorſus abludit, illos fere omnes, qui vitas clarorum virorum deſcribunt, dum aliorum memoriæ hoc inſtituto conſulere videntur, eo ſimul reſpicere, ut ſuum quoque nomen æternitati una commendent. Ecquis vero etiam laudabile iſtud hominum iure reprehendat immortalitatis ſtudium? trahimur omnes, quotquot vivimus, æternum vivendi deſiderio. Sed non ſufficit, velle; nec ſufficit, conari: immortalitatis beneficium meritorum præmium eſt. Non ſatis eſt, ſcribere, ſed quomodo ſcribatur; lectores, qui quidem a partium ſtudio alieni ſunt, libere iudicant, poſteri calculum addunt, ſcriptorem vel æterno ſilentio cenſentes dignum, vel congratulatione. Ego vero, quum idem adgredior, lectores, vitam, dum vixit, clariſſimi, quum fatis defunctus eſt, immortalis viri, LESSERI, enarraturus, tantum abeſt, ut, hoc qualicunque pietatis officio, vel ipſius gloriæ, vel meæ aliquando ſatisfacere videar, ut utrumque potius plane deſperem. Merita olim, beati noſtri LESSERI, quorum quippe memoriam ipſe, dum fuit, ſartam tectamque fecit; & felicitatis æternæ præmia, quibus iam fruitur, tanta ſunt, ut commendatione doctiſſimorum hominum, nedum mea, numquam indigeant. Mihi vero qui tantum ſumam, ut levi hoc ingenii monumento vel aliquam gloriæ ſpem concipere audeam? Dicam, quod res eſt. Manibus immortalis viri, qui & beneficiis innumerabilibus, & amicitia ac conſuetudine, dum vixit, maxime ſibi me devinxit, hoc, qualecunque eſt, pietatis & grati animi officium debeo. Exſolvam igitur, quod poſſum, parum curans, qualem nominis famam hac ſcriptione vel illi, qui ampliore non indiget, vel quidem mihi, cuius ingenium tanti non eſt, conciliem. Vnicum vero hoc ſaltem præmonendum adhuc duco, me non præconis partes, ſed teſtis veritatis in enarranda clariſſimi viri vita ubique ſecuturum eſſe.

esse. Quam quidem gloriam si mihi dederint lectores, defunctum me prorsus feliciter eo, quod ipse mihi iniunxi, officio, existimavero.

Est igitur *Fridericus Christianus* LESSER, ad cuius vitam, & meritorum multitudine, & nominis celebritate ampliſſimam, nunc enarrandam me accingo, reverendi Eccleſiæ repurgatæ Miniſterii, quod in libera illa, eademque incluta imperiali civitate, Nordhuſa ſacris vacat, Senior, dum vixit, meritiſſimus, templorum divi Iacobi & Martini Paſtor vigilantiſſimus; præterea Cæſareæ Naturæ Curioſorum, itemque Pruſſicæ Academiæ Scientiarum Sodalis digniſſimus, ac tandem Societatum Teutonicarum, & quæ regia apud Gœttingenſes eſt, & quæ Bremæ floret, honorarius Socius. Nordhuſæ debet vir celeberrimus natales ſuos; lucem quippe hic loci adſpexit duodecimo die menſis Maii, anno clɔ Iɔ cxcii. Hoc quidem divinæ bonitatis & gratiæ beneficium ſemper prædicavit noſter, quod parentibus, ſi non gentis ſplendore nobiliſſimis, vitæ tamen integritate claris, prognatus ſit. Patre uſus eſt, *Philippo Iacobo* LESSERO, qui Diaconi officio, ad primariam ædem, quæ Nicolao ſancto nomen debet, apud Nordhuſanos per quadraginta annos functus, & Miniſterii ſacri ampliſſimus ſenior, ac orphanotrophei adminiſtrator audiit integerrimus. Matrem vero coluit *Aemiliam Sophiam* e gente *Rothmahleria*, feminam ſane ornatiſſimam. Avus paternus fuit *Ioannes* LESSER, civis Nordhuſanus, & ſartorum ibidem ſocietatis, quæ Senatoriæ dignitatis eſt particeps, membrum honeſtiſſimum. Tori eiuſdem ſocia, *Maria* ROCKENFVSSIA, Mühlhuſam natale ſolum habuit. Ad gentem maternam ſi velis adtendere, virum, & eruditione & religionis fide clariſſimum, *Io. Eliam* ROTHMAHLER, Rudolphopoli olim, & in aula & in civitate concionatorem fideliſſimum, atque poſtea Gothano-Walthershuſanum inſpectorem ſuperiorem, avum coluit. Avia materna fuit *Clara Maria*, nata MAIORIA.

Maio-

Maiores reliquos beati noſtri LESSERI, non eſt, quod ulterius repetam. Hoc ſaltem monuiſſe ſufficiat, totam gentem *Leſſeriam*, meritis noſtri ac virtutibus mirum quantum nobilitatam inluſtratamque fuiſſe. Quod ut fieri poſſet, bona omnino ac fideli diſciplina atque educatione, a puero ſtatim opus erat. Hoc quidem illud beneficium eſt, quod parentibus debemus, quo nullum vel maius excogitari, vel ſatis digne laudari poteſt. In eo quippe omnis noſtra felicitas, veraque ſalus, poſita eſt. Hæc igitur prima quoque optimi patris cura fuit, ut, poſtquam ſacro tinctus lavacro, gratiæ fœdus cum Deo infans inierat noſter, a teneris paullo poſt talibus ſcientiarum elementis imbueretur, quibus puerilis ætas impertiri poteſt ac debet. Nec quidem ſolus huic negotio pater, quam potuit, omnem adhibuit diligentiam, ſed aliorum quoque, quos fideles cognoverat, atque idoneos magiſtros, ſtudio uſus eſt. Certe, ſi qui ſunt homines, qui de re publica optime merentur, illi, ſi quid iudico, reliquis anteferendi ſunt, qui in erudiendis formandisque pueris ſuam commodant operam. Age, & eorum nomina poſteris commendemus, quorum fidem æque atque dexteritatem LESSERVS noſter, in doctrina pariter ac diſciplina, pleno ore, quoties actæ pueritiæ & iuventutis recordatio ſubibat mentem, collaudavit. Domi quidem, cum patre, prima litterarum ſemina iecit *Ioann. Conrad. Gerhard.* GROSHEIM, Eccleſiæ Norenſis poſtea Paſtor bene meritus. Nec ſilentio prætereunda eſt opera, quam dedit feliciter eidem rei vir candidus & amicus beati viri, HETSCHELIVS, ædituus ad ædem d. Blaſii. Quum vero puerilis ætas LESSERI primis litterarum elementis domi ſatis imbuta eſſe videretur: ad publicos, qui in Gymnaſio docebant, præceptores miſſus eſt. Garriant, quodcumque velint, & ſibi placeant publicarum ſcholarum contemtores; qui pretium rebus ſtatuere ſuum didicerunt, cordati viri, publicas ſcholas privatis inſtitutionibus longe ante-

ferendas esse non immerito censent. Et ita nostro quoque Lessero semper visum est. Quam ob rem Laxneri, Detschelii, Henrici, Demelii, Weberi, Meieri, cara ipsi & sancta, dum vixit, nomina semper fuerunt; &, quam potuit, illis maximam, per totam vitam, habuit gratiam. Eam vero noster optimi sui parentis curam, summa cum pietate, gratique animi testificatione iterum iterumque prædicavit, quod in ædibus Meieri, Rectoris meritissimi, commorari, ac singulari cura & benevolentia eius uti potuerit. Præterea & lucro adposuit & voluptati musicam, quam puer didicerat, & artem graphicam, quam dicunt. Factum enim vel centies fuisse, adfirmavit, ut, utriusque artis ingenuæ beneficio, otium in adolescentia nobilitaret, & victum quæreret honestum. Litteras, quas dicunt, humaniores, ab ineunte ætate adeo amavit, & fideliter didicit, ut, Poëtices inprimis deliciis captus, latinos Poëtas iam tum quoscumque sibi compararet: quem vero litterarium thesaurum idem illud incendium, quod patriam pæne delevit, abstulit.

Quum igitur elegantioribus litteris in scholis satis, & ita quidem, ut laudem mereretur, imbutus eruditusque esset, abitum parabat in Academiam. Halam vero se primum contulit noster, Aprili mense, anno cIↃ IↃ CCXII. ea quidem mente, ut medendi arti totum se traderet. Rationem omnino & naturæ & fortunæ, sed naturæ magis habendam esse, in deligendo vitæ genere, recte censet Tvllivs: & noster, eo felicius utrique se facturum satis, persuasus erat, quando salutarem artem deligeret, quo magis ad naturales scientias ultro ferebatur. Sed aliter sæpe Deo visum est, ac nobis. Sunt homines, sunt aliæ res, quibus a consilio divinitus quasi avocamur, quod cepimus. Ita b. Franckivs, Halensis Professor optimæ memoriæ, auctor nostro suasorque exstitit, ut diviniori scientiæ, quam Theologiam vocant, se daret. Nec sprevit Lesservs optimi consilium viri, sacratiorem mox disciplinam

tanto

tanto studio amplexus, ut nihil prius, nihil posterius haberet. Quum tamen videret, sobriam Philosophiam, & inprimis Physicam, Theologiæ fideliter omnino famulari, utrique idcirco strenue vacavit. A beato igitur D. *Iusto Ioachimo* BREITHAVPT rerum divinarum hausit scientiam. D. *Paulus* ANTONIVS præcepta ipsi dedit interpretandæ scripturæ sacræ. *Augustus Hermannus* FRANCKIVS, a cuius latere noster non facile discessit, nec non D. *Ioann. Ioachim* LANGE, viam uterque monstrarunt, bene & recte, ut christianum quidem hominem decet, vivendi. Præterea Hebraicæ linguæ LESSERVS admodum studiosus fuit, quam ipsum fideliter *Christ. Benedict.* MICHAELIS docuit; in Philosophia vero ducem celeberrimum HEINECCIVM sequutus est.

Hæc ratio fuit studiorum eius academicorum, quum Halæ esset, & nihil magis tunc in votis habuit, quam ut campum, quem sibi ipse descripserat, feliciter emetiretur. Sed, ut sunt res hominum, in medio pæne cursu, vel, si mavis, in principio, subsistere cogebatur, tristi quodam fato in patriam eodem anno revocatus. Incendium, quod magnam urbis patriæ partem deleverat, in opes etiam b. LESSERI crudeliter grassatum erat. Quo facto, animum pæne abiecerat noster, quia post tantam calamitatem vix superesse videbat, unde viveret. Verum is qui temperat res hominum, præsto adflictis eo magis est, quo minus de eo cogitant. Et nostro ergo adfuit supremum Numen, quum de sustentandæ vitæ mediis sollicitus esset. TRILLERVS, at quantus vir! de ecclesia, de academiis & scholis, de gente sua immortaliter meritus, Lipsiæ inprimis duodecim studiosos optimarum artium, qui vel consanguinitate, vel adfinitate sibi iuncti essent, mensæ liberalioris beneficio, suis ipsius sumtibus ali, per testamentum iussit ac voluit. Spe itaque fretus, quod conatus esset, fore, ut beneficii istius Trilleriani particeps fieret, accessit tandem noster eodem anno Lipsiam, mense Septembri, & brevi post in

locum vacuum succeſſit menſæ. Nec hoc ſolum fuit beneficium, quo uſus Lipſiæ eſt. Stipendium Koenigſeenſe, quod dicitur, ſeu Scheffelianum, cuius copiam ipſi materna ſtirps fecerat, liberaliter eum inſuper in hac alma matre aluit. Igitur nunc eo alacriori gradu in optimis litterarum ſtudiis LESSERVS hic progreſſus eſt, quo maiori munitus fuerat beneficiorum præſidio. Duces vero in hac militia & magiſtros ſtrenue ſequutus eſt, *Gottfried* OLEARIVM, & *Io. Gottlob* PFEIFFERVM, doctores theologos ſat celebres, qui univerſam, qua patet, Theologiam dogmaticam alternis vicibus eum docuerunt. Præcepta porro interpretandæ ſcripturæ ſacræ dedit ei CARPZOVIVS, vir magni nominis. Et morum doctrina, qui quidem hominem Chriſtianum fingunt, BERNDIVS præiuit. Ad hæc controverſias, quæ eccleſiæ noſtræ cum aliis & nunc & olim intercedunt, D. GÜNTHERVS; Hebraicam linguam M. DEVTSCHEN; philoſophiam MÜLLERVS; phyſicam inprimis RÜDIGERVS; & artem denique verba e ſuggeſtu faciendi, PFEIFFERVS eum docuerunt. Sic noſter biennium fere Lipſiæ, nec ſine fructu, trivit. Anno vero CIↃ IↃ CCXIV. repetiit Halam, ea quidem mente, ut telam ibi feliciter pertexeret, quam cœperat. Sed, quæ ſunt res hominum! variis ſæpe caſibus in medio tentamur curſu, &, quod bonum nobis videtur, Deo viſum non eſt. Morbi ſunt inprimis, quibuscum ſæpe nobis conflictandum: & febris noſtrum hic loci tantopere corripuit, ut fruſtra omnis medicina adhiberetur. Tandem ſuadentibus Medicis, ut locum aëremque mutaret, hinc abiit, & Berolini tum opem, tum præſidium quæſivit. Conſilium feliciter ſucceſſit; in ipſo itinere ceſſit morbus, & Berolini, quum viribus pæne exhauſtus adventaret, patruum invenit *Io. Frid.* LESSERVM, ærarii redituum regiorum publici ſecretarium, alterum patrem. Hic igitur noſter, quum bona uteretur valetudine, nec quidquam ei deeſſet, quod ad amplificanda eius ſtudia facere aliquo modo videretur, librorum

inpri-

inprimis, quorum ingens ibi copia datur, præclaris opibus ac consuetudine eruditissimorum hominum in rem suam feliciter usus est.

Verum nec hic satis diu commoratus domum tandem, carissimi patris iussu, rediit. Ille enim, quum sæpius pedibus laboraret, e re sua & filii fore iudicaverat, si adesset. Aderat, & pie morem gerens optimi voluntati patris, tanta mox litterarum & facundiæ edebat documenta, ut spem suorum pariter atque omnium civium, quam de eo conceperant, superaret. Nec deerat aliorum studiis: quumque vir generosus, & fortis & bello strenuus, militiæ tribunus *de* GROSSEN, eum magistrum poscceret & pædagogum nobilis suæ iuventutis: adnuit his iustis precibus, & Kinderodæ aliquamdiu & Grossenverderæ honesta illa sorte perfunctus est. Quamvis vero nunc in eo totus esset, ut nobiles pueros optime formaret, & ingenuis artibus æque ac honestis moribus imbueret: tamen caro patri subinde ægrotanti, & aliis verbi divini ministris, ipsorum loco verba e suggestu faciendo, præsto adfuit.

Quum igitur omnis demum opera b. nostri LESSERI ecclesiæ inprimis addicenda esset, nunc patria poscebat eam merito; & quum munus sacrum anno cIↃ IↃ ccxvi. Nordhusæ vacaret, pastor ecclesiæ b. Mariæ Virginis in monte, annum ætatis vicesimum quartum nondum supergressus, pluribus suffragiis nominatus est. Ad quod munus etiam paullo post, exploratione more maiorum facta, a magnifico Senatu rite vocatus, tertia, quæ dicitur, Dominica Adventus, docendi publice in ecclesia initium fecit. Felix igitur in eo erat beatus vir, quod in urbe patria nunc non solum carissimi patris Collega, verum etiam, si Cleri Nordhusani ordinem spectes, prior ipso audiret. Huic vero dignitati ut satis faceret, suumque expleret munus, nullis pepercit laboribus, nullis vigiliis. Vsu sæpius evenit ei, ut vel quinquies vel etiam sexies, quod mireris, una septimana, verba facere e suggestu haberet necesse. Accessit, quod anno cIↃ IↃ ccxxiv. curam & admini-

ſtrationem Orphanotrophei, nec laborum pertæſus, neque moleſtiarum faſtidioſus, in ſe ſuſciperet. Quo quidem novo munere demum anno clɔ Iɔ cclii. ſeſe abdicavit. Hæc vero qui penſitaverit, vix crediderit, aliis quoque liberalioribus ſtudiis Lesservm noſtrum, tantopere occupatum, intendere animum potuiſſe. Intendit certe, quandocunque vacavit, mentem vel hiſtoricis, vel phyſicis, vel theologicis rebus; nec intendit ſolum, ſed litteris etiam optima quævis ingenii ſpecimina conſignavit, & typis exſcribi curavit: quæ quidem nemo nunc ignorat, nec olim ignorabit quispiam niſi litterariæ hiſtoriæ plane rudis. Quum vero naturalium rerum inprimis curioſus eſſet, multumque ſtudii in indagatione naturæ poneret, ideo Illuſtris Academia Cæſarea naturæ curioſorum dignum eum iudicavit, quem anno clɔ Iɔ ccxxxv. ſodalibus ſuis rite adſcriberet. Anno clɔ Iɔ ccxxxix. poſt obitum b. Zimmermanni, ad munus ſacrum, in Noſocomio d. Martini, menſe Maio a magnifico Senatu iterum vocatus eſt. Tandem vero biennio poſt, quum b. Gohrivs ex Iacobæa parochia in Blaſianam translatus eſſet, parochiani eccleſiæ d. Iacobi ad unum omnes hoc agebant, ut Lesservm, iam bene ſatis meritum, paſtorem nunc ſuum omnium ſuffragiis eligerent. Ad quod ampliſſimum munus, ut divinæ pareret voluntati, tertium ab illuſtri Senatu Nordhuſano legitime vocatus, provincia illa, quam in monte b. Virginis bene hactenus adminiſtraverat, Dominica XI. poſt feſtum Trinitatis, oratione ſolemni, quam valedictoriam dicunt, habita, exibat, & octiduo poſt novam illam, quantumvis duram, ad d. Iacobi, rite & feliciter capiebat. Cui quidem provinciæ, ita ut rem ſacram etiam ad d. Martini curaret, vir beatus ſumma cum laude præfuit, donec ad triumphantem, a Servatore ſuo clementiſſime vocatus, abiret eccleſiam. Non deerat quidem poſtea, dum hic vixit, occaſio munerum ampliſſimorum alibi capeſſendorum: ſed illud ei nunc ſtabat, & vivere & mori, ſi Deus vellet, in patria.

Vigi-

Vigiliarum noſter & laborum numquam pertæſus fuit: quæcumque demum ſe occaſio offerret, reipublicæ bene conſulendi & eccleſiaſticæ, eam numquam dimiſit. Aedes, quæ divo Iacobo nomen debet, ruinam minabatur. Miſerum certe noſtra ætate fatum, tale quid ſi imminet, ubi non opes ſuppetunt, nec reditus! Hæc cura noſtrum quoque tum temporis tantopere coxit & verſavit ſub pectore fixa, ut tandem conſilium novæ exſtruendæ ædis caperet. Sed egebat æris: non erat unde ſumeret. Tantæ molis hæc res erat, ut alius quisque, non LESSERVS, animum abiiceret. Hic quippe ſolus nunc, tanto negotio intentus, in Deo & bonorum hominum, ubicumque demum terrarum degant, præſidio ſpem ponebat omnem. Litterarum ſcilicet commercio, quo uſus vir beatus, dum vixit, ad ſtuporem usque innotuit; non per totam tantum Germaniam, verum apud diſſitas etiam gentes factum eſt, ut tantum colligeret, quantum ſatis eſſet. Atque eo tandem res feliciter ceſſit, ut vetuſta illa & labefactata æde plane deſtructa, nova ex fundamento, eademque ſatis ampla, ornata atque ſplendida reſtituta eſſet, & ad cultum ſummi Numinis publicum duodecimo die menſis Octobris, an. cIↃ IↃCCXLVIII. ſolemni ritu inauguraretur. Hoc certe noſter beneficio gratiam apud omnes inivit bonos inſignem, & civitatis ſuæ inprimis ſempiternam meruit memoriam.

Quum igitur LESSERVS partes ſuas undique expleret, & ſi quando vacaret, in nulla re alia, poſt Deum, niſi in bonis litteris adquieſceret: fieri non potuit, quin ubique in amoribus eſſet, & inter eruditos inprimis & illuſtres viros famam conſequeretur. Anno igitur cIↃ IↃ CCXLIII. regia Scientiarum Academia, quæ Berolini floret, dignum iudicavit noſtrum, quem ſodalem ſuum nominaret. Quinquennio poſt, anno nimirum cIↃ IↃ CCXLVIII. regia itidem Societas, quæ in honorem Germanicæ linguæ apud Gœttingenſes inita eſt, beatum virum cooptavit; quid? quod eodem anno Sereniſſimus quidam *Princeps*

ceps ordine suo, quem condidit *Concordiæ*, LESSERVM cohonestavit. Tandem, quod novissimum eruditorum præmium fuit, Bremenses, qui laudabili studio Germanicæ linguæ amplificandæ dant operam, sodalem suum, ut dicunt, honorarium publice nostrum declararunt.

Verum nunc etiam audiamus, quænam rei familiaris fuerit ratio, quam quidem ut iniret LESSERVS, opus esse merito iudicavit. Vidimus eruditum virum & theologum: videamus etiam *patrem familias*. Enimvero quum se totum vir beatus bonis litteris daret, & rebus sacris, quas muneris ratio postulabat, unice vacaret, sociam ut legeret, quæ rebus domesticis consuleret, e re sua iudicavit. Bis vota iniit. Anno scilicet CIↃ IↃ CCXVII, mense Decembri, virginem ornatissimam, *Iohannam Mariam* WOLFRAMIAM, filiam *Adami* WOLFRAMI, mercatoris Nordhusani, viri honestissimi. Ex qua quidem optima coniuge quatuor succesive suscepit liberos, casti ac mutui amoris testes. Primogenitus filius, vir summe reverendus, *Ioann. Philipp. Frider.* LESSERVS, Pastor ad d. Blasii in patria civitate meritissimus, Consistorii ibidem Adsessor, Gymnasii Inspector, Orphanotrophei Administrator, & Societatis regiæ Göttingensis Germanicæ membrum honorarium, in deliciis præcipue fuit viventi patri. Is certe natus videbatur, ut vestigiis celeberrimi patris insisteret, eiusque gloriam non propagaret tantum, verum etiam amplificaret. Secunda proles sequioris sexus fuit, quæ brevi post partum ex hac vita iterum decessit. Hanc excepit filius, *Ioann. Gottlieb. Fridericus*, qui quum optimam parentibus spem feciset, undecim annis post, composita mente ad immortalitatem contendit. Quarto denique, ut provida summi Numinis cura filio superstiti filiam iungeret superstitem, LESSERVS pater e *Maria* sua suscepit *Aemiliam Sophiam Elisabetham*; quam quidem, quum adhuc viveret, nuptui collocavit viro plurimum reverendo, *Christophoro Ludovico* SCHMALING, verbi divini & ecclesiae

mini-

miniſtrō, quæ apud Wilfingerodenſes & Aſcherodenſes colligitur. In eo igitur felix fuit LESSERVS noſter, quod non ſolum binos ſuos ſuperſtites liberos ſuis ipſorum coniugibus ſollemni ritu ipſe iungeret, verum etiam unicum filium primogenitum in Collegis numeraret. Vidit etiam beatus vir, & oſculatus eſt, quum viveret, *e filio nepotes ſex*, tres e filia; hoc uno addito dolore, quod unus e filio nepos & duæ neptes; unus item nepos e filia, præmaturam mortem obirent. Ratum præterea habuit, quod vulgo dicitur: *Amor deſcendit, non adſcendit.* Quemadmodum enim liberos ſuos ac nepotes unice dilexit, & omnem ſuam in eo fixit operam ac curam, ut in ſpem patriæ creſcerent: ita in nepotibus inprimis acquievit, ut unice ſaltem illos *delicias ſuas* vocaret. Verum, quod dolendum, cariſſima LESSERI coniux, quæ tam bonæ ſtirpis alma mater fuerat, per duodecim tantum annos his rebus interfuit. Obiit nimirum honeſtiſſima femina diem ſuum anno cIↃ IↃ CCXXIX. menſe Iunio.

Hocce caſu noſter tantopere turbatus & oppreſſus pæne fuit, ut vel diſciplinæ liberorum, vel rei familiari ſolus vix ſufficeret. Hinc ut ſecunda iniret vota, ab ipſo Deo ſe compulſum arbitratus eſt. Sed nihil prius, quod optaret, nihil poſterius habuit, quam ut feliciter cederet ſecundum hoc, quod meditabatur, matrimonium. Secunda quippe vota, aiunt, raro ſecunda. Adnuit divinum numen iuſtis precibus, atque e gente *Riemannia*, *Chriſtianam Eliſabetham* virginem filiam illuſtris olim Iurisconſulti Nordhuſani, ac conſiliarii regii Pruſſici, *Iohannis Güntheri* RIEMANNI, viduo proſpexit, ut domum duceret. Nuptias cum ea celebravit longe feliciſſimas, decimo ſexto die Octobris, anno cIↃ IↃ CCXXXI. Quod matrimonium, quamvis auſpicatiſſimum eſſet, non tamen adeo fœcundum fuit, ut non niſi unicam filiam, *Mariam Sophiam Chriſtianam*, ex amantiſſima hac coniuge ſuſciperet.

Ad *singularia* porro beati noſtri LESSERI penitius cognoſcenda, quæ quidem animi ac corporis characterem faciunt, nos adcingamus. Quum vero litteris operam, quam poſſet, maximam daret, hæc fuit ſtudiorum, quam tenuit, pæne propria eius ratio. Quodcumque legit, quodcumque meditatus umquam eſt, id omne quidem non in ſpem, quod dicitur, futuræ oblivionis legit aut meditatus eſt: ſed in ſuum ita feliciter convertit uſum, ut ſapientior quotidie & melior fieret. Quod inter legendum dignum memoria ipſi videbatur, illud ſingulis in ſchedulis ſcripſit: &, ne qua periret, ſecundum ordinem litterarum tam belle eas compoſuit, ut quæque ſcientiarum ſuam haberet ſchedularum collectionem. Sedulo præterea ſemper cavit, ne quid interiret. Quodſi igitur in manibus puerorum, aut imprudentum hominum, videret nunc libros, hinc & inde ſciſſos & laceratos; nunc epiſtolas eruditorum hominum; nunc ſigna aere aut ligno deſcripta; nunc aliud quoddam, quod uſui eſſe poſſet: nihil magis curavit, quam ab interitu ſuo ut vindicaret. Quum vegeto ſatis corpore eſſet, illis vel maxime annis, ſolitariam ubi vitam agens, in litteris plane adquieſceret, vix modum tenuit ſtudiorum, ut ne valetudini quidem parceret. Quæ quidem vivendi ratio in cauſſa fuit, ut multum facere & multa poſſet, ut ampliſſimo inprimis, quo ad moleſtiam usque uſus eſt, litterarum commercio ſufficeret. Sed & fontem inde & originem morborum variorum derivavit. *Lienis* certe malum, quo laborabat, quodque *hæreditarium* pæne gentis Leſſeriæ videbatur, hac ſua ſtudiorum immoderata cupiditate vehementer auxit. Quod cum ſentiret, remiſit quidem nonnihil a vetere iſta ſua conſuetudine, ac noctu inprimis ſibi temperavit: hunc tamen tenuit morem, hanc ſibi dixit ipſe legem, ut æſtate hora matutina quarta, hieme vero, ut quinta ſurgeret. Quæ quum ita eſſent, Medicorum æque filii atque amici, ad unum omnes, illud tandem vel maxime contendebant, ut dictum ſibi *lienicus* noſter velit, quod

apud

apud PLAVTVM legitur: *Ambula, id quidem lieni optimum est.* Nec erat, qui amicis facile quodvis dabat, vir bonus monitoribus asper: ambulabat, peregre abibat, variosque alios corporis motus quærebat, ut valetudini consuleret, ea tamen plerumque mente, ut & otium istud in rem suam converteret. Ita vero nunc in naturæ adyta penetrabat, nunc historiarum monumenta perscrutabatur. Contigit LESSERO, quod paucissimis ipsius sortis, tam felici esse, ut ingentem rerum naturalium copiam cuiusvis regni, & cochlearum inprimis conchyliorumque admirabilem numerum colligeret, ac singula quæque suum, qui decebat, in ordinem disponeret. Dignus sane hic rerum naturalium thesaurus est, qui iusto pretio ab locuplete & erudito quodam coëmatur viro. Ad librariam vero quod attinet supellectilem, quam comparavit vir diligentissimus, ea quidem non adeo numerosa fuit & ampla, ut modum excederet, ipsius tamen usibus vel maxime inservire potuit; & invenies forte ibidem unum aut item alterum librum, qui non ubivis obvius fuerit. Dispositi erant in Bibliotheca omnes libri, secundum ordinem, quem quidem singulorum res & argumentum merito poscebant. Maximi in his LESSERVS libellos singularis argumenti semper fecit, quos vulgo *Disputationum* nomine insigniunt. Eam vero hanc servavit rationem ut quæ unius eiusdemque auctoris fuerant, uno compingendas volumine curaret; ceteras vero singulas vel tenui membrana, vel crassiori charta indueret, secundumque litterarum ordinem, quæ primæ nominum auctorum erant, collocaret. Si quis forte *laudationes funebres* in bibliotheca beati viri viderit quam plurimas, ne perperam forte iudicet, is scito, hæc epicedia ab ipso eo fine prudenter esse collecta, ut vitæ curricula & genealogias celeberrimorum virorum in promptu haberet. Quæ quidem diligentia multorum Principum gratiam, illustrium virorum benevolentiam, & amicitiam doctissimorum hominum LESSERO, dum vixit olim, conciliauit. Hinc etiam

factum, ut litterarum commercio cum multis eruditis viris fere quotidie frueretur. Fidem pæne ſuperare multis videbitur, ſi dixerimus, ultra trecentos & ſeptuaginta fuiſſe viros celebres & eruditos, quibuscum olim litterarum commercium beatus vir inierat. Corporis Lesseri formam ſi perſpicere nunc animus eſt, ſtatura quidem mediocris fuit, ut nec macies in corpore ſederet, nec nimia craſſities pulchritudinem prorſus pelleret. Facies præterea rotunda, cæſii vegetique oculi, quos ingenii felicioris notas non immerito putant, & vivus denique gratusque color, facile cuivis, cui coram intueri contigit, beatum virum commendabant. Imago ante Teſtaceo-theologiam eius, quam oculis uſurpare licet, ad vivum pæne expreſſa eſſe videtur; ſecus atque illa, quæ Italicæ verſioni Inſecto-theologiæ eius præfixa cernitur, cum hac inſcriptione: *Il Signor* Lesser. Erat præterea in beato viro multa ſuavitas, multa humanitas, multusque lepos ac hilaritas. Si cui operam ſuam commodandi occaſionem nanciſcebatur, incredibile ſemper monſtravit iuvandi placendique ſtudium. Ordinis exquiſitioris, quem amabat, ac diligentiæ per totam vitam adeo tenax & ſtudioſus, ut non facile ab inſtituto recederet. Eo inprimis intendit animum, ut muneris partes, quoad poſſet, expleret. Vicaria certe opera facile uſus non eſt, niſi ubi neceſſitas urgeret. Denique, quod primo loco fuiſſet dicendum, ab omnibus iurgiis, ſimultatibus ac litibus, pacis amantiſſimus, vehementer abſtinuit, ita tamen, ut veritatem, ſi fas eſſet, interritus tueretur.

Quamvis igitur omnis generis rixas ac concertationes maximopere abhorreret vir humaniſſimus; minime tamen prorſus immunis eſſe potuit controverſiarum, quas eruditi ſubinde movere ſolent: nova enim illa *cantilenarum eccleſiaſticarum collectio*, quæ Nordhuſæ anno cIↃ IↃ ccxxxv. in lucem prodibat, multum peperit beato viro moleſtiæ, multas conciliavit inimicitias. Prætermiſſæ nempe erant vetuſtæ aliquot quo-

quorumdam auctorum antiquiorum cantilenæ. Hoc crimini dabatur collectoribus, quasi iniuriam feciſſent evangelicæ veritati, eiusdemque puriori doctrinæ. Poſtulabantur auctores nunc imprudentiæ, nunc aſtutiæ, nunc ἑτεροδοξίας. Sed nec iſti defuerunt ſibi, partim declarando, partim defendendo, partim etiam negando, quæ ipſis imputata fuerant. Certe LESSERVS noſter cauſſam pro ſe, luculento ſcripto, dixit, & publice & privatim iterum iterumque teſtatus, ſe, ore æque atque animo, puriorem evangelicæ fidei doctrinam, LVTHERI inprimis ſtudio reſtitutam, amplecti, profiteri ac docere. Et in hac ſua fide ſe coram tribunali CHRISTI triumphaturum, confidenter contendit.

Quodſi præterea hominum hæc vita pæne omnium, inprimis Chriſtianorum, miſera ac plena eſt periculorum: certe LESSERVS varios caſus ac multa rerum diſcrimina expertus eſt. Quum iuvenis eſſet, in itinere, quo Rudolphopolim tendebat, e carpento decidit, ut ſupra eum illud protraheretur. Quo maius autem illud vitæ diſcrimen putabatur, eo illuſtrior erat gratia divina, quæ illum iam clementiſſime voluit conſervatum, quo aliquando inſtrumento uti vellet & ſapientiæ & bonitatis. In flumine deinceps aliquoties, inprimis Berolini, periculum ſubiit; ſed evaſit ſemper incolumis provida eius cura, qui ſuis præſto eſt, ne quid detrimenti capiat eorum ſalus. Verum nihil magis adflixit olim noſtrum, eiusque circulos turbavit, quam inveteratus iſte adfectus hypochondriaco-ſpasmodicus, quo ſæpenumero, ne dicam perpetuo, laboravit. Originem huius mali, communis pæne eruditorum, ab ipſo patre derivavit; & ſedentaria eius vita incrementa eidem dedit. Varias iſtius morbi paullatim a iuventute ſenſit adfectiones. Aetate iuvenili capite inprimis laboravit, nunc dolores eiusdem, nunc vertiginem, nunc animi defectum vel lipothymiam paſſus: ingraveſcente vero ætate remiſerunt quidem nonnihil iſtæ adfectiones, ſed crebriores ſubinde ſenſit dorſi dolores,

qui a ſpasmis ſinè dubio, & nervorum rigore, originem traxerunt. Caſum, hac data occaſione, qui forte evenit, prorſus mirabilem enarrare liceat. Quum aliquando hoc morbo ſuo decumberet, & faucibus ſimul ac difficili deglutitione vehementer laboraret, viſum eſt Medico, ut ſperma ceti, oleo amygdalino ſolutum, ſumeret. Oleum tamen iſtud non ad palatum erat, unde e taberna oleum olivarum peti iuſſit. Errore vero aut ancillæ, aut Pharmacopolæ, loco ſpermatis ceti, camphora adfertur. Inſcius ægrotus tanti erroris, cupide ebibit adlatam medicinam, ac, cum ea ſimul duos ſcrupulos camphoræ. Hoc facto ingraveſcunt dolores capitis, gelidus nunc toto manabat corpore ſudor; nunc plane impos æger videbatur animi eſſe; nunc mori cupiebat, nunc irridebat omnes, qui de vita eius ſolliciti erant, ac dolebant. Fabulam ipſi MOLIERII, de imaginario morbo, agere videbantur. Nunc, viribus prorſus omnibus collectis, lecto ſurgebat, per hypocauſtum obambulabat, ei fere ſimilis, qui ebrius ac temulentus eſt. Nunc denique, quod Dei beneficium & naturæ videtur, arctior eum ſomnus complectebatur, ſub quo largus ſudor prorumpebat, indeque dein evigilans, melius ſe habuit, ac feliciter convaluit. En! manifeſtum providæ Dei curæ & amoris beneficium.

Tandem ad noviſſima LESSERI noſtri fata pergamus. Ipſo natali eius die, quum annum ſexageſimum tertium, qui *decretorius* a Medicis vulgo dicitur, ingreſſus eſſet, redibat familiaris eius morbus, isque ſolito vehementior. Conveniebant conſanguinei ac cognati ad cœnam, ut vota pro ſalute ſenis venerabilis facerent, & diem congratularentur, qui iure ipſis ſollemnis ſanctiorque videbatur pæne natali proprio. Verum eheu! triſtia nunc ſuis ominabatur vir bonus, hunc ipſius vaticinans, quem celebraret, natalem fore nouiſſimum. Somnium protinus narrabat, quod ſub conſueto meridiano ſomno

ſibi

sibi obvenisset. Visum nempe tunc sibi fuisse, aiebat, ac si in horto quodam loculum, *sexaginta duobus* imperialibus nummis, quos thaleros vocant, repletum, inveniret, statimque animum suum singularem quandam subiisse admirationem, cur sexaginta saltem duobus, & nec pluribus, nec paucioribus refertus esset iste loculus. Quantumvis ergo, qui præsentes aderant, cognati regererent, vana esse somnia, illumque sæpe falli, qui ea curaret: manebat tamen alta eius mente repostum istud somnium. Et ab eo tempore vir beatus vehementioribus spasmis, vomitionibus, ac ventris doloribus, seu adfectibus colicis tentatus est, qui quidem brevi post, una cum virium debilitate, nonnihil remittebant, ita, ut munere suo iterum fungi potuerit, indeque spes succrescere videbatur, fore, ut morbum superaret & ab eo forte convalesceret; verum spes illa suos prorsus defraudavit, siquidem sexto die Septembr. ann. cIↃ IↃ CCLIV. post placidam & tranquillam noctem, qua usus fuerat, repentina & effera hæmoptysi tantopere prostratus fuit, ut sensus penitus amitteret. Colligebat quidem postea paullatim vires: ast quum spasmi & dolores non remitterent, sed potius ingravescerent, ut delirium minarentur, die decimo quinto eiusdem mensis iterum, ac biduo post, tertium hæmoptysis illa rediit, ut eodem die, vesperi, circa octavam horam, spiritum Deo redderet, ac placide obdormiret. Vixit igitur vir celeberrimus LXII. annos, menses quatuor ac V. dies. Plane composita mente se ad hunc exitum vitæ beatum adcinxerat. Statim post priorem hæmoptysin sacra usus est cœna, ut arctiori vinculo redemtori suo, IESV CHRISTO, iungeretur, tanta quidem fidei παῤῥησία, ut effuse gauderet, e theologo *Crucis* (ipsius verbis utor,) evasurum se mox esse theologum *lucis*. Spem huius felicitatis suæ certissimam in explicata ac hilari fronte legisses: tanto nunc flagrabat desiderio videndi DEVM. Amico suo, quem magni faciebat, quique ipsi a confessionibus fuerat, Dn. *Christ. Frid.* WIEDER-

HOLDO,

HOLDO, Diacono ad d. Petri bene merito, hæc inprimis mandata dedit, ut verba Pauli, quæ II. Timoth. I. 15. 16. leguntur, in funere, pro concione peroraret explicaretque; de reliquo ab omni laudatione sui abstineret. Porro parochianum quemdam, qui eum, quum decumberet, amoris & doloris causſa, convenerat, rogavit, ut mentis suæ fiduciam atque hilaritatem omnibus parochianis olim suis, ac civibus commendaret, eosdemque commonefaceret, nihil prorsus esse, quod in morte prosit aut iuvet, nisi solum CHRISTVM, eumque cruci adfixum. Hymnis sacris omni quidem tempore, præcipue quum morti proximus esset, mirifice delectatus est; & quum omnes illos peculiari signo in ordinario suo libro notasset, quos reliquis anteferret, gratum ipsi semper fuit, si quis unum aut alterum eorum ad lectum eius caneret. Paucis diebus ante, quam decederet, accidit, ut alumni, qui currendo canere, atque ita stipem colligere solent, ante fores eius essent; quod quum audiisset, iussit eos hymnum illum canere: *Ist Iesu es dein Wille, u. s. w.* ac licet ob linguæ infirmitatem, concinere non posset, motibus tamen ac gestibus variis pias suas prodidit meditationes. Posteaquam vero ad quintum istius hymni versiculum ventum erat, manus suas expandit, & in pectore crucis adinstar composuit; ac tandem versiculo sexto audito, ingens desiderium beatæ mortis omnibus, quotquot aderant, significavit. Funus celebri pompa ac hominum frequentia, qui illud comitabantur, die vicesima secunda Septembris, quæ Dominica fuit XV. p. Trinit. elatum, & in æde illa nova d. Iacobo dedicata, ad dextrum altaris latus, quidquid mortale habuit, reconditum est, suspensa dein e regione huius sepulchri imagine b. Viri, cum inscriptione quadam brevi, memoriam eius posteris commendante.

MEMO-

ELOGIVM
MEMORIAE VIRI
QVEM SVA IPSIVS FACTA
CVMVLATE PRÆCLAREQVE EDITA
ÆTERNITATI DVDVM COMMENDARVNT

GEORGII ERHARDI HAMBERGERI

PHYSICI ET MEDICI NOSTRA AETATE FACILE PRINCIPIS AC VTRIVSQVE DOCTRINAE PER OMNES PARTES, SVCCESSV TEMPORIS, DOCTORIS IN ACADEMIA, QVAE PATRIA IPSI FVIT, IENENSI, POSTREMVM VERO PHILOSOPH. NATVRAL. CHEMIÆ ET PRAXEOS PROFESSORIS PVBL. ORDINARII,

SERENISSIMOR. SAXON. DVCVM ERNESTINÆ STIRPIS CONSILIAR. AVLICI, MEDICOR. ORDINIS SENIORIS, CONCILII ARCTIORIS ADSESSORIS, PRÆFECTVRÆ IENENSIS PHYSICI,

ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOSOR. ET SOCIETATVM TEVTONICAE SCIENTIAR. IENENSIS AC ELECTORAL. MOGVNTINAE SCIENTIAR. VTILIVM COLLEGÆ,

CONSECRATVM
AB EIVS GENERO MOESTISSIMO

IOANNE CHRISTIAN. BLASCHE

A A. ET PHILOSOPH. MAGISTRO, ORDINIS PHILOSOPHOR. AMPLISSIMI ADIVNCTO, SCHOLÆ IENENSIS RECTORE, SOCIETATVMQVE TEVTONICAE ET LATINAE IENENSIVM COLLEGA.

Splendidiſſimum magnitudinis inter mortales conſpicuæ ſignum eſt, viri poſt fata deſiderium longe lateque pertinens. Quod, ſi in aliis adparuit ſæpe magnum, in HAMBERGERO viſum eſt maximum. Ita certatim undique, cum eſſet exſtinctus, & voces ſunt exauditæ, & litteræ adlatæ ſpectatiſſimorum virorum, quorum multi, quaſi ſua ipſorum res ageretur, etiamſi pro concione academica, iuſſu Teutonicæ Scientiarum Societatis laudatus eſſet HAMBERGERVS, quod ante eum contigerat nemini, meritis tanti viri ſatisfactum negabant; alii idemtidem & maximopere poſtulabant, ut primo quoque tempore vitæ tam laudabiliter actæ perſcriptum curriculum, quod cum orbe erudito communicari poſſet, ſibi mitteretur. Inter quos facile intelligo cum dignitate & amplitudine, tum voluntate in HAMBERGERVM perpenſa eminere *perilluſtrem horum Actorum editorem*, virum maximis meritis cumulatiſſimum ac celeberrimum. Nihil hic attinet commemorare, quid ſit, quod ne nunc quidem ego, Socero gener debitum pietatis & obſervantiæ monimentum poſuerim, eiusque vitam, quam pleniſſime a me ſcribi poſſet, conſcripſerim. Sunt cauſſæ cunctandi iuſtiſſimæ. Ac tarditatem compenſabit, ut ſpero, rerum explicandarum ubertas. Et habuit interim eum eventum cunctatio neceſſaria, ut clarius innoteſceret, quantum reliquerit ſui deſiderium loco tam inſigni poſita HAMBERGERI & doctrina incomparabilis, & virtus & amplitudo; ut inquam vel ex hoc quoque adpareret, quam ille ſibi ſolus ſufficeret, neminem ſi nanciſci poſſet ex propinquis laudatorem, ad nominis memoriam nullo tempore interituram. Quum igitur nondum poſſim pleniorem hic dare rerum ab illo geſtarum hiſtoriam, quam non ita multo poſt e bibliopolio *Guthii*, viri honeſtiſſimi, Phyſiologiæ Hambergeria-

gerianæ editore ſtatutum eſt dare: placet interim perilluſtris Büchneri conſiliis optimis obtemperare, & hac quaſi compendiaria effigie viri immortalis apud illos ſtatuere monimentum, qui præter alia multa præclara de ſplendida hacce naturæ interpretum ac indagatorum Societate vel ipſi bene promerentur, vel horum favent conatibus.

Quid mirum igitur eſt, cognoſcere cupere eruditiſſimos homines, quibus ab initiis creverit, quibus ſuffulta adminiculis ſteterit rara Hambergeri virtus? Quippe quem norint ævi noſtri mortales, quanta per eum lux adfulſerit naturali ſcientiæ, quantus exſtiterit rerum medicarum inventor ac ſtator; quam pulchre denique oſtenderit utriusque doctrinæ coniunctiſſimum vinculum, quod ante illum quidem omnes confitebantur eſſe, quale vero eſſet, nemo expoſuerat luculentius. Alienus ſit, neceſſe eſt, ſi quis ignoret, quam loco difficili verſentur plerumque viri ſummi, qui ingenio, qui mentis acie a natura inſtructi, ac diſciplinam aliquam vel ſcientiam complexi, nævos, quos deprehenderint, tollere allaborant, manca quæ ſunt, hiulca aut inchoata ſupplent, vinciunt atque perficiunt, breviter, qui traditæ, quaſi per manus, arti novam faciem formamque induunt. Ardua eſt, inquam, inventoris artium ac perdifficilis perſona. Non enim, ut cuiusque facta ad utilitatem communem latius extenduntur; ita continuo favor conſequitur. Par hominum ſectæ ſuæ, tamquam glebæ adhæreſcens, veterem calcat viam, quam planam putat eſſe, familiarem certe; qui novam monſtrant, hos ſibi putant moleſtiam creare, itaque eos odio proſequitur. Alii vel muneris amplitudine, vel ætate non impares, neſcio, quem principatum in litteris adfectantes, ſuæ ſibi ſorti, ſuis rebus clam timent, nec poſſunt conquieſcere. Hos habet adverſarios certiſſimos, qui rebus præ-

clare excogitatis atque inventis ad gloriam adſpiravit. Fit controverſia; pugnatur in cauſſa non bona artibus non optimis. Specioſe multa & inclementius dicuntur. In invidiam nomen innocentiſſimum, in ſuſpicionem optima res vocatur. At quorſum ego hæc dico? Scilicet ut paullo commodius differam, quantus animo atque fortuna fuerit HAMBERGERVS, qui novæ formulæ novi ſyſtematis conditor perſonam ita ſuſtinuerit ſuam, ut gradu non deiiceretur.

Tria ſunt, niſi fallor, quæ requiruntur in artium atque ſcientiarum inventore, ingenium excellens atque divinum, & huic coniuncta indagandi cupido atque ſolertia; animus gloriæ cupidus non futilis quidem atque caducæ, erectus præterea & conſtans in rebus optimis, ac denique omnium humanarum rerum moderatrix fortuna.

Hic ego, quantum a dolore mens vacat, aut quantum illi quodam modo imperare poſſum, dulciſſime recordor ex longa ac diuturna conſuetudine, alacritatis ingenii, acuminis atque ſolertiæ, quæ ex HAMBERGERO eminuit maxima. Hic imago mihi obverſatur viri præſtantiſſimi, abſtruſioris doctrinæ capita explicantis, tam concinne, tam ſolide, adſperſis pro re nata, non arceſſitis, ſed ſponte naſcentibus ſalibus, quaſi condimentis, ut nihil nec doctius, nec ſuavius poſſit cogitari. Itaque ingens erat ac conſtans plauſus ingenii divini, frequentiſſima ſemper iuvenum cohors, audire cupientium doctrinæ noviter repertæ myſterium. Recordor etiam hoc loco domeſticæ conſuetudinem vitæ viri. Quicquid tractaret, diceret de re ex tempore propoſita, ex eo ingenium elucebat atque acumen. Negotiorum vero deſcriptus ordo tam pulchre, ut, ſi ſæpe non ſuccumberet rerum moli, hanc gratiam haberet mentis alacritati, celeriter, quæ opus erant, repe-

reperienti. Cæterum nihil agens aliquando, cum otiosus perambularet, vel iter faceret ad vires recuperandas; tum vero curiosum adhibebat oculum, ad omnia, quæ fortuito accidebant, intentum. Itaque sæpe factum est, ut vel inde aliquid referret, ex quo iucunditatis aliquem, maiorem utilitatis ac disciplinæ corroborandæ caperet fructum. Ipsum necesse est, noscas, si, ut dignum est, tantam ingenii mentisque bonitatem complecti animo velis.

Dixi de ingenio viri, de inveniendi celeritate atque solertia.

Alter erit de gloriae cupiditate, de gravitate atque constantia sermo, hoc est de bene merendi studio, quod nullis cedit difficultatibus. Laudis esse avidum, dies noctesque cogitare de gloriola captanda, nec respicere, quale sit, in quo elabores; semper aliquid quomodocunque moliri, scribere, edere, et ita aliis de se sermonem dare: hoc et vulgarem aliquam parit laudem, et animi est non constantis, non magni atque erecti, sed tenuis atque pusilli. At bene composito gradu, non nimis accelerato, nec lento nimis, progredi via, quam sapienter sis ingressus, prospicere idemtidem destinatum propositum finem; non confundi prætereuntium, non subsequentium voculis, non retardari incommodis, iisque fortiter superatis, ad gloriam adspirare: hoc vero egregium illud est in homine, illustre atque magnificum, quod plurimi cupiunt studentque, pauci adsequuntur. Ac possum equidem omnibus, quotquot paullo penitius norunt HAMBERGERVM, optionem dare, velint nolintue illum in eorum numero collocari, in quos animi conueniat magnitudo, paullo ante descripta. Nec quidquam est, quod eius causa timeam. Exsplenduit iam e puero indoles egregia, et, quae in illam ætatem cadere

poteſt, ratio conſtans. Citius, quam vulgo fit, eius intelligendi facultas, quam illi natura benignior dederat, ad maturitatem pervenit. Poterat, contra, quam patri eruditiſſimo, pædagogo ſolerti viſum fuerat, ſuus ipſe ſibi dux eſſe ad vitæ genus eligendum, idque experimento probare, quam recte iudicaret. Poterat adoleſcens, in maximo præceptorum ſuorum academicorum cultu, quem illis olim poſt mortem verum conſtanter exhibuit, poterat, inquam, de illorum placitis nonnullis dubitare, aut, ſi quod non illorum eſſet, ſed diſciplinæ vitium, quam ab aliis acceptam, aliis traderent, perſpicere. Quod quidem deinceps ad diſputandi officium in diſputationibus medicis inauguralibus, provocatus, quod accidit ei ſæpiſſime, in medium protulit tam docte pariter atque modeſte, ut & præceptorum ſuorum, adverſus quos diſputaret, favorem ſibi conciliaret, & iisdem ſimul ad feliciſſimum de ſe augurium materiam largiter præberet.

Hoc animo, hac mentis perſpicacia cum eſſet, mirum amplius videri non debet, eum paullo poſt, quam aliquoties naturalis ſcientiæ curſum in prælectionibus ſuis abſolverat, prima ſyſtematis phyſici feliciter condendi fundamenta iecisſe. In quo quidem perficiendo lenta feſtinatione uſus, integrum fere decennium deſudavit, antequam illud in lucem ederet typis expreſſum.

Sequuta eſt poſtero tempore phyſicorum principiorum larga meſſis in medicarum rerum ſcientia. Sequuta etiam laus eſt, & nominis fama, qua per Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam floruit maxime, non ſine comite virtutis invidia. Ferendæ erant contradictiones quamplurimæ, pertulit; voces compeſcendæ quorumdam malevolorum hominum, compeſcuit; temeritati conſtantia, levitati gravitas, au-

auctoritas insolentiæ opponenda, oppositit; atque ita contemtui habuit adversæ partis convicia, & maledicta, ut sæpe nihil, sæpe pauca responderet, reprehensionibus non ad veritatem corroborandam, quæ nulla erat; sed ad invidiam faciendam idemtidem recoctis. Hac animi magnitudine cum esset; optimam causam veritatis a se repertæ, & nominis per eam inventi, non poterat non tueri. Qua in re illum magnopere adiuvit, quod in magno laudis studio gloriam poterat in loco recusare, vel eam certe aliquando non amare. Quam, qui ubique impotentius consectantur & adipisci misere cupiunt, ea ipsa sæpissime excidunt.

Sed, quamquam hæc ita sunt, tamen confitendum est, in rebus bene gerendis præter ingenii præstantiam, animi magnitudinem gravitatemque, magnas esse fortunæ partes, ita quidem, ut illa si careas, propositum finem obtinere vel omnino, vel maximam partem nequeas.

Fuit ista quidem superstitiosarum gentium ac pervetusta opinio, felicitatem fortunamque Deorum immortalium iudicio tribui, quod nos, correctione adhibita sic, ut verum intelligatur divinum numen, iustissime retinemus. Ac possum equidem in HAMBERGERVM intuens, eiusque felicitatem reminiscens, quæ illum in maximis rebus numquam destituit, putare, significationem illi hanc factam esse divinitus sæpissime, quam rata eiusdem consilia atque incepta habuerit numen supremum. Incidit prima illius adolescentia in felicissimum tempus, quo emendari ac perpurgari a sordibus cœpta erat, artium atque scientiarum magistra philosophia. Quod si aliter accidisset; neque ipse fortassis tantum boni, certe non tam facile potuisset scientiis ab ipso perpoliendis adferre; neque alii ad accipiendam doctrinæ altius repetitæ, subti-

subtiliterque inventæ legem tantopere fuissent idonei. Iam, quod propius etiam ad viri fortunam pertinet, quanta eius in genere vitæ constituendo fuit felicitas! Quod enim plerumque ad detrimentum miseris mortalibus vergere solet, mors patris acerba, ac præmatura; hoc illi vel maxime ad salutem cessit. Atque dupliciter illud quidem. Nam profuit ei primum moribundi parentis, de filii adolescentuli salute tum etiam atque etiam cogitantis supremum ad matrem mandatum, ne amplius illum, quod ipse semper fecerat, ab artis medicæ perdiscendæ studio retardaret; tum autem, mortuo patre eius ei non minus profuit eruditionis insignis opinio. Vnde factum est, ut permature HAMBERGERVS, repugnans etiam, ad docendi partes a iuventute academica pertraheretur. Hanc in ingredienda vita perprosperam rationem maior est consecuta felicitas, cum longius ille in laudis itinere profectus esset. Crevit paullatim ad maximum numerum auditorum frequentia. Excepta sunt maximo eruditorum plausu physica elementa, quæ tantam eius ingenii existimationem effecerunt, ut quam postea medicæ scientiæ partem in auditorum usum ad physices suæ legem privatim scripsisset; exempla copiosius descripta longe lateque circumferrentur. Cœpit igitur esse in deliciis orbi erudito. Expetitus est sæpe votis summorum virorum propositis dignitatis utilitatisque amplissimis præmiis, ut alibi doceret; sed semper fuit ab academiæ patriæ nutriciis munificentissimis, auctis & honoribus & commodis refertus, quorum usque ad vitæ finem singulari usus est benevolentia. Multo plura possem, & copiosius multo enarrare, quæ HAMBERGERO contigerint vel ingenii, vel fortunæ bona. Sed, quantum equidem mecum proposueram differere hoc loco, & quantum videri possit ad desiderium cognoscendæ penitius vitæ ab illo gestæ concitandum sufficere, dictum est satis.

INDEX

INDEX.

A.

Abdominis & pectoris viscerum ex læsione, asthma, icterus & hæmoptysis 107
— — tumor graviditatem mentiens 289
— — viscerum situs singularis 315
Abietis character botanicus 409. 416. seq.
Abortum præcavendi remedia optima 77
Abortus causſæ 78
Abscessus in femore 126
Acutorum morborum remedium scarificatio * 53. 55. 57
Acupunctura Chinensium & Iaponensium * 56
Adstringentium in hæmorrhagiis usus internus 328. seq. externus. 329. seq.
Æres S. S. 415
Agarici species 36. 41
Agrimoniæ vires 172
Agrypnia xxx. dierum 12
Agrypniæ causſa & remedium * 185
Alcali primateriale Kortholti. sulphuratum Allioth 172
Alopecia singularis 103
Alsinastri species 40
Alvi obstructio delirii periodici causſa 12
Amanitæ species 36
Amaurosis causſa 191
Ammoniacum gummi œdematum remedium * 144
— — sal, vid. Sal ammoniacum.
Amuletum superstitiosum contra rabiem caninam 221
Amygdalarum amararum vires. * 180
Anasarca. confer. Hydrops
Anasarcæ remedium scarificatio * 54
Anatomicæ exercitationes Rudolphadii institutæ 302
Anginæ apostematodes epidemiæ historia 336
— — remedium scarificatio. * 57
Anginodes inflammationis remedium 400
Animalia sic dicta frigida omni calore haud carent * 41
Animalium calor thermometris exploratur * 41
Animi formatrix cura recens natorum 82
Anodynum medicamentum * 184. 186.

186. conf. hypnoticum medicum.
Anſer ſophorum. *194
Antepilepticum ſpecificum. 276
Antimonialia carcini materiæ corrigendæ inſerviunt 171
Aorta, vid. Arteria aorta.
Aortæ oſſeſcentia 408
Aphtharum remedium *72
Apoplecticæ febres, vid. febres apoplecticæ.
Apoplexia a ſuperveniente febri non ſemper ſolvitur 106
Apoplexiæ ſeroſæ cauſſa ſectione detecta 296
Aqua lentius calefit & refrigeratur quam hydrargyrum *14
— frigida externe applicata ſiſtit ſanguinem 333
— verminoſa pota, quas noxas inducat 338
Aquæ differentia ad capiendum calorem ante ebullitionem *24
— maximus caloris gradus conciliandus *26
Aquilæ philoſophicæ *192. 194
Arborum ſcarificatio *58
Ardea roſtro cochleato 284
Aromatum odor validior narcoticam exercet vim *170 ſeq.
Arſenici albi vis in globulorum plumbeorum ſphærica figura paranda 194
Arſenicum album adhibetur ad cuprum dealbandum 193
Arteriæ aortæ elaſticum loramentum 132
Arteriarum elaſticitas & tenacitas 134
— — de pulſatione obſervationes anatomico hydraulicæ 128
— — diameter 128
Arterioſus canalis, vide canalis arterioſus.
Arum, œdematum remedium *144
Arundinum uſus *55
Aſcites vid. Hydrops aſcites.
— — ex draſtica purgatione *150
Aſcitico-tympaniticus affectus 114. 115
Aſphyxia ex uteri paſſionibus 154. 157
Aſthma grave ex remediorum hæmoptyſin ſedantium abuſu 4
— — ex gravi pectoris & abdominis viſcerum laeſione 107
— — muliebre 151
Aſthmata ſolvuntur a morbis ad crura & pudenda *161
Aſthmatis humidi & œdematis pedum ex tabaci fumi ſuctionis & coffee potus abuſu exorti hiſtoria *158
— — , œdematis & hydropis ex podagra ortorum hiſtoria *142
Avium quorundam ſopor hibernus *42
Aurantiorum eſſentia ex ſpiritu vini optima obtinetur ſub ſummo frigore 197
Auri chemici exemplum 310

Auripigmenti butyrum 234
— — — vis in globulorum plumbeorum ſphærica figura paranda 193. 194. ejus indoles 193
Aurium ſcarificatio *56
Ausſaz, weisſer 199

B.

Baba Ruſſorum, avis 286
Balnei Freyenwaldenſis, Lauchſtadienſis & Gülzovienſis fit mentio 63
alſamationis modus fuſe deſcriptus 404
Beecabungæ vires 172
Becheri principium tertium 239
Belladonnae vis in ulceribus cancroſis 234
Bernhard Eremite, cancri ſpecies 377
Beroſch & Beroth S. S. 415. 425
Bezoar lapidis inefficacia 342
Bilis omnis defectus 109. 394. 402
Bituminoſis corporibus magna ineſt copia phlogiſti *172
Botanicæ obſervationes quædam 28
Bruſſviza Ruſſorum 40
Bryoniæ radicis effectus 4
Bubones venerei 360. eorum cura 366
Buxbaumii, Jo. Chr. ad plant. centur. quædam pertinentia 28

C.

Cachectici lentius purgantibus tractandi *151
Caducus matricis morbus 151
Calculi fellei 375
— — in inteſtinis generati 242. ſeq. 253
— — veſicae figura & pondus 26. pondus poſt exſiccationem inſigniter imminutum ibid.
Calculus veſicæ urinariæ ſponte excretus 257
— — — prægrandis ex veſica, inciſa uteri vagina, feliciter extractus 18
— — ex uteri & veſicæ urinariæ prolapſu exſectus 257
Calor æſtatis in variis regionibus varius *37. 40
— , quem vegetabilia requirant, thermometris explorandus *43
Caloris animalium thermometris exploratio *41
— — gradus maximus aquæ conciliandus *26
— — morboſi ſummus gradus *42
Camphora dolores dentium ſedat 198
— — vitro vel ſpeculo cauſtico ægerrime accenditur 197
Camphoræ eiusque virium examen *170. in aqua ſolubilis quædam phænomena 195
Camphoratorum uſus in hydrophobia 220
Canalis arterioſus ſiniſtræ ſubclaviæ arteriæ inſertus 302
Cancer, conf. Carcinus.

Cancri aperti & cancrosorum ulcerum remedium 229. novum 233
— — marini, vulgo Eremitæ descriptio 375
Canis, qui homines momordit, an rabiosus fuerit, explorandi methodus 182
— — non rabiosi morsus funestus 182
Capillorum omniumque crinium defluvium singulare 103
Capitis adfectuum remedium scarificatio *54
— — consensus cum utero 153
— — dolorum chronicorum remedium 278
— — totius capillata cutis adolescenti evulsa feliciterque restituta 309
Capri feri cornua cum octo propaginibus 149
Carbonum vis narcotica *169
Carcini subiectum 165. 166. differentia 166. & sphaceli differentia 166. causæ 167. prognosis 169. therapia 170
Carcinoma vid. Carcinus.
— — faucium sanatum 205
Carcinus, Cancer, Carcinoma exponitur 163. seq.
Cardialgia sævissima curata *187
Caries 166
Carnosæ partes carcino sunt subjectæ 165
Cartilaginosæ partes carcino sunt subjectæ 165
Cascarillæ cortex, vid. Cortex cascarillæ &c.
Catalepsis triduana febri continuæ superveniens. 389
Catarrhi senum 401. 406
Cedri Libani historia & character botanicus 409. 416. seqq.
Cephalalgia pervicacissima curata *187
Cephalalgiæ remedium scarificatio *53. seq.
Cerebri ex compressione somnolentia. *178. seq.
— — intimior structura, omniumque ejus partium usus adhuc incognitus 280
— — cum ventriculo consensus *180
— — plexus choroidei usus proximus determinandus proponitur 214
— — plexus choroideus retractus, corrugatus & quasi complicatus repertus 212. mutatus in læsionibus capitis 214
Cervus tricornis 148
Cesarea sectio an administranda *126
Chaccarilla vid. Cortex Cascarillæ.
Chamaemorus Clusii 40
Chemicis in teutaminibus thermometrorum usus *43. 46
Chenopodii specierum confusio illustratur 29
Chirurgorum Academia Parisiensis censetur *75

Cho-

Choleræ humidæ ex diætæ erroribus cura *186
Chorion an utero unquam adhæreat *108
Cicutæ aquaticæ effectus *183
Cinnabaris usus in hydrophobia 220. 221. 225
Clysmatum usus in uterina strangulatione 162
Coffee potus abusus noxius *158
Colicæ singularis caussa 296
Colicis de doloribus ægrotantium querimoniæ nunquam negligendæ. 321
Colli scarificatio *56
Colorum omnium principium est phlogiston *173
Conceptionis signa dubia sunt 75. 76
Congelationis punctum in thermometris *22. 24
Contusio oculi, vide Oculi vulnus.
Contusione ex simplici abdominis mors 320
Convulsiones ex consensu cum utero. 153
Cordis situs naturalis & præternaturalis 316. valvulæ semilunares ossescentes 408
— — vulnerati signa. 317
Corporis animalis perpetuus calor unde *172
— — formatrix cura recens natorum. 82
Corpulentia miranda puellæ 225
Cortex Peruvianus sub quibus cautelis tutum febrifugum 238
Cortice Peruviano sublatus hydrops & sphacelus 384
Corticis cascarillæ vis antifebrilis 239
— — peruviani vis tonica 334 febrifuga laudatur 341
— — — — usus *155. in febribus soporosis 119. in deliriis febrilibus 347
— — — — ex usu imperito repente exortus hydrocephalus externus lethalis 10
Crinium defluvium, vid. Capillorum defluvium.
Croci vires narcoticæ examinantur *169 seq.
Cumann, cancri species 377
Cunarum agitationis usus & abusus 84
Cuprea vasa arsenico dealbata noxii sunt usus 193
Cupri rasuræ usus in hydrophobia 222
Cutis capitis capillata &c, vid. Capitis cutis &c.
Cyperoidis species 38
Cyprinum vitriolum, vid. Vitriolum cyprinum.

D.

Decoctum antivenereum *Ivo Gankes & Boerhaavii* 229
Deglutitione (sub) dolor acutus in pectore sese exserens 355
Deleterius effectus globulorum minorum plumbeorum 192

Delirium periodicum ex alvi obſtructione 12
— — pertinax poſt febrim acutam 186
Dens evulſus iterum repoſitus, denuo adcreſcit *68
Dente ex evulſo lethalis hæmorrhagia *62
Dentium difficilis eruptionis remedium *70
— — dolor, conf. Odontalgia.
— — — epiſpaſtico cedens 183
— — dolores ſedans euporiſtum 198
Diætæ & vitæ ordinis mutati ſequelæ 114. 115
— — uſus medicus apud veteres 171
Diaphoreticum medicamentum *184
Diarrhœa gravis ſubito orta 397
— — varioloſorum, vid. Varioloſorum diarrhœa.
Digitis tribus tantum inſtructus pes dexter 147
Diureticum medicamentum *184
Ducciæ Mattiacarum uſus ad rheumata 92
Dyſuriæ cauſſa, carnea excreſcentia ad veſicæ orificium reperta 149

E.

Ebuli roob effectus 4
Ebullitionis fluidorum & ſolidorum liqueſcentium gradus *45
— — punctum in thermometris *22. 25
Electricitatis medicamentoſæ experimenta 226
Electuarii de ovo uſus ad hydrophobiam præcavendam 180
Embryonis trimeſtris deſcriptio, tum quoad externum habitum tum quoad viſcera 305. ſeqq.
Empyema ex vera pleuritide ſubnatum & ruptum, cuius materia purulenta cum urina excernebatur 14
Epidemii morbi contagioſi & non contagioſi differentia 338
Epilepſia uterina 153. 155. 157
Epilepſiæ ſigna 105
Epileptica febris, vid. febris epileptica &c.
Επιμηδιον Columnæ 44
Epiſpaſtico cedens dolor dentium 183
Epulidis deſcriptio & cura *70
Equæ ſuperfœtantis exemplum 68
Eremita cancri ſpecies 375
Eryſipelati medetur ſcarificatio *57
Eupatorii cannabini apozema laudatur 91
Ευρως, Caries 166

F.

Facies lanugine longa in fœtu obſita 147
Faſciarum continuatio in recens natis neceſſaria 84
Faſcino falſo adſcriptus morbus 110
Faucium carcinoma ſanatum 205
— — conſenſus cum utero 153
— — ſcarificatio *54

Febre diuturna solutus testiculorum tumor venereus 97
— ex quartana corrupta hydrops anasarca. 384
Febres apoplecticæ an dentur 106
— catarrhales ex purgationibus & venæ sectionibus hiemali tempore institutis *151
— ex hypochondriorum dolore malignæ 119
— soporosæ funesti & salutaris exitus 118
Febri continuæ superveniens catalepsis triduana 389
Febrilis caloris summus gradus *42
Febrilium paroxysmorum tutissima abbreviatio 237. caussa primaria 238
Febrim acutam excipiens delirium pertinax 186
Febris catarrhalis male tractatæ & in lentam transeuntis historia *149
— continua in quintanam intermittentem mutata 388
— epileptica visa, in intermittentem tertianam terminata 104
— hectica marasmodes 5
— intermittentis tertianæ gravior insultus 105
— lentæ historia & corporis ea defuncti sectio anatomica 391. seqq.
— tertianæ, male tractatæ, sequelæ funestæ 289
Febrium continuarum paroxyzantium remedium 239
Fellea vesicula morbosa 9
Fermentantium liquorum vis narcotica in quo consistat *169
Fluida naturalia *44
Fluoris albi remedium 278
Fœcundatio plantarum 437
Fœtum imbecillem reddit V. S. largior & repetita 80
Fœtus recens excluſus fœtum pariens 68
— conf. partus.
Fons medicatus Polzinensis Pomeraniæ ulterioris descriptus 60
Freyenwaldensis balnei mentio fit 63
Frigore magis quam calore augetur volatilium menstruorum actio 197
Frigoris artificialis productio a salibus variis *40
Frigus hibernum in variis regionibus varium *36. 40
Fuci species 42
Fuliginis salis liquor 172
Fulmine tacti ligni specifica vis *62
Fungorum quædam species recensentur 32. sqq. 4. species valde variant 33. 35. esculentorum & noxiorum notæ fallaces 35
Funiculus umbilicalis monstrosus 305

G.

Gangrænæ medetur scarificatio *57
— — a morsu irati obortæ cura 86

Gemellorum conceptio & superfœtatio ex quo distinguenda 66
— — — — non tantum a maribus, quantum a fœminis dependet 67
Gemini quater bis, & tot gemini semel ab una matre excluſi 69
Genitalis liquor in feminis corruptus quæ mala inducere valeat 159 ſeq.
Gingivæ calloſæ quo inſtrumento ſcarificandæ *63
Gingivarum ſcarificatio *53. 56. 59. 63
— — ſcarificationis peculiare inſtrumentum *63
— — ſtructura *59. uſus *65
Glandis ulcera venerea, vid. Venerea &c.
Globus ignitus meteoricus Wratislaviæ obſervatus 348
Gonorrhœæ remedium 278
Graminis ſpecies 41. cyperoidei ſpecies 38
Gravida hydrope & circa genitalia ſphacelo correpta, ſanata 384
— , inſomniis & hæmorrhagia uteri cruciata, curata *186
Gravidae abdomen nimium tumens & hydropem aſcitem mentiens partu ſublatum 345
Gravidarum menſtruus fluxus 75
Graviditatem mentiens tumor abdominis 289
Guaiaci vis antivenerea 229
Gülzovienſis balnei fit mentio 61. 63
Güntherus G. chirurgus celebris 21

H.

Hæmatoceles hiſtoria & cura 382
Hæmoptyſeos cauſſa hypochondrii dextri contuſio 2. 5. recidivæ cauſſa ira 4
Hæmoptyſin ſedantium remediorum abuſus aſthma grave excitavit 4
Hæmoptyſis quibus funeſta 1
— — ex gravi pectoris & abdominis viſcerum læſione 107
— — hypochondriaco hæmorrhoidalis per XL. annos durans 1
Hæmorrhagia abſceſſus ingens ſine læſis vaſis maioribus 126
— — gravidæ curata *186
— — lethalis ex dente evulſo *62
— — narium diuturna & copioſa 10
— — renum 149
— — uteri gravidi matri & proli funeſta 266
Hæmorrhagiæ uteri in partu cauſſa & medela *108
Hæmorrhagiarum anomalarum ſequelæ 116
Hæmorrhoidalis hæmoptyſis, vid. Hæmoptyſis.
Hæmorrhoidalium moliminum peculiaris cauſſa 19
Hæmorrhoides hydropico ſupervenientes absque levamine 116
Hæmorrhoidum conſenſus cum morbis pectoris 5

Hambergeri, Jo. Erh. Memoria *281
Hectica febris, vid. Febris hectica.
Hepar morbosum 9. prægrande 109. seq.
— per totum abdomen transversim se extendens 303
Herbæ Ruperti vires 172
Herculeus matricis morbus 151
Hermaphroditus falso iudicatus 147 seq.
Hernia abdominalis, ab exeso per gangrænosum anthracem abdomine, nata 262
— scrotalis sanguinolenta, vid. Haematocele.
— vesicæ urinariæ 257
Herniæ inguinalis ruptæ & consolidatæ bina exempla 91
— umbilicalis in infantibus oriundi remedium 264
Herpetis explicatio 199
Horroris causa 325
Hydrargyri in aurum transmutati historia 310
— — puritas quomodo exploranda *15
Hydrargyrum citius calefit & refrigeratur quam aqua *14
— — inter Chinense & Corinthiacum gravitatis specificæ intuitu nulla differentia *15
— — ab humiditate viscidum redditur *10
— — virgineum purissimum *15
Hydrocephalus externus lethalis ex C. Peruviani imperito usu repente exortus 10
Hydropem ascitem mentiens abdomen gravidæ 345
Hydrophobia spuria 179
Hydrophobia vera & completa nunquam curata 177. 179
— —, conf. canis rabiosus.
Hydrophobiæ casus aliquot rariores 219
— — remedia 220. 222. 225.
Amuletum superstitiosum 221
— — saliva alios non inficiebat 221. nec lac vaccarum rabiosarum 222
Hydrophobiæ in curam annotationes 175
Hydrophobiam imminentem curandi methodus 179
Hydropicis superveniens tussis sicca, funesta 370
Hydropicorum mortem ad differendam, remedium *139. 152
Hydropis pectoris origo *161
— — simplicis curatio an cum tonicis incipienda *156
Hydrops anasarca ex corrupta febre quartana, cum subsequuto sphacelo cortice Peruviano sublatus 384
— ex purgantium fortiorum usu 151
— scroti post variolas ortus & curatus 94
— tribus subiectis funestus 113
Hymenis impervii historia 343. c orlitus insolitus & recurrens 344
Hypnoticæ vires a minerali regno haud alienæ *163. 172

Hypnoticum medicamentum ex regno minerali quomodo præparandum * 172. eius vires expertæ * 185. seqq. dosis ibid.
Hypochondriaca suffocatio 150
Hypochondriaci delirii remedium nux vomica 180
Hypochondriaco - hæmorrhoidalis hæmoptysis, vide Hæmoptysis.
Hypochondriacum malum ab hysterica passione non multum differt 151
Hypochondrii dextri contusio hæmoptyseos causa 2. 5
Hysterica passio ab hypochondriaco malo non multum differt 151
Hystericæ pro mortuis habitæ quomodo a vere talibus distinguendæ 155. seqq.
— passionis prognosis 157. 158. causæ 158. 160. 161. methodus medendi 162
Hysterici paroxysmi signa & symptomata 153. seq. 157

I.

Icteri remedium 278
Icterus ex gravi pectoris & abdominis viscerum læsione 107
Ignitus globus, vid. Globus ignitus.
Imago unius eiusdemque obiecti a diversis hominibus in eadem distantia sub diversa magnitudine visa 187
Impetiginis & vitiliginis differentia 199
Imprægnatio sub fluxu menstruo parciori & irregulari cum decoloratione 268
Inebriantium noxæ in infantes tenellos redundantes 83
Infanticidium varia ex causa 297. 304. ex ossibus capitis per annum defossis diiudicatum 297
Infantum recens natorum cura, corporis & animi formatrix 82. errores circa illam commissi recensentur ibid.
Inflammationis anginodes remedium 400
Inflammationibus externis medetur scarificatio *57
Instrumentorum in arte obstetricia historia &c. *73
Integumentorum mira regeneratio 265
Intestini cæci processus vermiformis permagnus in sene repertus 294
— coli singularis conformatio 291
Intestinorum tenuium vulnera summe sunt periculosa 323
— membranæ per alvum excretæ 249
Intestinum cæcum, receptaculum plurium rerum præternaturalium 250. eius fundi structura & figura 252. in fœtu 253
Ira hæmoptyseos recidivæ causa 4
Iræ vehementioris sequelæ 113. 401
Iratorum animalium saliva noxia 183
Irritabilitas partium varia *181
— — præternaturalis systematis ner-

nervosi quatenus caussa paroxysmorum febrilium 238
Irritabilitatis exempla 186
Ischiadici doloris remedium scarificatio *57
Ischuriæ plures caussæ repertæ 144. 145

K.

Kœleri, Jo. Dav. Memoria *247
Kortholti alcali primateriale 172
— remedium contra ulcera cancrosa 234
Kriebel-Kranckheit historia 282. cura 283

L.

Labiorum consensus cum utero 153
— scarificatio *56
Labium leporinum hæreditarium 445
Lactationem infantum (circa) qui committuntur errores 82
Lapidis medicamentosi Crollii vis sanguinem sistendi 332
— porcini inertia 339. genuini character 343
Laricis character botanicus 409. 416. seq. altitudo & crassitudo 431
Lauchstadiensis Balnei mentio fit 63
Lesseri, Christ. Frid. Memoria *261
Lichenis morbi explicatio 199
Lien exiguus 144. 394
— flaccidus & corrugatus 9
— ingentis magnitudinis & ponderis 292
Lingua tumens & suppurata, cum enormi salivæ fluxu 185
Linguæ scarificatio *57
Lithontriptici remedii Anglicani descriptio & effectus 395. 403
Lochia nulla post partum 75
Læffler, *Læffelgans*, & *Læffel-Reiher* 284
Longævitas pelicani 287. 450
Lumbrici per herniam suppuratam prodeuntes 92
Luminis radii, vid. Radii luminis.
Lunæ circa phases partus 75. & menstrua 76
Lunariæ plantæ species 37. 44. 456 ab Osmundæ speciebus separandæ 37
Lupus carcini species 166

M.

Maculæ & faculæ a solis aspectu in oculo residuæ examinantur 188
Magnes sophorum *195
Malleolus quæ pars dicenda *54
Malleolorum scarificatio *54. 56
Mammæ papillæ infantis abscessus ingens 264
Mammarum consensus cum utero 152
Mania chronica ptyalismo soluta 346. 347
Mania repetitis & largioribus V. Snibus, purgantibus validioribus, vesicatoriis compluribus haud sublata 346. 347

Maniaci delirii adhuc recentis medendi methodus 347
— eadem methodo, quæ hydrophobiæ opponitur, curati 179
Maniæ ſingularis caſus 13
Maraſmodes febris hectica. 5
Margaritis nulla ineſt vis ſingularis 342
Martialia carcini materiæ corrigendæ inſerviunt 171
Maruſchka Ruſſorum rubi ſpecies 40
Matricis hereuleus vel caducus morbus 151
Mattiacarum ducciæ uſus ad rheumata 92
Medullæ ſpinalis cum nervis conſenſus 17
Mehl-Flecken 199
Melancholiæ hiſtoria 12
Membranæ in oſſeam ſubſtantiam mutatæ 249
— inteſtinorum per alvum excretæ 249
Memoria Abrami Vateri * 207 Chriſt. Gottl. Schwarzii * 229 Jo. Dav. Kœleri * 247. Chriſt. Frid. Leſſeri * 261. Georg. Erh. Hambergeri * 281
Menſium fluxus circa lunæ phaſes 75. 76
— — nullus ante conceptionem 75
— obſtructorum remedium 278
— in ſuppreſſione ſcarificationis uſus * 54
Menſtrui fluxus ordinarii impedimentum ſingulare 19
Menſtruo ſub fluxu parciori & irregulari cum decoloratione imprægnatio 268
Menſtruorum fluxus in gravidis 75
— volatilium actio augetur magis frigore quam calore 197
Menſtruus ſanguis non rite excretus quæ mala inducere valeat 159. ſeq.
Menti ſcarificatio * 56
Mercurialia carcini materiæ corrigendæ inſerviunt 171
Mercurialis terra * 177. *Becheri* 239
Mercurialium uſus in hydrophobia 225
Mercurii philoſophici ſublimatio * 194. natura 203
— ſophici delarvati finis * 189. ſeqq.
— — reperiundi difficultas * 193
— ſublimati uſus internus in ulceribus cancroſis 234
Mercurius, conf. hydrargyrum.
— dulcis œdematum remedium 144
— crudus & ſulphur rite combinata præbent medicamentum hypnoticum * 173. ſeqq.
— ſalivationem non ciens 228
Meſenterii glandulæ tumidæ & ſcirrhoſæ 143
— intra membranas ſteatoma permagnum repertum 372
Metallis & ſemimetallis magna ineſt copia phlogiſti * 172

Meteorologicæ quædam obſervationes 352
Mictum cruentum ſæpius experti phthiſici ſectio anatomica 141
Mictus cruentus a renum hæmorrhagia 149
Minerali a regno vires hypnoticæ haud alienæ *163. 172
Monſtroſi fœtus examen 146
Morboſi caloris ſummus gradus *42
Morſibus in venenatis veſicatorii uſus 183
Morſus hominis irati periculoſus 85
Moſchi uſus in hydrophobia 220. 221. 225
Mures vomitu reiecti 111
Muſci quidam minus cogniti explicantur 31. 43
Muſculi pectoralis denudati actio in corpore vivo viſa 265
Muſculorum brachii mira corruptio ſphaceloſa 89
— mira regeneratio 265
— pectoris eroſio ingens ſanata 264

N.

Napææ hiſtoria 437
Naphtha vitrioli *166
Narcotica vis phlogiſti, vide Phlogiſti vis narcotica.
Narium ſcarificatio *54. 55
Νεφρῖτις 166
Nervi plantaris ex læſione ſpaſmus opiſthotonus lethalis 16
Nervorum liquoris natura dubia adhuc 280
Nervorum cum medulla ſpinali conſenſus 17
— morbi, eorumque remedia exponuntur 280
Nervoſi ſyſtematis irritabilitas p. n. eſt cauſſa paroxyſmorum febrilium 238
Nicotianæ decoctum ſaturatum laudatur ad fiſtulas & abſceſſus purgandos 99
Nivis præſtantia ad inveniendum punctum congelationis in thermometris 23. 24
Nuchæ læſio a bombarda exploſa abſolute lethalis pronunciata 213
Nucis vomicæ vires 180

O.

Obſtetriciæ artis auctores recenſentur *78. ſeq.
Obſtetricia in arte inſtrumentorum hiſtoria, utilitas & recta & præpoſtera applicatio *73
Occipitii ſcarificatio *55. 56
Oculi maculæ nigræ perpetuæ unde 190
— in retina non formatur focus radiorum luminis 189. eius in tunica arteriolæ pulſant 135
— ſcarificatio *53
— vulnus, cum gravi contuſione lethale 209
Oculorum fluxionum remedium ſcarificatio *54

Oculus retinet aliquamdiu maculas & faculas a ſolis aſpectu 188
Odontalgia tactu ſedanda *65. ſcarificatione gingivarum ibid.
Odontalgiæ cauſſa 67. ferocia deſcribitur 65
Odores graveolenti uteri ſtrangulationem producunt 161
Oedemati proſpiciens remedium 398
Oedematis remedium 4. *144
Olei Dippelii uſus in hydrophobia 220
Oleorum æthereorum vires examinantur *169. ſeq.
Oleum eſſentiale congulatum *167
Omentum plane conſumtum 109. putridum 143
Omphalocelotomia imprudenter ſuſcepta lethalis 214
Onocrotali hiſtoria 285. 448
Opiata ad ſiſtendas hæmorrhagias non conveniunt 329
Opii effectus *178. funeſti *165. ſomniferæ vires examinantur *166
Oris ſapor ſalſus lethalis 120
— ſpaſmus, vid. Spaſmus oris
Oſmundæ ſpecies aliquot 44
— — — a lunariæ ſpeciebus ſeparandæ 37
Oſſeæ partes carcino ſunt ſubiectæ 165
Oſſeam in ſubſtantiam plures partes mutatæ 241. 249
Oſſeum concretum ſingulare per anum eiectum 241
Oxycocci baccarum uſus 40

P.

Palati defectus in infante recens nato 259. 445
Palpebræ duriores quo inſtrumento ſcarificandæ *63
Palpebrarum raſura *Hippocratis* *53
Aeginetæ *55
— — ſcarificatio *53
— — ſcarificationis peculiare inſtrumentum *63
Papaveris noſtratis virtus *188
Paracenthefis fruſtra applicata 369
Paronychia peſſime tractata ſpinæ ventoſæ cauſſa 88
Partu terno undecim liberi excluſi 69
Parturiendi terminus gravidis utplurimum certus 74
Partus conf. fœtus.
— circa lunæ phaſes 75
— continuo numeroſus 69
— multiplicis exempla 69
— octimeſtris an legitimus 72
— ſeptimeſtris vitalis, ſed per multos annos imbecillis 70. an legitimus 72
— terminus certus & naturalis 73
cauſſa 76
Parulidis deſcriptio & cura *69
Panaritium, vid. Paronychia.
Pectoris & abdominis viſcerum ex læſione aſthma, icterus & hæmoptyſis 107

Pectoris dolor acutus sub deglutitione 355
— — hydrops, vide Hydrops pectoris.
— — in morbis abscessus ad crura boni *161
— — cum morbis consensus hæmorrhoidum 5
— — musculorum erosio, vid. Musculor. pectoris erosio &c.
— — viscerum situs singularis 315
— — vulnus, vid. Vulnus pectoris.
Pedra del porco, vide Lapis porcinus.
Pelicani avis historia & figura 284. 448
Penis impervius 149
— œdema sublatum 4
Peripneumonia extincti pueri examen anatomicum 300
Persicariæ vires 172
Peruvianus cortex. vid. Cortex Peruvianus.
Pes dexter tribus tantum instructus digitis 147
Pestis remedium scarificatio *54
Phasianus sophorum *194
Philalethæ ulterior expositio *189
Phimosis. conf. Venerea glandis ulcera.
— — inflammatæ curatio 365
Phlogisti magna copia inest mineralibus *168. 172. vegetabilibus *169. seqq.
— — puriſſimi vis narotica *168. seqq. quibus sub circumstantiis *171. seq.
Phlogiston omnium colorum principium *173
Phrenitis eadem methodo, quæ hydrophobiæ opponitur, curata 179
Phrenitidis remedium scarificatio *54. 55
Phthisici mictum cruentum sæpius experti sectio anatomica 141
Physicis in tentaminibus thermometrorum usus *43. 46
Pilger Krebs 377
Pilorum examen 104 fasciculi per vomitum excreti 111
Pini character botanicus 409. 416. vulg. varius crescedi modus 429
Piscium innocuus usus 400
Placenta uteri orificio an unquam adhæreat *108
Placentæ uterinæ situs præternaturalis atque ex parte solutio, matri & proli lethalis 266
Plantarum fœcundatio 437
Platalea & Platea, avis 285. 453
Pleuritidis spuriæ remedium scarificatio *57
Pleuritis ex refrigerio subito 14
Plinii gingivas scarificandi modus *61. 65
— — sacrificatio arborum *58. 62
Plumbeorum globulorum minorum (vulgo Schrodt) effectus deleterius, sphæricitatisque causſa 192 modus eos parandi 193. 194
Plumieri remedium alterans 230
Podagra retropulsa *142
Podagræ remedium scarificatio *57

Podagrico - aſthmatici, œdematoſi & hydropici morbi hiſtoria *142
Polypi cordis latentes variorum ſymptomatum & mortis cauſſa 6
Polyporum ſignum incertum 6
Polypus ex dextro cordis ventriculo per arteriam pulmonalem decurrens 8
— — ex ſiniſtro cordis ventriculo per aortam deſcendens 9
eius conſiſtentia, color ibid.
Polzini oppidi regio & fons medicatus deſcribitur 61
Potamogeto accedens planta 42
Potamopytis 40
Potus genus Ruſſorum, *Quas* dictum 40
Præputium longum fovet facilius impuritates ex concubitu impuro ſuſceptas 361
Pruina indicat punctum congelationis in thermometris *24
Pruinam inter & congelationem nulla ferme ſenſibilis differentia *24
Ptyaliſmo ſoluta chronica mania 346
Pulmones pleuræ adnati 109
Pulmonum lobus dexter undique partibus vicinis adcretus 144 ulceroſus ibid.
— — nodi & tubercula ſcirrhoſa tuſſis perpetuæ cauſſa *160
Pulſatio arteriarum exponitur 128
— — cur in venis nulla 134. 140
Pulſus non intermittens præſentibus inſignibus cordis polypis 8
Pulticularum uſus a fene 400
Purgantibus validioribus mania haud ſublata 346 conf. 347
Purgationes vehementes hiemali tempore inſtitutæ notantur *151
Purgationis draſticæ ſiniſter eventus *149
Pyranthropometra *32

Q.

Quas, potus genus Ruſſorum 40

R.

Rabiei caninæ indeque ortæ hydrophobiæ caſus aliquot rariores 219
Rabioſorum veneni natura 223
Radii ſolis in medio vitrei humoris oculi focum formant, non in retina 189
Radiorum luminis ad tempus adhæſio ad corporum ſuperficiem 190
— — ſolarium ſimplicium refrangibilitas Newtoniana exponitur 189
Refrigerio ex ſubito pleuritis 14
Ren dexter poſt iſchuriam vitiatus repertus 144
— ſiniſter inteſtino recto adiacens 148
Renes flaccidi & corrugati 9
Renum hæmorrhagia 149
— ſingularis figura in puero reperta 300. 301
Reſpiratio per aliquot dies ſalva vita ceſſans, unde 157

Retina oculi, vid. Oculi retina.
Rhachitis congenita 146
Rheumaticorum dolorum remedium ſcarificatio. *57
Rheumaticum dolorem ſedans remedium 399
Rheumatis medetur ducciæ Mattiacarum uſus 92
Roſarum odor uteri ſtrangulationem lethalem procuxit 161
Rubi ſpecies 39. 40. 58.

S.

Sal amarum Sedlicenſe ſiniſtre adhibitum *149. ſeq. Aſthmaticis & hypochondriacis feminis infenſum ibid.
Salia maſſæ humorum obtundens & corrigens remedium *184
Salis Ammoniaci virtus antifebrilis 238
Salivæ enormis fluxus 185
Salivatio mercurialis, conf. Ptyaliſmus.
Salivationem circa mercurialem in morbis venereis cautelæ 364
— — non ciens mercurius 228
Salium variorum effectus in frigore artificiali producendo *44
Salſus oris ſapor lethalis 120
Sanguinem ſiſtentia remedia 328. ſeqq.
Sanguinis defectus 394. 403
— — maſſa tota corrupta 9
— — nimium deperditi celera reſtitutio 328
Sanguis non eſt fluidum compreſſibile 133
Sapor oris ſalſus lethalis 120
Saturninorum vis 172
Scarificatio arborum *58
Scarificationes cum balneis, frictionibus, inunctionibus combinandæ 97
Scarificationis differentiæ *58
— — palpebrarum & gingivarum peculiare inſtrumentum *63
— — ſiniſter eventus 97
— — variarum partium hiſtoria *53
Schoffler Anglorum, avis 284
Schrodt, vid. Plumbeos globulos.
Schvvarzii, Chriſt. Gottl. Memoria *229
Scilla in hydropico affectu fruſtra adhibita 114. 116
— ad hydropicorum mortem differendum remedium *139. 152
— œdematum remedium *144
Scillæ effectus *144. doſis *145. 152. 158
— uſus, quæ incommoda producat 117
Scillitici pulveris compoſiti vires 4
Scirpoidis ſpecies 38
Scirrhus, ſcirrhoma 168
Scorbuticæ maculæ in vetula & puero curatæ 86
Scroti hydrops, vid Hydrops ſcroti.
— œdema ſublatum 4
Sebaceus vomitus *142
Sedlicenſe ſal, vid. Sal amarum Sedlicenſe.
Sectio cæſarea an adminiſtranda *126
Secundinarum ſerotinarum excluſio quomodo promovenda 101
Sempervivi vires 172
Serpiginis explicatio 199

Sidæ, plantæ, ſpecies 443
Sinapi vis epiſpaſtica 183
Solani vires 172
Soldat, cancri ſpecies 377
Solis ab aſpectu maculæ & faculæ in oculo reſiduæ examinantur 188
— radii, vide Radii ſolis.
Somnolentia ex cerebri compreſſione * 178. ſeq. ex irritabilitate partium deſtructa 181
Sophorum anſer & phaſianus *194 aquila *192. 194. 197. 202. balneum regis *195. canis Coraſcenus rabidus *199. chamælæon *195. 199. chaos *195 columbæ dianæ *194. cygnus candidus *203. draco igneus *193. 195. 198. 199. 204. foreſtum *203. hyle *203. infans hermaphroditus & hydrophobus *199. leo *193. 194. magnes *195. 198. materia prima *203. mercurius non eſt mercurius vulgaris *197. mineralis aqua *195. 196. 198. nucleus *195. 198. ſaturnus *195. 196. 198. ſpecula *199. ſpeculum mortis *195. 196. ſaturni *198. ſublimatio *195. vulcanus torridus *195
Sopor hibernus quarundam avium *42
— perpetuus 118
Soporoſæ febres, vid. Febres ſoporoſæ.
Soporoſis in affectibus medicamentum 277. conducit ſcarificatio 52
Spaſmos ſedans medicamentum *184
Spaſmus opiſthotonus lethalis ex nervi plantaris læſione 16
— oris ex gravioribus contuſionibus oculi 209. ſeq. 213
Specificum antepilepticum 276
Spermaticorum vaſorum varices 362
Sphaceli & carcini differentia 166
Sphaceloſa corruptio interna incipiens 394
— — muſculorum brachii mira corruptio 89
Sphacelus cortice Peruviano ſublatus 384
Spina ventoſa 166. eius gradus ſummus 89. humeri & brachii fatalis 88
Spinæ dorſi flexura præternaturalis externe non obſervata 109
Spiritus ſalis vis in ulceribus cancroſis 233
— vini rectif. externe applicatus ſiſtit ſanguinem 330
Squilla, vide Scilla.
Stachys ſpecies 41
Steatoma abdominis permagnum 366
Stephens Johannæ lithontriptica remedia fruſtra adhibita 22. conf. 26. & 395. 403
Sterni trepanatio 124
Stomacaces remedium *71
Suaveolentium vis narcotica *171
Sublimatio philoſophica quid *195
Sudor hydropicis quo in caſu ſalutaris 117

Suffocatio uterina 149. hypochondriaca 150
Sulphur & mercurius crudus rite combinata præbent medicamentum phlogiſtum *173
Sulphuris vitrioli vires *165. ſeq.
Superfœtantis equæ exemplum 68
Superfœtationis diſtinctio a gemellorum conceptione 66
— — exemplum 65. poſſibilitas 67. 70
Surarum ſcarificatio *54. 55
Synanches remedium ſcarificatio *54
Syncope quomodo differt ab uterina ſuffocatione 154. ab epilepſia 155

T.

Tabaci fumi ſuctionis abuſus noxius *158
Tendinoſæ partes carcino ſunt ſubjectæ 165
Teredo veterum, ſummus ſpinæ ventoſæ gradus 89
Terra mercurialis *177
— — — *Becheri* 239
Teſticuli dextri a conquaſſatione tumor prægrandis curatus 96
— nulli nec in ſcroto, nec in inguine fœtus reperti 147. 48
Teſticulorum tumor venereus febre diuturna ſuperveniente ſolutus 97
Teſticulus dexter in cavum abdominis retractus 373
— — venereus 362
Thermometra cum liquoribus *31. chemica *32
— — menſuræ conſtantis commentatione illuſtrantur *1
— — variæ conſtructionis *33
Thermometri inventor *6. conſtructio *7. Fahrenheitiani, Reaumuriani & Nolletiani comparatio *28. ſeq.
— — fluida, quæ ſint optima *14
— — & thermoſcopii differentia *5
— — uſus in exploratione caloris animalium *41. vegetabilium *43
Thermometris obſervationes quomodo inſtituendæ *34
Thermometrorum anomalia *47
— — punctum congelationis & ebullitionis *22
— — repletio *17. ſcalæ formatio *21
— — uſus in phyſicis & chemicis tentaminibus *43. 46
Thoracis nimiæ conſtrictionis damnum 304
Tibiæ oſſis trepanatio feliciter inſtituta 124
Tonſillarum ſcarificatio *51
— — exulceratio pertinax ſanata 202
Trepanatio ſterni 124. tibiæ oſſis feliciter inſtituta 124
Turpethi mineralis uſus in hydrophobia 222. 225. infidus 179
Tuſſim mitigantia remedia 398

Tuſſis perpetuæ cauſſa nodi & tuberculæ pulmonum * 160
— ſicca hydropicis ſuperveniens, funeſta 370

V.

Varices vaſorum ſpermaticorum 362
Varicocele 362
Variolarum benignarum regimen haud ſatis diu continuatum, quæ mala produxit 94
Varioloſorum ex diarrhœa quædam præſagia 127
Vateri, Abrami, Memoria * 207. ſcriptorum eiusdem catalogus * 221
Vegetabilia quem calorem requirant, thermometris explorandum * 43
Vegetabilibus multis magna ineſt copia phlogiſti * 169. ſeqq.
Vena azygos juſto amplior 315
— cava an pulſet 125. juſto anguſtior 315
Venæ cur non pulſent 134. 140
— ſectio non ſemper abortum impedit 79
— largior & repetita in gravidis fœtui noxia 80
— ſectiones crebriores & largiores viſcerum tonum deſtruunt 81
— ſectiones largiores hiemali tempore inſtitutæ notantur * 151
— ſectionibus repetitis & largis mania haud ſublata 346. conf. 347
— ſectionis uſus in hydrophobia 222
Venarum in ſectione delectus 171
Venenatis in morſibus veſicatorii uſus 183
Venenatorum ſpecuum vis narcotica * 169
Venerea glandis ulcera cum phimoſi 360
Venereæ luis remedium ſine ſalivatione 228. conf. decoctum antivenereum.
Venereum miaſma per ſalivam & ſudorem propagatum, iterumque ſublatum 271. ſine ſalivatione curatum 275
Venereus teſticulorum tumor, vid. Teſticulorum tumor.
Ventriculi cum cerebro conſenſus * 183
— — mala conformatio 304
Ventriculus & inteſtina flaccida & collapſa 9
Vertiginis remedium 278. eſt ſcarificatio * 57
Veſicæ ad orificium excreſcentia carnea, dyſuriæ & iſchuriæ cauſſa 150
— calculus, vid. Calculus veſicæ.
— urinariæ defectus 148
— — hernia 257
— — præternaturalis mutatio 403
Veſicatorii efficacia in aſthmatico & œdematoſo * 148. * 161
— — uſus in morſibus venenatis 183
Veſicatoriis compluribus mania haud ſublata 346. conf. 347

Vigiliæ, conf. Agrypnia.
Viſcerum coalitus cum partibus vicinis qua ratione contingat 323
Viſui anne cuivis individuo quævis objecta ſe repræſentent ſub eadem menſura 187
Vitiligo, præcipue alba *Celſi*, exponitur 198. eius ab impetigine differentia 199. curatio 200
Vitis idææ baccarum uſus 40
Vitrorum indoles diverſa *10
Vitrioli eiusque ſulphuris vis hypnotica *165. ſeq.
— martis præſtantia 333. 335
— naphtha *166
Vitriolum cyprinum præbet ſpecificum remedium antepilepticum 279
Vlcera cancroſa, vide Cancroſorum &c.
Vlceribus chronicis medetur ſcarificatio *57
Vmbilicalis funiculus, vide Funiculus.
Vmbilici ligamentum planum 263
— — ſitus extraordinarius in fœtu 147
Vmbilicus ſerum deſtillans 379
Volatilium menſtruorum actio augetur magis frigore quam calore 197
Vomitus cruentus ex ſingulari cauſſa 290. 293
Vomitus ſebaceus *142
Vrinæ incontinentiæ in feminis remedium 25
— ſuppreſſio 142
Vrinarias per vias excreta materia purulenta empyematis rupti 15
Vteri conſenſus cum mammis, capite, faucibus & labiis 152. ſeq.
— debilitatibus medetur cortex Peruvianus 334
— gravidi ſitus & conditio tempore partus 269
— hæmorrhagia enormis poſt abortum ſanata 325
— ſtrangulatus examinatur 149
— vaginæ inciſio 18
— prolapſus in virgine repoſitus 122
Vterina paſſio, conf. Hyſterica paſſio.
— ſuffocatio, quomodo differt a ſyncope 154. ab epilepſia & apoplexia 155
Vulnera globulis plumbeis minoribus inflicta periculoſa 194
— pectoris quomodo exploranda & tractanda 317. ſeqq.
Vulnus oculi, vide Oculi vulnus.
— pugione pectori inflictum lethale 313

W.

Walpurgis-Kærner 110

X.

Ξυσις Hippocratis *53. 69

Aſteriſcus numeris præfixus indicat Appendicis paginas.

BRITISH MUSEUM
NAT. HAL. HISTORY.

Tom. I. novor. Actor. N. C. Tab. I.

Fig. 2.



ad Observat. VII. p. 16.

Fig. 3.

Fig. 1. ad Observat. VI. pag. 16.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 14. *p. 456.*

Fig. 7.

Fig. 9.

Fig. 8.

Fig. 10.

Fig. 12.

Fig. 11.

Fig. 13.

Fig. 4.



Fig. 3.



ad Observat. XXXVI
p. 128.



Fig. 2.

ad Observat. XXXIX
p. 149.
Fig. 6

Fig. 1.
ad Observat. VIII
p. 39 et 58.

ad Observat. XXXIX.
p. 149
Fig. 5.

Tom. I. Nov. Act. N. C.

Fig. 1.

ad Observ. LXI. pag. 255.

Fig. 2.

Fig. 3

Fig. 4

Fig. 6.

Fig. 5. p. 257.



Fig. 7. p. 256.



Fig. 2. ad Obſerv. LXX. pag. 289.

ad Obſerv. LXIX. pag. 284.

Fig. 3. ad Obſerv. LXXI. pag. 294.



Fig. 4. p. 454.



Fig. 1.

ad Obſerv. LXXIII.
pag. 300.

Fig. 1.

Fig. 2.



ad Obſerv. LXXV pag. 304.

Fig. 3.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. 1.

Fig. 4.

Fig. 3.

Fig. 8.

Fig. 9.



Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 2



Fig. 7.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. 1. p. 412. Fig. 2. Fig. 16. Fig. 17.

Nov. Act. N. C.
Tab. IX.
ad Obs. CI. p. 409.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Fig. 1.

Fig. 2.

Scala $\frac{1}{2}$ pedis.

BRITISH
NATURAL HISTORY

Fig. 4.

Fig. 2.

Fig. 3

ad Observ. LXIX. pag. 284. et Obs. CIV p. 455.

Fig. 1.

ad Observ. LXII. pag. 26 et ad Observ. CIII p. 445.

Fig. 5.

Fig. I.

Fig. II.



Fig. III.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY